
EX LIBRIS
λάθε βιώσας
BENE·QVI·LATVIT, BENE·VIXIT
KNUD
SCHWANENFLÜGEL

cf. Philolog. Bd. 25 Hft. 1. 1866. p. 92 ff.
Abh. v. E. Wölfflin. (Schriften über den [illegible]
[illegible] u. [illegible] [illegible])
R. M. L.
27 [illegible]

[redacted]

LEXICON TACITEUM

SIVE DE

STILO C. CORNELII TACITI,

PRAEMISSIS

DE TACITI VITA, SCRIPTIS AC SCRIBENDI GENERE PROLEGOMENIS,

SCRIPSIT

Wilhelm

GUIL. BOETTICHER

PHILOS. DOCTOR., AA. LL. M., GYMNASII QUOD BEROLINI FLORET FRIDERICO-GUILIELMINI PROFESSOR.

Hoc interim probasse contentus sum, non esse unum eloquentiae vultum, sed in illis quoque, quos vocatis antiquos, plures species deprehendi, nec statim deterius esse quod diversum est.

Tacit. Dial. de or. cp. 18.

BEROLINI.

SUMPTIBUS G. C. NAUCKII.

MDCCCXXX.

Typis G. C. Nauckii.

Praefatio.

De consilio quod in hoc libro edendo secutus sim atque de instituti mei ratione cum profligato jam ac paene ad finem perducto labore disserendum mihi esse censeam, ut brevi perfungar et altius tamen repetam rem cum per se gravissimam tum ad rectius dijudicandum opus a me susceptum maximi futuram momenti, paucis exponam, qualem in emendandis meliusque instituendis et lexicis et grammaticis latinae linguae rationem ineundam esse arbitrer. Id enim constat inter omnes idoneos dumtaxat hujus rei judices, quantumvis egregia nostro potissimum aevo doctissimorum studium virorum in hac litterarum provincia praestiterit, nihildum tamen perfectum omnibusque numeris tam absolutum esse, ut in eo acquiescere possimus. Multa etiamnunc desiderantur cum in ipsa verborum significationumque eorum enumeratione, tum in explicanda grammatica eorum structura, quorum tamen exempla suppeditat cum cura ac diligentia instituta scriptorum lectio; multa non satis apto ordine composita leguntur etiam in optimis, quosque maxime in his rebus duces sequimur, libris. Et in grammaticis quidem plurimis, ne dicam omnibus, id primum

vituperandum esse videtur, quod nullis saepe finibus certis propositis neque satisfaciunt viris doctis et nimis multa rursus tradunt atque obtrudunt quasi tironibus; tum id quoque haud leve eorum vitium esse censuerim, quod fusius quaedam exponunt, maxime in doctrina de particulis, quae cum minus ad compositionem quam significationem verborum pertineant, in lexica amandanda esse videantur; praeterea vero, ut cetera omittam, in eo peccant grammatici, quod non solum potissimum latinitatis auctorem sequuntur Ciceronem, id enim nemo cuiquam vitio verterit, sed, ab uno illo omnia repetentes, ceterorum aut nullam aut strictim tantum et velut in transcursu rationem habent *). Lexica autem, ne reliqua etiam attingam, quae in iis desideres, eo maxime vitio laborant, quod neque omnium omnino scriptorum usum satis observant, neque etiam sibi constant in singulorum auctoritate respicienda, modo hujus, modo illius exempla dum prae ceteris laudant omittuntve, eo etiam nomine vituperanda, quod non omnibus vocabulorum generibus eandem curam tribuunt, in particularum potissimum tractatione manca ac debilia.

Quae cum ita sint, hoc primum apparet, aliam esse debere eorum rationem, qui juventutis in usum studium suum ad has res applicant, aliam eorum, qui

*) Vide quae Quintil. 10, 2, 25 sqq. contra pravissimam hanc rationem monet, e quibus haec tantum excerpimus: *cum totum exprimere quem elegeris* paene sit homini inconcessum, *plurium bona ponamus ante oculos, ut aliud ex alio haereat, et quod cuique loco conveniat, aptemus.*

ipsi doctrinae excolendae ac promovendae prospiciunt, omne vero medium, nullisque certis finibus vagum nec tironibus prodesse, neque vero etiam doctis magno usui esse. Illis igitur et in grammatica arte et in disponendis explicandisque verborum significationibus Cicero summum proponatur latini sermonis exemplar, non plane tamen praetermissa ceterorum, qui in scholis leguntur, auctoritate; his autem pro virili quisque parte altius penetrando atque acrius investigando totius latinitatatis suggerat thesaurum. Veruntamen qui huic satisfacere volet negotio, modicas opes suas eamque certam firmamque possessionem in medium conferat, non vanam fluxamque gloriolam quaesiturus, sed, dum unum solidumque litterarum commodum sectatur, ea propositurus, quae una cum ceteris nostri aevi fructibus in thesaurum illum congerat posterior aetas. Optime vero in his rebus versabitur virorum doctorum cura et industria, si singulas quisque harum litterarum partes sibi sumpserit, in quibus doctrinam suam exerceat. Et sunt profecto nostris potissimum temporibus haud pauci, qui egregie prorsus in hoc genere elaborarunt, et in explicanda altiusque repetenda verborum significatione et in emendanda ratione grammatica studium plane eximium collocantes; nec minus laudanda est eorum opera, qui idem illud assequi studuerunt accuratiore scriptorum latinorum interpretatione. Nam cum in linguae latinae thesauro, sive sit lexicon, sive opus grammaticum, et haud scio an in illo quidem optime utrumque conjunxeris, omnium omnino scriptorum usum congestum explicatum-

que jure exspectes, luce sane clarius est, priusquam arduum illum immensumque laborem adgrediaris, opus esse diligentissima omnium antiquitatis monumentorum explicatione, et, ne levissimo quidem praetermisso *), quid cuique proprium sit acerrime investigari debere.

His igitur expositis, in hoc libro edendo quid ipse secutus sim, et quem praeter ipsius Taciti interpretationem summum quasi finem mihi proposuerim, satis patebit, atque inde simul optime dijudicari poterit instituti mei ratio. Haud sane quisquam est inter omnes antiquitatis scriptores, qui cum suus plane sit, suoque etiam in scribendi genere nitatur ingenio, majorem in modum postulet atque flagitet suam peculiaremque prorsus interpretationem; nemo est, qui ea in usum familiaritatemque quasi recipiens, quae apud alios, priores maxime, raro admodum leguntur, sed leguntur tamen, clariorem lucem afferre possit totius latinitatis cognitioni; sed quamvis egregia atque mihi quoque grata et accepta fuerit quorundam in singulis hujus rei difficultatibus amoliendis opera, vix quemquam invenias inter graviores dumtaxat latini sermonis auctores, qui in iis quae ad verborum grammaticaeque eorum structurae explicationem pertinent, minus expertus sit doctorum curam virorum. Quod vero lexicon potissimum scripsi Taciteum **), non commentarium,

*) Vide quae Heldius Cl. ea super re disseruit in Praef. ad Caesaris de b. civ. commentarios.

**) Haud ignoro, nuper a Wissowa, Viro Cl. suspectam esse redditam hanc Tacitei vocem, eundemque lectiones, quas scripsit Taciteas, re accuratius examinata, Taciti-

qualem jam absolveram in Annalium libros priores, priusquam immutata consilii ratione hoc opus suscepi, ea potissima est causa, quod ob immensam plane rerum copiam illam interpretationis formam vix ac ne vix quidem sufficere videbam; grammaticas autem quaestiones ipsi operi inserui, cum minus commode eas sejungi ab eo et ipse expertus perspicerem, praesertim cum ea, quae continua oratione de stilo Taciteo et maxime de varietate, brevitate et poetico ejus colore, in quibus potissimum propria ejus indoles vertitur, dicenda esse videbantur, in prolegomenis accuratius composuerim. Atque ita jam prope ad finem perducto opere erat sane quod gauderem, cum in recensione libelli de vita Agricolae, quam nuper curavit vir doctissimus U. I. H. Beckerus, haec verba legerem: „*nihil ejusmodi indice utilius et fructuosius, nec exiguum illud foret Romanarum literarum adjumentum, si qualis Clavis Ciceroniana est Ernestio-*

---

nas nominare satius duxisse. Sed cum ipse neutrum probe dici arbitretur et minore tantum vitio Tacitinas lectiones a se dictas esse censeat, mutare nolui formam doctissimorum etiam hominum, quod sciam, auribus familiarem, cum praesertim eodem jure, quo e Graecis sumpta Marcellea, Augustea, alia id genus adjectiva de templis sane caeremoniisque usurpata ab optimis frequentantur scriptoribus, non solum Theocriteus, Herodoteus, sed etiam Taciteus dici posse videatur. Et Quintilianeus quidem ab omnibus optime usurpatur, licet recte fortasse dixeris Quintilianicus, vel Quintilianinus. Usus omni doctrina validior. Ita Pindaricus et Pindareus, Homericus et Homereus dicitur. Ceterum non minus recte Tacitinus dixeris quam Plautinus, quapropter in hac quidem re miror virum illum doctum ambigere.

Schütziana et Glossarium Livianum Ernestio-Schaeferianum, talis quoque, sed locupletior etiam et instructior ornatiorque index in omnes Taciti libros exstaret: nam ii, quos habemus, indices nec omnem Taciti verborum copiam, nec sermonis elegantias et idiotismos exhibent." Etenim videbam me et hunc virum clarissimum et haud dubie multos Taciti nostri amatores voti utcunque compotes reddidisse. Sed quae postea statim addit „*Donec igitur magnus iste a quopiam viro eximie docto eruendus Corneliani sermonis thesaurus prodeat, hoc interim nostro copiosiore in Agricolam indice placide utaris, candide lector,*" ea non aliter sane in me adhibuerim, quam me quoque meliora et uberiora ab aliis exspectare ingenue profitendo, ea tantummodo conscientia laetus, haud leve me adjumentum doctioribus attulisse. Neque etiam omnia Taciti verba recepi, eo labore supersedere me posse ratus, cum nihil aliud mihi voluerim quam, quae propria ei sunt aut minus certe aliis usitata cum ceterorum et priorum et aequalium dicendi genere comparando, optime pro virili parte consulere ingeniosissimi scriptoris interpretationi. Nonnunquam quidem ea quoque attigi, quae saepius etiam a prioribus quam a Tacito usurpantur, et non attigi solum, sed interdum quanta maxima potui cura et diligentia pertractavi, ubi videbam, neglecta ea aut minus recte explicata a viris doctis majore studio indigere. Ceterum ea, quae Taciteae dictionis similia ex aliis laudavi, haud raro satis habui solis scriptorum nominibus propositis indicare, ple-

rumque ibi tantum ipsis locis exscriptis, ubi eos etiam a Forcellino praetermissos videbam, in quo quidem magnopere dolui, me Hertèliani operis haud sane omnibus numeris absoluti, sed ob curam tamen quam Tacito tribuit laudandi, priores tantum fasciculos in comparationem vocare potuisse, et Handii quoque viri clarissimi de particulis latinis locupletissimos commentarios nondum ad finem perductos fuisse cum haec scriberentur. Inter commentatores ac grammaticos et veteres et recentiores, quos multos et, ubi digni mihi videbantur studio, accuratius inspexi, ne levibus quidem prorsus neglectis, paucos omnino et raro laudavi, cum ex ipsis antiquitatis fontibus haurire satius ducerem, quam more nostris potissimum temporibus consueto in iis etiam rebus, quae haud ita valde recedunt a vulgari dicendi genere, in taedium usque decantare praecepta librorum, qui minime quidem spernendi, immo laude maxima digni, magis tamen tironibus quam Taciti interpretibus scripti sunt. Maximo mihi, ut ceteros taceam, multis in locis adjumento fuisse Walchii in Agricolae vitam doctissimum commentarium grato animo profiteor, minime tamen, ubi critica mihi exercenda erat ars, morosae cujusdam, qua aliorum plerumque insectatur sententias, acerbitatis aemulus, licet minus eam vitio verterim viro inter paucos nostro aevo antiquitatis cultores nominando, probe memor, verissima esse, quae Cic. ait*) „*Quo quisque est sollertior et ingeniosior, hoc docet ira-*

*) Q. Rosc. 11.

cundius, *et* (quod idem in Walch. cadit) *laboriosius*.“

Haec fere erant, quae de operis mei consilio et ratione praemonenda esse censebam. Sed dum ejusdem Ciceronis verba recordor, nullum nos munus reipublicae afferre majus meliusve posse, quam si doceamus atque erudiamus juventutem, dum, biennio amplius in hoc quod Tacito meo tribui studio consumpto, cura dulcissima quidem, sed cura tamen expeditus integris auctisque ingenii viribus totum me reddo huic publico muneri, haud absurdum mihi esse videtur, paucis etiam falsas quorundam de Taciti librorum in scholis lectione opiniones refellere, cum gravior sane res sit quam multi crediderint.

Ex iis quae supra exposuimus latiusque in prolegomenis totiusque operis contextu prosecuti sumus de ratione quae intercedat inter Taciti stilum ceterorumque aureae maxime aetatis dicendi consuetudinem, haud dubie perspicitur, discipulis in latinitatis cognitione jam provectioribus nihil utilius ac fructuosius esse recte instituta lectione Taciti, et qui secus de hac re sentiant neque de ratione linguae latinae tironibus tradendae, neque de Taciti ingenio, neque etiam de summis in erudienda conformandaque juventute finibus propositis quid verum rectumque sit satis scire. Namque si plurima, quae in dictione Taciti recedunt a vulgari dicendi genere, singulis iisque haud raro obscurioribus locis apud priores quoque deprehendimus, nonne ea ipsa melius intellecta penitusque perspecta pleniorem efficient latini sermonis, et elegan-

tioris quidem, cognitionem? non major inde evadet dicendi scribendique copia atque facilitas, praejudicata multorum, qui ultra Ciceronem vix sapere audent, opinione repudiata et procul amota? Est sane difficilior Tacitus, quam qui ab omnibus intelligatur, altior atque sublimior, quam cujus omnes capiant ingenium; sed eadem ratio est Thucydidis, Platonis, aliorum quorundam, quorum nihilominus tirones cognitione imbuuntur, licet non omnes, immo paucissimi plerumque, altius introspiciant quae leguntur; nam in eos omnes scriptores cadunt quae Cicero *) de Catone ait „*amatores huic desunt, sicuti multis jam ante seculis et Philisto Syracusio, et ipsi Thucydidi. Nam ut horum concisis sententiis, interdum etiam non satis apertis cum brevitate tum nimio acumine, officit Theopompus elatione atque altitudine orationis suae (quod idem Lysiae Demosthenes): sic Catonis luminibus obstruxit haec posteriorum quasi exaggerata altius oratio.*“ Et tamen adolescentibus cummaxime non solum tradendi verum etiam summo cum studio explicandi et in intimam eorum familiaritatem perducendi sunt, ut in hac quoque antiquitatis provincia habeat juvenilis animus, quo auctas jam corroboratasque vires acrius exerceat, ut ad altiora studia incensus, majore quasi impetu feratur ad reconditos etiam litterarum recessus perlustrandos, utque in ipsa vita ex his quoque litteris retineat quo se alere, reficere, recreare possit.

---

*) Brut. 17.

Sed cum minus fortasse in his rebus valeat nostra auctoritas, sequantur jam finemque imponant praefationi nostrae quae a viro et de antiquitatis studio et de juvenum institutione optime merito profecta dignissima sunt quorum recolatur memoria, quae cum ipsa libelli, in quo exposita leguntur, copia paene intercidisse videtur *).

„*Si inter recentiores quis alius Tacitus sibi vixerit, neque ad aliorum voluntatem, ne reipublicae quidem causa mentem sensumque inflexerit; is ille erit, cui Tacitus scripsit, qui Tacitum intelliget, qui cum illo consentientes sensus geret. — Non aliam ob causam vel juvenis mihi probabitur, qui Tacitum, non dico prae Floro Curtioque, quis enim illos cum Tacito composuerit?! non dico prae Suetonio, sed etiam prae Livio probat legitque. — Mentem rectam, honestam, a mollitie remotam is significare videtur, cui Tacitus, non dico ob argutias, non ob ingeniosam brevitatem, sed ob judicium rectum, rigidum, nonnunquam forsan severum placet. Viro digna loquitur Tacitus, virilem idem lectorum prolem effingere potest.* Avertit et repellit a sui commercio quicumque non nisi humilia cogitat, non nisi voluptatem spirat, non nisi vana et fluxa ambit et cupit. *In talis scriptoris familiaritate diu versatus non secus fingitur ac formatur, ac si in contubernio et disciplina senis alicujus vixisset, quem*

*) Meierotto Progr. de moribus Taciti. Berol. 1790.

varius rerum usus maturum judicii et sapientiae reddidit. — Equidem vel eo nomine Taciti lectionem provectiori juventuti potissimum commendandam puto, quod intentum ubicunque lectorem desiderat. Inimicus est omni levitati: *nunquam igitur illi magnopere placebit, qui non nisi remissionem quaerit. Si quis quasi aliud agendo, et per ludum Latinorum lectioni vacavit, eum renuntiare oportet hujus auctoris lectioni. Quicumque vero dum legit, animum intendere, vires mentis augere, adque meditandi et observandi operationes confirmatior inde redire vult, cuicumque tanti est, dum hominis naturam, variosque mores modosque vitae cognoscit, suam potissimum indolem cognosse, didicisse, quomodo sibi imperet, sibi temperet, suique semper potens sit, is me auctore Tacitum sibi prae aliis reddat familiarem. — Tironum ingenio obesse posset, si in contracta Taciti brevitate quasi in sicco desidere et haerere adacti fuerint, antequam rerum verborumque necessaria copia instructi et referti quasi essent.* In extremo *vero* scholastico spatio juventuti nihil utilius hac lectione novi. — *Offerant alii scriptores rerum Graecarum Romanarumque amoena loca, recessus molles et invitantes; deducant per vireta et prata floribus vestita et distincta;* ad Taciti lectionem admissus intras lucum prisca veneratione horroreque quodam sacrum. *Hunc non delectationis quidem brevis et ubivis obviae sensu delinitus, cursu quasi transmittes. Sed, quum mente*

composita ad honestatem, quum sensu conformi destinationi hujus loci, quum integris moribus, et seriis consiliis huc fueris ingressus, imbutum et percitum te senties sensu venerationis, confirmatum te videbis ad gravissima quaeque utilissimaque suscipienda. Videberis tibi admissus ad commercium eorum, qui vitae laboribus et officiis rite defuncti, qui jam beati, jam securi, ut Minoes, ut Rhadamanthi judicium agunt ejusmodi, quod opiniones, famam, rumores, speciem externam, splendorem nominum et honorum spernit; quod facta sola, factorumque vel latentes causas respicit. Coram numine aliquo tibi versari videberis, cujus sola praesentia cupiditates fluxas et noxias mitigat, voluptates inanes purgat, immortalia contra et supra hanc hujus vitae sortem elata cognoscere, aestimare, malle jubet."

Scriptum
Berolini mense Aprili
MDCCCXXIX.

Addenda et Corrigenda.

Pag. LV vers. 11 lege *subsidium* pro *tubsidium*.
ibid. infra *peculiaris* pro *praeculiaris*.
- LXIII sub fin. *Tiberio* pro *Terio*.
- LXLII vers. 4 *adjectivorum* pro *adjectiorum*.
In ipso Lex. pag. 5 post med, lege *depopulatus* pro *depopulutus*.
- 9 minus recte Ann. 11, 24 *adfinitates* pro *adfinibus* positum esse dicitur. Ita potius locum intelligas: nobis *mixti moribus* — *adfinitatibus*.
- 11 vers. ult. adde Frotsch. ad Quintil. lib. X Exc. V.
- 12 vers. 4 ab ult. lege *argenteae* pro *aureae*.
- 33 vers. 4 ab ult. lege *veteranis* pro *veteraris*.
- 37 in adnot. falso *Hibernia* appellatur terra, in quam Agric. navi transgressus sit; in re nihil mutamus.
- 40 vers. 9 lege 6 pro o.
- 42 vers. 3 ab ult. lege *adolevere* pro *dolevere*.
- 50 c. med. lege *servitutis* pro *servitulis*.
- 56 init. lege *itineribus* pro *iteneribus*.
vers. 13 lege *ita* pro *ira*.
- 61 med. lege *annona* pro *anno*.
sub fin. *persuaseris* pro *persuaris*.
- 213 vers. 8 ab ult. cf. Ruddim. institt. ed. Lips. p. 73 sqq.
- 226 vers. 17 leg. 4, 33.
- 233 vers. 15 ab ult. lege *histrionibus* pro *hisrionibus*.
- 235 post med. leg. *I. Bekkerus* pro *J. Beckerus*.
- 237 vers. 2 lege *ingenium* pro *igenium*.
- 240 vers. 12 lege *multiplicem* pro *multiciplem*.
- 255 vers. 5 ab ult. divide *abs-cedebat* pro *ab-scedebat*.
- 257 s. v. indiscretus adde Ann. 1, 35 *mox indiscretis vocibus pretia vacationum, angustias stipendii — incusant*.
- 261 vers. 3 ab ult. dele quae inclusa sunt parenth. nam ro vera curiam relinquebat.
- 265 vers. 8 lege *illustrandum* pro *illustandum*.
- 298 vers. 4 lege *pavore* pro *pavora*.
- 335 vers. 8 lege *quod* pro *quo*.
- 338 med. lege *νοῦσον* pro *νοῦσαν*.
- 341 vers. 3 lege *fluctus* pro *fluxus*.
- 354 vers. 5 ab ult. lege *crebriorem* pro *crebiorem*.
- 362 vers. 1 lege *pruinae* pro *pruniae*.
- 389 vers. 12 ab ult. lege *defectionis* pro *defetionis*.
- 441 post med. lege *principum* pro *principium*.
- 467 vers. 2 lege *eorum* pro *earum*.
- 479 vers. 5 ab. ult. lege *adultero* pro *adultro*.

PROLEGOMENA

DE C. CORNELII TACITI VITA, SCRIPTIS AC SCRIBENDI GENERE.

Pauca sunt, et ne haec quidem omnia satis certa, quae de Taciti vita e scriptis ipsius atque e Plinii epistolis colligimus; sed saepe oculis nostris obversatur tacita quaedam ingenii morumque, quibus vitam suam rexerit, scriptis ejus impressa imago, ut ex ea nobis de vitae ejus et publicae et privatae ratione conjectare non minus liceat, quam in libris ejus legendis haud raro per concisam et, ut ita dixerim, taciturnam brevitatem sensum scriptoris dispicimus. Neque quibus parentibus neque quo loco natus sit compertum habemus. Ortus quidem e gente Cornelia, utrum e patricia an plebeja familia incertum reliquit, nec quisquam veterum memoriae prodidit. Plinius (H. N, 7, 17 ed. Bip.) notum sibi fuisse dicit membrorum contractione deformem filium Cornelii Taciti equitis Romani, Belgicae Galliae rationes procurantis; et cum Claudio imperatore eam historiae naturalis partem, in qua hujus rei mentionem facit, conscripserit (cf. 10, 59), illum Galliae procuratorem patrem, puerumque istum fratrem nostri crediderimus. Sed certi nihil affirmari potest[1]).

De anno quo natus sit Tacitus, e Plinii epistolis conjectando quaedam elicere possumus. Epistolarum enim libro septimo ep. 20 ad ipsum nostrum ita scribit: „*Erit rarum et insigne, duos homines,*

[1]) Vide Passovii ingeniosissimam dissert. „Ueber Tacitus Germania“ in Wachl. Philom. I. p. 58.

aetate propemodum[1]) aequales *nonnullius in litteris nominis* (*cogor enim de te quoque parcius dicere, quia de me simul dico*) *alterum alterius studia fovisse.* Equidem adolescentulus, cum jam tu fama gloriaque floreres, *te sequi concupiscebam.*" Ille vero anno p. C. n. 79, quo avunculum suum Vesuvii incendio periisse scribit, annum agebat duodevicesimum (cf. Ep. 6, 20); natus igitur anno p. C. n. 62 Tacitum amicum decem fortasse annis habuit majorem. Hunc enim anno circiter 52 natum esse[2]), primum ex historiis ejus (1, 1) conjici posse videtur, cum dicat, *sibi Galbam, Othonem, Vitellium nec beneficio nec injuria cognitos*, unde patet, eum anno p. C. n. 68, quo imperator declaratus est Galba, eo jam aetate provectum fuisse, ut, si voluisset princeps, honore aliquo aut dedecore adolescentulum adficere potuisset. Tum eodem spectant ipsius verba „*dignitatem nostram a Vespasiano inchoatam, a Tito auctam, a Domitiano longius provectam non abnuerim. — Quodsi vita suppeditet principatum D. Nervae et imperium Trajani, uberiorem securioremque materiam, senectuti seposui*". Vespasiano igitur imperante (69—79 p. C. n.) quaestor factus, qui primus honoris gradus erat (v. Cic. Verr. Act. 1, 4 et Walch. ad Agric. p. 155) aetatis annum quintum et vicesimum, qui hujus dignitatis erat legitimus, egisse putandus est. Quodsi

---

[1]) Vocem propemodum noli hoc loco urgere. Licet majus etiam quam decem annorum discrimen interfuerit inter Plinii Tacitique aetatem, tamen aequales eos dixisset posteritas; atque unum hoc sibi vult Plinius, cum ista dicit.

[2]) Annum, quo natus sit Tacitus, re accuratissime disquisita, non ultra a. U. c. 805 rejici, neque vero etiam proferri posse ultra 807, Walchius contendit ad Agric. p. 129.

hujus quaesturae annum ponimus 77, Plinius, cum (a. 79) duodevicesimum aetatis annum ageret, amici tum septem et viginti annos nati gloriam aemulari potuit, quamquam verba ista Plinianae epistolae magis ad oratoris famam, quam ad publicam dignitatem pertinere dicantur. E verbis autem quod si vita suppeditet cet. (cf. Plin. Ep. 7, 33) sequitur, Tacitum Trajano imperante, et quidem post annum demum 102, historiarum libros scribere coepisse (v. infra). Non multum igitur quinquagesimum aetatis annum tum excesserat, neque vero etiam grandior natu illud senectuti seposui commode dixisset.

Patria Taciti recte forsitan Interamna (Terni) perhibetur, cum Vopisco auctore (in vita Floriani cp. 2) Tacitus imperator ejusque frater Florianus, qui posteros se nostri gloriabantur, inde essent oriundi. Atque Interamnates ei quasi suo civi monumentum posuerant in via quae Spoletum ducit[1]).

Adolescens admodum M. Apro Iulioque Secundo[2]) operam dedit oratoria arte jurisque peritia tum maxime claris. „*Eos*", quae ipsius verba sunt[3]), „*in judiciis non utrosque modo studiose audiebam, sed domi quoque et in publico adsectabar, mira studiorum cupiditate et quodam ardore juvenili, ut fabulas quoque eorum et disputationes et arcana semotae dictionis penitus exciperem*". Ab his igitur institutus mox inter clarissimos oratores atque causidicos habebatur. Et Plinius quidem, idoneus sane hujus rei judex, imprimis laudat in eo granditatem quandam dictionis, Ep. 2, 11. dicens „*Respondit Cor-*

---

[1]) Cf. Hanke de monum. II. p. 270.

[2]) De Iulio Secundo v. Quintil. 10, 1, 120.

[3]) Dial. de or. cp. 2. Hunc librum Taciti esse, probabitur suo loco.

nelius Tacitus eloquentissime, et quod eximium orationi ejus inest, σεμνῶς", et ejusdem libri ep. 1. „*Hujus viri* (Verginii Rufi) *exsequiae magnum ornamentum principi, magnum saeculo, magnum etiam foro et nostris attulerant. Laudatus est a consule Cornelio Tacito: nam hic supremus felicitati ejus cumulus accessit, laudator eloquentissimus*". Ipse autem quantus fuerit in principiis rationibusque artis ejus cognoscendis probat dialogo quem scripsit de causis corruptae eloquentiae, et in orationibus quoque, quas libris historicis intexuit, rhetoricae artis ingeniose peritum facile agnoveris.

Familiaritate usus est haud dubie paucorum tantummodo, qui temporibus istis virtuti infestis antiquam retinuerant morum integritatem [1]). Inter quos primum fortasse locum in amicitia ejus occupavit Plinius minor, cui post ipsum maximus in rebus ad litteras artemque rhetoricam pertinentibus ea tempestate habitus esse videtur honos [2]), et cum quo monumenta ingenii familiariter communicabat [3]). Hujus praeceptori atque amico [4]), Quintiliano, rhetori nobilissimo viroque optimo Tacitum et notum et carum fuisse non

---

[1]) Cf. Plin. Ep. 4, 15 *Asinium Rufum singulariter amo. Est homo eximius et bonorum amantissimus. Cur enim non me quoque inter bonos numerem? Idem Cornelium Tacitum, scis quem virum, arcta familiaritate complexus est. Proinde si utrumque nostrum probas, de Rufo necesse est idem sentias, cum sit ad connectendas amicitias vel tenacissimum vinculum morum similitudo.* V. etiam Ep. 5, 15, 4.

[2]) Cf. Plin. Ep. 9, 23.

[3]) Cf. Plin. Ep. 7, 20; 8, 7. Praeter has inspiciendae etiam sunt, maximam partem ipsi Tacito scriptae 1, 6. 20; 2, 1. 11; 4, 13. 15; 6, 9. 16. 20; 7, 33; 9, 10. 14.

[4]) Cf. Plin. Ep. 2, 14.

est quod dubitemus, cum praesertim stilus etiam nostri aliquid e Quintilianeae dictionis colore traxisse videatur [1]). Arctissimo autem cum venerationis tum adfinitatis vinculo conjunctus erat cum Cn. Iulio Agricola animi ingeniique indole et vita optimis antiquae reipublicae temporibus dignissima tum facile primo. Qui cum anno p. C. n. 77 consul esset, Tacito tum quintum et vicesimum fortasse annum agenti filiam suam despondit ac post consulatum conlocavit, priusquam Britanniae praeficeretur [2]). Eo ipsum Agricolae comitem profectum esse haud credideris; certe in libro quem de vita soceri conscripsit, nulla hujus rei vestigia invenias [3]). Romae potius remansisse videtur dum Agricola rebus fortiter gestis provinciaque juste ac strenue administrata immortalem sibi pepererit gloriam (usque ad a. 85), et postea quoque, soceri secutus exemplum [4]), plures per annos (85-89) Domitiani patienter tulit saevitiam. Anno 89 una cum uxore Romam reliquit, non taedio temporum et cupidine otii, ut quidam cum Lipsio opinantur, sed ut provinciae alicui praeesset, nam anno praecedente praetor

---

[1]) Quintilianum autem O. I. 10, 1, 104 Tacitum innuere vix crediderim. Ipsum hunc, non Sallustium, certe utrumque cum Thucydide comparasset, si quidquam ex libris Taciti in ejus pervenisset notitiam. V. Spalding. ad locum illum Quint. et in Addendis p. 711 sq. Fr. Jacob in Jahnii annal. VII, 2 p. 178 et quos Walchius laudat in comment. ad Agric. cp. 3: Sarpe Quaestiones philologicae Rost. 1819 p. 1 et Fr. Manso. „Ueber einige den Quintilian betreffende Meinungen der Gelehrten" p. 10. Walchius ipse non plane abhorret ab eorum opinione, qui monstratum quasi posteris Tacitum a Quintiliano putant. Frotscherus cum Sarpio *Fabium Rusticum intelligit.*

[2]) Agric. cp. 9.

[3]) Apertus est Passovii error, l. l. p. 55, ad Hiberniae regulum referentis quae ad Agricolam pertinent.

[4]) Agric. cp. 42.

fuerat. Neque etiam quo anno Agricola obiit (93) in urbem redierat[1]), sed haud ita multo post Romae adfuisse videtur testis saevitiae crudelitatisque, qua postremos imperii sui annos (93-96) Domitianus oneravit. Eo respiciunt verba[2]) „*dedimus profecto grande patientiae documentum; et sicut vetus aetas vidit quid ultimum in libertate esset, ita nos quid in servitute, adempto per inquisitiones et loquendi audiendique commercio. memoriam quoque ipsam cum voce perdidissemus, si tam in nostra potestate esset oblivisci quam tacere*“; eo etiam ea, quae ejusdem libri cp. 45 leguntur „*non vidit Agricola obsessam curiam et clausum armis senatum — —. mox nostrae*[3]) *duxere Helvidium in carcerem manus; nos Maurici Rusticique visus, nos innocenti sanguine Senecio perfudit cet.*“

Tacitum Vespasiano imperatore, anno fortasse 77, quaestoria dignitate praeditum fuisse, supra jam memoratum est[4]). Tito imperante a. 80 vel 81 aedilis tribunusve factus esse videtur; sub Domitiano a. 88 quindecimvir sacris faciundis ac simul praetor creatus est[5]). Hoc demum interfecto a. 96 rediit

---

[1]) Agric. cp. 45 „*nobis tam longae absentiae conditione ante* (adverb. est) *quadriennium amissus es*“ et quae praecedunt „*adsidere valetudini — non contigit.*“

[2]) Agric. cp. 2.

[3]) i. e. senatorum, inter quos inde ab a. U. 841 (88 p. C. n.) Tacitus, tum vir praetorius, haud ignobilem tenuit locum. Ita recte Walchius. Perperam alii nostrum excludunt, de Romanis in universum ista dicta esse putantes.

[4]) Cf. de vitae Taciti publicae decursu Hist. 1, 1 et Ann. 11, 11.

[5]) Cf. cum Ann. 11, 11 Suet. Domit. 4. Quindecimvir libros Sibyllinos ludosque saeculares curabat, „*iisque*

animus et reipublicae capessendae quaedam quasi alacritas, cum Nerva imperator felicioris saeculi spem faceret. Itaque anno 97 in locum Verginii Rufi[1]) consul suffectus est Tacitus. Post consulatum quae res fuerint publice ab eo gestae nescimus, nisi quod Plinius[2]) se cum Cornelio Tacito (a. p. C. n. 100) causam egisse dicit Afrorum contra Marium Priscum proconsulem, repetundarum reum. Etiam de privata ejus vita nihil fere constat. Concordi cum tranquilloque matrimonio vixisse cum Agricolae filia colligi licet ex iis, quae ipse de ea praedicat[3]), quaeque de Agricolae conjugio memoriae prodit tenerrimos amoris conjugalis sensus in ipso testificantia. „*Vixerunt*, inquit[4]), *mira concordia, per mutuam caritatem et invicem se anteponendo, nisi quod in bona uxore tanto major laus, quanto in mala plus culpae est.*“ Liberos haud dubie suscepit, siquidem M. Claudius Tacitus imperator eum parentem suum appellare solebat, qui ejus libros, ne lectorum incuria deperirent, per annos singulos decies scribi sumptu publico et in omnibus bibliothecis collocari jussit[5]).

De tempore quo vita excesserit certi nihil constitui potest. Sed cum Annalium libros sub finem demum Trajani imperatoris in lucem emiserit (v. infra), haud abhorret a vero, eum ultra Trajani tempora (117 p. C. n.) vitam produxisse.

---

inquit, *intentior adfui sacerdotio quindecimvirali praeditus ac tum praetor.*“

[1]) De hoc viro praestantissimo et a Tacito etiam publice laudato (v. supra) cf. Plin. Ep. 2, 1 et Dio Cassius 68, 2.

[2]) Ep. 2. 11.

[3]) Agric. cp. 9 *egregiae eam spei filiam* vocat.

[4]) Agric. cp. 6.

[5]) cf. Vopisc. v. Taciti cp. 10.

Librorum Taciti rationem et quo temporis ordine evulgati fuerint accuratius si exponere volemus, prius ad liquidum nobis perducendum erit, Dialogus qui dicitur de causis corruptae eloquentiae, utrum Tacito vindicandus an Quintiliano, Plinio minori aliisve sit adscribendus[1]). Non hujus est loci omnia proponere, quae in utramque partem a viris doctis disputata sunt. Haec vero sufficient[2]):

1) Quintilianus quidem passim in orat. inst. libris et duobus locis disertim auctorem se dicit libri (dialogi voce nunquam his locis utitur) de causis corruptae eloquentiae. Sed qui nostrum conscripsit dialogum admodum juvenem se fuisse dicit anno Vespasiani imperatoris sexto (cf. cp. 1 et 17), quo tempore Quintilianus, qui rhetoricam artem profitebatur et tum cummaxime Plinii minoris praeceptor, si minimum statuimus, tricesimum jam aetatis annum agebat. Tum vero dialogi auctor (cp. 2) Iulium Secundum magistrum suum et in eloquentia ducem designat et nihil nisi laude dignissima de eo praedicat. Quintilianus contra (i. or. 10, 3, 12) eundem aequalem suum et familiariter a se amatum dicit, neque etiam omnibus

---

1) Vix dignae sunt, quae commemorentur opiniones eorum, qui Suetonium vel Curiatium Maternum hujus libelli auctorem fuisse perhibent.

2) Cf. Klossmanni iniquissimum de egregio libello judicium ferentis Prolegomena in Dial. de oratoribus claris qui Tacito vulgo adscribitur. Vratist. 1819. contra: Dial. de or. Tacito vindicatus auctore A. G. Langio quae ab ipso auctore additamentis aucta dissertatio inserta legitur Dronkii recensioni a. 1828 Confluentibus editae. Cujus inspiciendae cum post confectum demum laborem, quo ipse rem pertractavi, copia facta esset, nolui quicquam mutare, ut utriusque sententiae, in universum consentientis, liberum relinquerem lecturis judicium.

numeris absolutum perfectumque eum oratorem profitetur, sed „*Julio*, inquit, *Secundo*, *si longior contigisset aetas*, *clarissimum profecto nomen oratoris apud posteros foret cet*[1]).“

2) Neque vero etiam Plinio juniori tribuendus est dialogus de oratoribus, eo tempore, quo instituta esse dicitur ea disputatio, tredecim annorum puero, qui tametsi quatuordecim natus annos tragoediam scripserit[2]) atque undevicesimo aetatis anno dicere in foro coeperit[3]), vix tamem, et ne vix quidem tantum valuisset ingenii acumine, ut hujus argumenti colloquium sequi, nedum id quod ex eo memoriae mandasset, stilo exprimere potuisset. Quod ad Fabium Justum, Plinii amicum, scriptus est dialogus, nihil probat contra Tacitum auctorem, quippe qui arcto amicitiae vinculo cum Plinio conjunctus, hunc quoque familiari consuetudine amplecti potuerit[4]). Ceterum minus etiam Plinii quam Quintiliani dicendi ratio cum dialogi stilo congruit.

3) Omnia contra postulant, ut Tacitum hujus libelli auctorem statuamus. Codices manuscripti et vetustissimae editiones ei Taciti nomen praescribunt, non vero Quintilianei libri titulo: *de causis corruptae eloquentiae*, sed exhibent: *C. Cornelii Taciti dialogus de oratoribus*; *C. Cornelii Taciti, equitis Romani dial. de oratoribus claris*; *Cornelii Taciti, equitis Romani dialogus an sui saeculi oratores et quare concedant*. Quibus accedit Pomponii Sabini Grammatici testimonium, cum dicit „*Cornelius Ta-*

---

1) Cf. i or. 10, 1, 120. De his omnibus v. praeterea Spalding. ad Quint. 6, 3, prooem. et Praefat. p. 39.

2) Plin. Ep. 7, 4.

3) Plin. Ep. 5, 8.

4) C. Plin. Ep. 1, 5. 11; 7, 2.

citus appellat scripta Maecenatis calamistros," quae verba in ipso dialogo cp. 26 leguntur.

Tacitus, quo tempore dialogus habitus esse traditur, annum fortasse agebat quartum et vicesimum, quae aetas optime convenit illis rationibus [1]). Atque cum inter sui aevi oratores eximia laude clarus exstiterit (v. supra et cf. Plin. Ep. 1, 20), non est quod miremur, priusquam ad historiam scribendam accederet, de suae priorisque aetatis oratoribus eum scripsisse, praesertim cum in omnibus rebus utriusque temporis instituta moresque in comparationem eum vocare ex historicis ejus libris pateat. „*At stilus, non fallax in hoc genere argumentum, in nostro constrictus ubique, teres, acutus, et severus magis quam lepidus: hic omnia contra.*" Ita vere quidem in universum Lipsius; nemo negaverit. Sed nullo prorsus modo inde probari potest, a diversis auctoribus profectos esse dialogum et libros Taciti historicos. Quantum intersit inter oratorium dicendi genus et historicum stilum, inter dialogorum libertatem et annalium constrictam brevitatem ex ipsa re intelligitur [2]). Tum ipse dialogi auctor ait se operam dedisse, ut quae acceperit *ser-*

---

[1]) Non premi debere verba juvenis admodum loci quidam Ciceronis aliorumque docent. Cf. Cic. Brut. 88 *admodum adolescens Hortensius orsus est in foro dicere;* Plin. 5, 17 *superior Africanus, T. Flamininus admodum adolescentes consules facti;* leg. Manil. 21 Pompejum hominem dicit praeadolescentem, cum tertium is et vicesimum annum agere:, atque de eodem cap. 10 dicit ineunte adolescentia fuisse. V. admodum.

[2]) Cf. Dial. 22 *nullum sit* (apud oratorem) *verbum velut rubigine infectum, nulli sensus tarda et inerti structura in morem annalium componantur;* Quintil. 10, 5, 15 *dialogorum libertate gestire.* V. etiam Plin. Ep. 5, 8; 16, 16. et Quintil. 10, 1. 31.

vato ordine disputationis, dum formam sui quisque et animi et ingenii redderet, iisdem et numeris et rationibus persequeretur. Huc accedit aetatis si non magna at aliqua certe diversitas, cum dialogus Domitiani temporibus conscriptus sit[1]), historiae annalesque Trajani demum aetate in lucem prodierint; atque ut in vita Agricolae nonnunquam vix agnoscimus annalium stilum, et hi etiam aliam quam historiae prae se ferunt dictionis speciem, haud sane mirum, dialogi stilum oratoria quadam ubertate laetum magis etiam recedere ab eo scribendi genere, quo in componendis annalium libris usus est Tacitus senectuti jam propior. Et multa tamen, si accuratius rem perpenderimus, ejusdem auctoris in utraque dicendi ratione vestigia inveniemus. Iam ipsum illud in annalibus quoque historiisque obvium scriptoris studium de claris cujusque aevi oratoribus judicium quam subtilissimum ferendi rhetorici illius libri auctorem Tacitum indicat[2]). Prae ceteris digni sunt qui conferantur in hunc finem loci ejusmodi: Ann. 4, 61 *Q. Haterius — impetu magis quam cura vigebat: utque aliorum meditatio et labor in posterum valescit, sic Haterii canorum illud et profluens cum ipso simul exstinctum est.*

---

[1]) V. Ernestium ad Dial. cp. 39 et Klossmanni Prolegomena §. 1. „*cum Aper et Jul. Secundus e disertis fere verbis auctoris diem obiisse videntur* (cp. 2), *tum Julius quidem Secundus teste Quintiliano* (10, 1, 120) *immatura morte, certe ante necem Domitiani, ereptus erat. — Extat etiam locus* (*cp.* 13 *dial.*) *qui ad mortem Materni, quae teste Dione Cassio* (67, 12) *crudelitate Domitiani accidit, velut digito intendere videtur.*“

[2]) Langius l. l. eadem fere in dialogo atque in historicis libris judicia ac testimonia de singulis oratoribus in medium prolata esse demonstrat.

Hist. 1, 90 *Galerii Trachali ingenio Othonem uti credebatur, et erant, qui genus ipsum orandi noscerent, crebro fori usu celebre, et ad implendas aures latum et sonans*[1]). Ann. 3, 31 *satisfactum Corbuloni per Mamercum qui — oratorum ea aetate uberrimus erat*; cp. 34 *Valerius Messallinus, cui parens Messalla, ineratque imago paternae facundiae*; 13, 3 *Adnotabant seniores, quibus otiosum est vetera et praesentia contendere, primum ex iis qui rerum potiti essent Neronem alienae facundiae eguisse. nam dictator Caesar summis oratoribus aemulus; et Augusto prompta ac profluens, quae deceret principem, eloquentia fuit. Tiberius artem quoque callebat, qua verba expenderet, tum validus sensibus aut consulto ambiguus. etiam C. Caesaris turbata mens vim dicendi non corrupit. nec in Claudio, quotiens meditata dissereret, elegantiam requireres.*" — Quae omnia si in dialogo legerentur, quis, quaeso, quod ad dicendi genus pertinet, non eundem agnosceret auctorem? Et dialogi etiam in singulis verbis verborumque nexu ac structura multa sunt, quae aut apud alium nullum praeter Tacitum aut apud hunc creberrime et constantissimo usu inveniuntur. Confer in Lexico: p a t e r f a m i l i a e (sub v. familia), e x u b e r a r e, h i s t r i o n a l i s, m a n s u r u s e t d u r a t u r u s (in participio), a d m o d u m, i g i t u r e t i t a q u e, e t s i n o n - a t c e r t e (sub v. si non), v e l - s i v e - s i v e, q u i n i m m o, a u r i s, a d f l u e r e, a d m i s s u m, i n s e r e r e, p r o e l i a t o r, p r o f l u e r e, r a p e r e, r u b o r, v a n e s c e r e[2]).

---

[1]) Cf. Quintil. 10, 1, 119 et 12, 10, 11.

[2]) Cf. etiam u t s i c d i x e r i m Dial. 34. 40 cum Agric. 3 et Germ. 2 et quos Langius adfert locos, inter quos tamen qui p. 25 consignati sunt, c i r c u m s t a r e, di-

Cum ita jam satis pateat, dialogum Tacito esse vindicandum, omnis quae reliqua fuerit dubitatio eximitur loco quodam Plinii junioris, qui sine controversia ad dialogum respicit. Nam quae Ep. 9, 10 ad Tacitum scripta leguntur „*Itaque poemata quiescunt, quae tu inter nemora et lucos commodissime perfici putas*“ cp. 12 dialogi consimilia atque eandem rem exprimentia invenimus „*nemora vero et luci*[1]) *et secretum ipsum, quod Aper increpabat, tantam mihi adferunt voluptatem, ut inter praecipuos carminum fructus numerem quod nec in strepitu, nec sedente ante ostium litigatore, nec inter sordes ac lacrimas reorum componuntur.*“ Cf. cp. 9.[2])

Ad res gestas componendas tum primum accessit Tacitus, cum Domitiano interfecto rerum scriptoribus ademptus esset metus, ne Cremutii Cordi fato uterentur, si meliora quam foedam adulationem sequi vellent. Et primum quidem a. 97 (aetatis circiter 45) quo consulatu fungebatur, vitam conscripsit Julii Agricolae soceri, pii gratique in eum animi immortale monumentum. Eo cummaxime tempore hunc librum inchoatum esse inde colligitur, quod capite tertio Nerva imperator non adjecto *divi* cognomine memoratur et Trajanus tamen jam in consortium imperii adsumptus designatur[3]). Sed cum auctumno demum ejusdem anni

---

cendum habere aliaque Taciteae dictionis attingentes, minus huc pertinent, cum eadem etiam apud ejusdem aetatis scriptores legantur.

[1]) Cf. Germ. 9. 10. 45; sed etiam Plin. H. N. 4, 26 ed. Bip.

[2]) De argumento dialogi v. Dronkii Prolegomena et Klossmann. l. l. §. 2.

[3]) Cf. Walch. ad h. l. ejusque ad Agric. Prolegomena p. 100. Tacitum hoc libro edito jam designatum imperatorem Trajanum consalutare quasi voluisse, ut Walchius p. 124 opinatur, vix est quod credas.

Nerva adoptaverit Trajanum et postero anno ineunte excesserit e vita, anno 98 magnam, si non maximam libri partem conscriptam, totumque opus absolutum esse credamus[1]).

Haud ita multo post Trajano iterum consule (a. 99[2]) scripsit de situ, moribus et populis Germaniae, similem qua Britanniae gentes in vita Agricolae complexus erat, Germanorum etiam rebus operam daturus, simul ut Trajani modo e Germaniae finibus reversi laudes si non palam extolleret, at per ambages quasi panegyrico quodam occulto exprimeret[3]), dum gentem morum simplicitate animique illibato vigore validam et Romanis etiam vanis praecedentium imperatorum conatibus formidolosam consilio dumtaxat et fortitudine reprimi posse profiteretur.

Aliquot interjectis annis, post a. demum 102 Historiarum edidit libros; nam cum ipse dicat[4]) se principatum divi Nervae et imperium Trajani, uberiorem securioremque materiam senectuti seposuisse, bella haud dubie animo obversabantur cum Dacis gesta, quae primum a. 102 Trajano triumphum peperere. Complectebantur autem historiae duodetriginta annorum spatium inde a secundo Galbae consulatu usque ad

---

1) Cf. Walchii quae supra laudavimus Prolegomena i. e. diatriben egregia multa exhibentem „Ueber Tacitus' Agrikola oder die Kunstform der antiken Biographie."

2) V. Germ, cp. 37.

3) Ita perquam ingeniose Walchius l. l. Cf. etiam Passovii libellus supra (p. I) laud., Barby de consilio quo C. Cornelius Tacitus librum de situ morib. et pop. Germ. conscripserit et de fide ei tribuenda. Berol. 1825. Völkel Prolus. de fontibus, unde T., quae de patria nostra tradit, hauserit, deque consilio, quod in scribendo libro de Germ. secutus esse videtur Marb. 1789; G. A. ArndtDisp. quatenus Taciti de Germ. libello fides sit tribuenda Lips. 1775.

4) Hist. 1, 1.

Domitiani interitum (69 — 96 p. C. n.) et quatuordecim libris conscriptae fuisse videntur, cum Hieronymus [1]) historiarum annaliumque libros triginta omnino fuisse dicat. Nobis proh dolor! quatuor tantum priores et quinti aliqua pars supersunt, quibus vix anni unius et sex mensium res gestae continentur [2]).

Hoc demum opere perfecto sedecim Annalium libros in lucem protulit, et ipsos nunc aliquot sui partibus mutilos aut omnimo deperditos. Undecimo enim libro cp. 11 ad libros historiarum quibus res Domitiani composuerit respiciens, secundi autem libri cp. 61 Romanum imperium eo ipso quo scripserit tempore ad rubrum mare patescere dicens, ipse sub finem Trajani annales suos confecisse haud obscure indicat. Aliam prorsus annalium quam historiarum rationen esse haud difficile est intellectu. Ipse Tacitus disertim annales quos vocat (4, 31 et saepius) a veterum historiae monumentis plane diversos esse dicit, quorum ad indolem propius accedunt historiae [3]). Hae quidem eam complectuntur aetatem, quam ipse viderat observaveratque auctor, et quinque libris quos possidemus brevissimum temporis spatium laetiore quodam orationis genere et continua narratione pertractant; Annales contra res inde a Tiberii imperio usque ad Neronis exitum gestas coarctantes, suum quaeque in annum referunt [4]), concisoque atque brevitatis quaesitissimum studium prae se ferente dicendi genere notabiles, ingenii artisque,

---

[1]) Comment. ad Zach. 3, 14. Hinc cod. Budens. in fine libri quarti Histt., *Cornelii Taciti liber XX explicit. Incipit XXI.*

[2]) Cf. super hac re Walchius ad Agric. cp. 3 p. 130 sqq.

[3]) Ita Plin. Ep. 7, 33 hos libros appellat „*auguror, nec me fallit augurium,* historias *tuas immortales futuras.*" De annal. et hist. discrimine vide Gell. 5, 18.

[4]) V. Ann. 4, 71.

quibus ante omnes ceteros Tacitus eminet, maximum mirificumque plane exstant documentum. Non igitur annalium, quales fuere qui maximi dicuntur, quales Cato, Pictor, Piso alii veteris aevi conscripserunt, non fastorum [1]), non denique actorum senatus populique Romani [2]) speciem reddunt, sed cultu modo oratorio ornamentisque omissis [3]) dum nomine et externo magis compositionis ordine istorum antiquissimi aevi monumentorum memoriam revocant, perfectissimum exhibent historiae componendae exemplar [4]). Atque annales quales habemus Tacitum potissimum scripsisse non

---

[1]) Cf. Ann. 3, 17.

[2]) Cf. Lexic.

[3]) Cf. Cic. de or. 2, 12. „*Erat historia nihil aliud nisi annalium confectio, cujus rei memoriaeque publicae retinendae causa ab initio rerum Romanarum usque ad P. Mucium pontif. max. res omnes singulorum annorum mandabat litteris pontifex max., efferebatque in album, et proponebat tabulam domi, potestas ut esset populo cognoscendi; ii qui etiam nunc annales maximi nominantur. Hanc similitudinem scribendi multi secuti sunt, qui sine ullis ornamentis monumenta solum temporum, hominum, locorum gestarumque rerum reliquerunt. Itaque qualis apud Graecos Pherecydes, Hellanicus, Acusilas fuit, aliique permulti, talis noster Cato et Pictor et Piso, qui — dum intelligatur quid dicant, unam dicendi laudem putant esse brevitatem. — Qualis oratoris et quanti hominis in dicendo putas esse historiam scribere? Si, ut Graeci scripserunt, summi, inquit Catulus; si ut nostri, nihil opus est oratore, satis est, non esse mendacem.*"

[4]) Qui Flaxmani Retzchiique egregia artificia, quibus ingenia moresque insignium hominum in Homeri ac Shakespearii libris obviorum adumbraverunt, non vidit modo sed penitus introspexit, is haud absurdam dixerit annalium Taciti cum his sciagraphiis ingeniosissimis comparationem.

non est quod miremur. Quam saeva et omnium foeditatum indignitatumque plena tempora ab excessu Augusti usque ad finem Neronis per quattuor et quinquaginta annos senectuti jam propior erat persecuturus! nonne maxima et attingente magis quam expediente singula brevitate opus erat, ne saeva jussa, continuas accusationes, fallaces amicitias, perniciem innocentium et easdem exitu causas conjungens obvia rerum similitudine et satietate [1]) fatigaret legentium animos? nonne maturandum erat tantae molis opus jam sexagesimum aetatis annum emenso, cujus ad laetiora Nervae Trajanique tempora componenda animus avebat properare [2]), quique Augusti etiam vitam memoriae prodere constituerat [3])? Quae quidem omnia imperfecta reliquit fato occupatus [4]).

Quomodo historiam scripserit Tacitus, quem in ea finem secutus, quoque scribendi genere usus sit expositiuris jam nobis opus erit primum accurata de fide, quae ei haberi possit disquisitione. Eam vero aliter instituere non possumus, quam de fontibus dicentes, unde historiae quam scripsit materiam hauserit [5]).

---

[1]) ipsius sunt verba Ann. 4, 33.

[2]) Cf. Hist. 1, 1.

[3]) Cf. Ann. 3, 24.

[4]) Alia est Walchii de hac re sententia in comment. ad Agric. vitam cp. 3. Nervae Trajanique vitas in lucem non prodiisse, inde colligi licet, quod qui imitatus est nostrum Ammianus Marcellinus, Taciti historias continuaturus, suas inchoavit cum Nervae imperio. Laudantur etiam a Fulgentio Planciade *facetiarum libri*, qui periere.

[5]) V. Meierotto progr. de fontibus quos Tacitus videatur secutus Berol. 1795; Just de fide Taciti, scriptio prima, qua disseritur quatenus Tacitus fidem ipse sibi habendam

Tantum ubique auctoritate valuit Tacitus, ut cum ad ipsos imperatores summosque magistratus aditus ei pateret, tum non actorum solum senatus populique sed commentariorum etiam principum inspiciendorum libera ei esset potestas. Eorum quae memoriae prodidit multa ipse vidit [r]), multa per eos, qui rebus gestis interfuerant, comperit. Quae ad Britanniam, ad Germaniam, ad res Orientis pertinebant eorum gravissimos auctores testesque habuit Agricolam, Plinium majorem, Verginium Rufum, Trajanum, Licinium Mucianum, Vespasianum, Titum, alios.

De scriptis, quo usus est, monumentis ipse passim ita loquitur, ut nemini de fide ac diligentia ejus dubium relinquatur. Si quid ei incertum atque ambiguum videtur, candide id profiteri nunquam omittit (cf. Germ. 2. 3. 33); ubi rumor populi ac fama discedunt a rerum scriptoribus, a veris falsa sejungere studet quam diligentissime (cf. Ann. 3, 16), omnino autem comperta ex aliis judicii eum acumine ingeniique quo valuit altitudine et penetrasse et in suum quaeque locum digessisse quis est qui dubitet?

Saepissime non indicato auctoris nomine in universum cujusque temporis monumenta adfert. Cf. Ann.

---

indicaverit. Zittav. 1827 Rupert. Prooem. ad Annal. p. 18 sqq. et Barbyi ceterornmque de Germania Taciti scripta supra laudata.

[1]) In Britannia ipsum non fuisse jam supra attigimus; neque etiam Germaniam eum vidisse probari potest. Velledam (Germ. 8) videtur Romae vidisse, nisi illud vidimus *Velledam* ad omnes potius Romanos referre mavis. Quae Barbyi est opinio, Tacitum eum, cujus Plinius major mentionem faciat, nostri fratrem fuisse atque hunc ipsum cum illo apud patrem Beligicae provinciae rationes procurantem egisse, in hanc quidem rem non magni, vel nullius potius est momenti, cum eo tempore infans fuisset Tacitus. V. supra.

5, 9 „*tradunt temporis ejus auctores*; 3, 3 *matrem Antoniam non apud auctores rerum, non diurna actorum scriptura reperio ullo insigni officio functam*; 4, 10 *in tradenda morte Drusi quae plurimis maximeque fidis auctoribus memorata sunt retuli: sed non omiserim eorundem temporum rumorem validum adeo, ut nondum exolescat*; cp. 11 *haec vulgo jactata, super id quod nullo auctore firmantur, prompte refutaveris*; cp. 53 *id ego a scriptoribus annalium non traditum reperi in commentariis Agrippinae*; cp. 57 *secutus plurimos auctorum*; cp. 65 *scriptores in eo dissentiunt*; 12, 67 *temporum illorum scriptores*; 13, 17 *tradunt plerique eorum temporum scriptores*; cp. 20 *nos consensum auctorum secuti*; 14, 9 *haec consensu produntur.* — Hist. 2, 37 *invenio apud quosdam auctores*; cp. 101 *scriptores temporum*; 3, 29 *inter omnes auctores constat*; cp. 51 *celeberrimos auctores habeo*; cp. 54 *quidam — eadam tradidere*; cp. 22 *adseverare non ausim, quamquam alii tradiderint*; 5, 6 *sic veteres auctores; sed gnari locorum tradunt cet.* — Huc etiam pertinet commemoratio eorum qui de Britannia scripserunt Agric. 10: *quae priores nondum comperta eloquentia percoluere, rerum fide tradentur* et quae de peregrinis dicit scriptoribus Ann. 6, 28 *avis phoenix-praebuit materiem doctissimis indigenarum* (Aegyptiorum) *et Graecorum multa super eo miraculo disserendi, de quibus congruunt et plura ambigua sed cognitu non absurda promere libet*, quamquam vitio quodammodo verti posse videtur Tacito, quod raro et parum accurate, praecipue in rebus Iudaicis, exterarum gentium monumenta inspexerit [1]).

---

[1]) Cf. Meierotto de fontibus Taciti p. 6 sqq. „*videmus hic testium nec patriae nec aevi, neque vero ingenii, indo-*

Nomina ipsa librorum historicorum vel auctorum certe haec adferuntur:

1. J. Caesaris commentarii Germ. 28: *validiores olim Gallorum res fuisse summus auctorum divus Julius tradit.*

2. Livii historiarum libri Ann. 4, 34: *T. Livius, eloquentiae et fidei praeclarus imprimis, Cn. Pompejum tantis laudibus tulit, ut Pompejanum eum Augustus adpellaret: neque id amicitiae eorum offecit cet.*; Agric. 10 *Livius veterum eloquentissimus auctor.* — Haud dubie Tacitus in libello de situ populisque Germaniae conscribendo usus est 104to libro operis Liviani, qui, ut ex epitome patet, situm Germaniae moresque complectebatur, nec minus de Drusi in Germania susceptis expeditionibus contulit ejusdem libros et ipsos jam deperditos a 137mo usque ad 140mum.

3. Plinii majoris scripta a) bellorum Germaniae libri[1]) Ann. 1, 69 *tradit C. Plinius Germanicorum bellorum scriptor;* b) temporum quibus ipse vixit historia[2]) Ann. 13, 20 *Plinius et Clu-*

---

lis, morum ullam fuisse habitam rationem." V. tamen infra.

[1]) V. Plin. Ep. 3, 5 „*Bellorum Germaniae viginti (libri) quibus omnia quae cum Germanis gessimus bella collegit. Inchoavit cum in Germania militaret somnio monitus. cet.* Cf. Suet. de viris ill.

[2]) V. Plin. Ep. 3, 5 „*a fine Aufidii Bassi triginta unus*" et ipse major Plin. in praefat. h. nat. „*nos quidem omnes patrem te fratremqae diximus opere justo, temporum nostrorum historiam orsi a fine Aufidii Bassi;*" 2, 106 „*amnes retro fluere et nostra vidit aetas Neronis principis annis supremis, sicut in rebus ejus retulimus.*" De Aufidio Basso, v. interpretes ad Sen. Ep. 30 et Quintil. 10, 1, 103 ibique Spalding. Tacitum de Vesuvii incendio narrationem Pliniique vitam et exitum historiis suis inserere voluisse sequitur ex Plin. Ep. 6, 16. 20.

vius nihil dubitatum de fide praefecti referunt; 15, 53 *quod C. Plinius memorat* et Hist. 3, 28 *Hormine id ingenium, ut Messalla tradit, an potior auctor sit C. Plinius, qui Antonium incusat, haud facile discreverim;* c) historiae naturalis libri; quartum saltem in rebus ad Germaniam pertinentibus non intactum reliquisse Tacitum credi licet.

4. Vipstanus Messalla, is quem in dialogo de oratoribus loquentem inducit cp. 14, in bello Vitelliano tribunus militum (Hist. 3, 9 *legioni tribunus Vipstanus Messalla praeerat, claris majoribus, egregius ipse, et qui solus ad id bellum artes bonas adtulisset*) auctor appellatur Hist. 3, 25. 28.

5. Fabius Rusticus, amicus Senecae, historiae Neronis et fortasse Caligulae etiam Claudiique auctor Agric. 10: *formam totius Britanniae Livius veterum, Fabius Rusticus recentium eloquentissimi auctores oblongae scutulae vel bipenni adsimulavere;* item Ann. 14, 2; 13, 20; 15, 61.

6. Cluvius Rufus aliique, qui horum temporum monumenta ediderant. Ann. 13, 20 *Plinius et Cluvius nihil dubitatum de fide praefecti referunt;* 14, 2 *tradit Cluvius* et *sed quae Cluvius, eadem ceteri quoque auctores prodidere;* cf. Hist. 3, 65 *verba vocesque duos testes habebant, Cluvium Rufum et Silium Italicum.* V. Plin. epist. 9, 19. Suet. Nero 21. — Sine dubio etiam iis usus est, quae Domitius Corbulo et Licinius Mucianus de rebus Orientis prodidere (v. Plin. h. nat. 5, 20. 34; 7, 49; 9, 31); fortasse etiam Asinii Pollionis historiis (v. Suet. Caes. 56; Hor. carm. 2, 1; Strabo 4. p. 193), annalibus Cremutii Cordi, qui ultimum Romanorum dixisse traditur Cassium Ann. 4, 34. 35. (v. de eo Ru-

pert. ad locum priorem), et Suetonii Tranquilli, qui Plinii minoris fuit amicus [1]), libris.

7. Agrippinae commentarii Ann. 4, 52 *id ego reperi in commentariis Agrippinae filiae, quae Neronis principis mater vitam suam et casus suorum posteris memoravit.* V. Plin. h. nat. in indice libri septimi et 7, 6 *Neronem — pedibus genitum parens ejus scribit Agrippina.*

8. Fasti et commentarii principum Ann. 1, 15 *ludos, qui de nomine Augusti fastis additi Augustales vocarentur;* 3, 17 *consul — nomen Pisonis radendum fastis censuit.* — Hist. 4, 40 *petit a Caesare Iunius Mauricus, ut commentariorum principalium potestatem senatui faceret, per quos nosceret, quem quisque accusandum poposcisset. Consulendum tali super re principem respondit.* Cf. Plin. Ep. 10, 71. 72. Huc etiam retuleris Augusti imperatoris testamentum ejusque libellum quo opes publicas sua manu perscripserat. V. Ann. 1, 8. 11. De actis diurnis populi et senatus v. Lex. s. v. acta.

9. Orationes et epistolae principum aliorumque Ann. 1, 81 *de comitiis consularibus quae tum primum illo principe ac deinceps fuere vix quidquam firmare ausim; adeo diversa non modo apud auctores, sed in ipsius* (Tiberii) *orationibus reperiuntur.* Cf. Hist. 1, 90. — Inspexit fortasse eam etiam orationem, quam Vitellius contra Cn. Pisonem habuisse dicitur, cujusque mentionem facit Plin. h. nat. 11, 71 „*exstat oratio Vitellii, qua reum Pisonem ejus sceleris* (veneficii) *coarguit — non potuisse ob venenum cor Germanici Caesaris cremari.*“ et procul dubio usus est oratione Claudii imperatoris de Gallis in senatorum numerum recipiendis (Ann. 11, 24)

[1]) Cf. Plin. Ep. 10, 95.

quae a. 1529 Lugduni inventa est aeri incisa[1]). — Imperatorum epistolae commemorantur Ann. 6, 6; 4, 39. 40 et passim[2]).

Quae omnia abunde probant, magnum monumentorum, praecipue ipsa quibus composita sunt tempora describentium numerum et suppetiisse Tacito et accurate diligenterque ab eo inspecta esse. Iam vero quo animo ingenioque uberrimam hanc materiam tractaverit, qua arte et quo proposito fine, ut opus perfectum omnibusque numeris absolutum perficeret, singula composuerit breviter expediemus, tum de scribendi quo usus est genere atque de ipso ejus stilo dicturi, quae maxime res pertinet ad instituti operis nostri rationem[3]).

Inter omnes omnium temporum ac nationum scriptores vix ullum reperias, qui tantam vim ingenii, tan-

---

1) Legitur ea in Lipsii Exc. ad Ann. 11, 24.

2) Ceterum incertae haud raro fidei commentarios istos, fastos, acta, orationes epistolasque fuisse ex ingenio temporum illorum colligi potest. Cf. exempli causa Ann. 1, 6 „*nihil de ea re* (Agrippae caede) *Tiberius apud senatum disseruit, patris jussa simulabat.*"

3) De Taciti in componenda historia virtutibus cf. Vossius de historicis Latinis 13; Mureti orat. 2, 14; quartum volumen operis plane egregii: The Works of Tacitus by Gordon. Prefixed political discourses. Lond. 1737 4 Voll. 8; Ruperti Prooem. ad Annales.; Weikerti edit. operum Taciti Tom. I, cui praefixa sunt prolegomena et in iis quae dicuntur inde a p. 22.; Woltmannianae translationis Tom. V et VI. et quae longe ingeniosissima sunt Rothii Süverniique super hac re scripta: Ueber Thucydides und Tacitus; vergleichende Betrachtungen, gelesen in einer Versammlung der königl. Baierschen Akad. der Wissenschaften den 13. Oct. 1812 von Friedr. Roth; Süvern über den Kunstcharakter des Tacitus, in d. Abhandlungen der königl. Akad. d. W. zu Berlin v. J. 1822 u. 1823. V. etiam Hegewisch hist. u. literärische Aufsätze Kiel. 1801 p. 70 sqq.

tam animi altitudinem, tantumque judicii acumen conjunxerit cum admirabili prorsus morum simplicitate et candore, cum acerrimo veritatis aequitatisque studio, cum ardentissimo libertatis ac virtutis amore. Diu multumque versatus in aulae atque fori consuetudine, penitusque imbutus ingenii humani et cum bonarum tum malarum artium, quales istis temporibus obtinuere, cognitione, omnes vel intimas rerum causas perspicit, omnes fraudis simulationumque fallacias detegit *„ut pravis dictis factisque a posteritate et infamia metus sit*[1]).“ Sed ut severissimum se praebet malorum perversorumque judicem, ita animo libentissimo immoratur virtutibus extollendis; nunquam neque ira neque studio abreptus unamque veritatem ducem sequens[2]), retinet, quod est difficillimum, et laudis et vituperationis modum[3]).

---

[1]) Ann. 3, 65. *„Hinc etiam Cosmus Medices, Fridericus M. aliique principes viri in deliciis habuere Tacitum: et vere dixit Heinsius, obcultam ei quamdam et mysticam fuisse haruspicinam, quae non animantium scrutaretur exta, sed regum corda mentesque introspiceret, et illius scripta meram esse prudentiae medullam, ipsum vero corculum sapientiae fuisse.“* Rupert. in Prooem. ad Ann. p. 22.

[2]) V. Ann. 4, 11 *ut claro sub exemplo falsas auditiones depellerem peteremque ab iis, quorum in manus cura nostra venerit, ne divulgata atque incredibilia avide accepta veris neque in miraculum conruptis antehabeant;* Hist. 2, 50 *conquirere fabulosa et fictis oblectare legentium animos procul gravitate coepti operis crediderim.* Cf. Ann. 1, 1; Hist. 1, 1.

[3]) Cf. Agric. 42 moderatione *prudentiaque Agricolae leniebatur* (Domitianus) *quia non contumacia neque inani jactatione libertatis famam fatumque provocabat. Sciant, quibus moris inlicita mirari, posse etiam sub malis principibus magnos viros esse; obsequiumque ac modestiam, si industria ac vigor adsint, eo laudis excedere, quo*

Quae cum magnae sint scriptoris virtutes, est tamen aliquid, quo majore etiam ingenii animique ejus amore incendamur; tenerrimum dico decori atque honesti sensum, quo foeda inhonestaque dictu non reticet quidem, sed, ne oneret legentium pudorem, velut in transcursu attingit, omissis etiam iis, quae cognitu non digna spernit atque respuit historiae gravitas[1]), quo, ne laedat clarorum virorum memoriam, silentio transmittit quae indecora admiserunt posteri[2]), commemorando contra, quae quamvis parvi per se momenti, ad condecorandos inlustres homines facere posse videren-

---

plerique per abrupta, sed in nullum reip. usum ambitiosa morte inclaruerunt. Ann. 4, 20 *Hunc ego Lepidum temporibus illis gravem et sapientem virum fuisse comperio. nam pleraque ab saevis adulationibus aliorum in melius flexit: neque tamen* temperamenti *egebat, cum aequabili auctoritate et gratia apud Tiberium viguerit.* Atque hac usus moderatione aequum se praebet saevissimis etiam tyrannis (cf. praeter judicium quod fert de Tiberio, veritatis aequitatisque gravissimum documentum, Ann. 6, 46 de Claudio; Hist. 2, 46 de Othone), et quamvis antiquae reip. summo desiderio studioque flagrans, agnoscit tamen et sui aevi commoda. Cf. Hist. 2, 38; 3, 51; Agric. 42; Ann. 1, 2; 3, 27. 28. 55 integerque de or. dial. V. infra.

1) Cf. Ann. 6, 1 cum vita Tiberii a Suetonio conscripta; Ann. 13, 31 — *pauca memoria digna evenere, nisi cui libeat laudandis fundamentis et trabibus — volumina implere, cum ex dignitate populi Romani repertum sit res inlustres annalibus, talia diurnis urbis actis mandare.*" Sed commemorat etiam ab aliis omissa, si cognitu haud absurda videbantur. Cf. Ann. 6, 7.

2) Ann. 14, 14 *Nero — nobilium familiarum posteros egestate venales in scenam deduxit: quos fato perfunctos ne nominatim tradam, majoribus eorum tribuendum puto.* V. Rupert. ad h. l.

tur[1]), quo denique omnes vitae humanae conditiones, etiam amicorum conjugumque mutuo amore sacras dijudicat altiora promens, quam quae ex antiquo homine exspectentur. Ita inter omnes antiquitatis Romanae dumtaxat scriptores proxime accedit ad eam rationem, quae, ex Chistianae fide praeceptis petita, nostris temporibus adhiberi solet in ejusmodi rebus dijudicandis. Quo magis mirari licet, haud paucos fuisse inde a Tertulliani aevo, mendacium loquacissimum vocantis nostrum, qui odium Judaeorum Christianorumque et falsa de cultu ac moribus eorum judicia[2]) opprobrio verterent Tacito. Nihil sane iniquius, cum eadem sentiant ceteri fere omnes ejusdem aetatis scriptores[3]), nulla tamen idcirco invidia petiti, haud aliam ob causam, quam quod his occasio deerat, fusius de his rebus disserendi. Quodsi Plinius, vir non minus morum integritate et clementia quam veritatis acerrimo

---

[1]) Ann. 16, 16 *detur hoc inlustrium virorum posteritati, ut, quomodo exsequiis a promiscua sepultura separantur, ita in traditione supremorum accipiant habeantque propriam memoriam.*

[2]) Cf. Ann. 15, 44; Hist. 5, 2 sqq.

[3]) Atque aliter vix poterant, cum et Judaei et Christiani summa pervicacia omne respuerent cum Romanis commercium in rebus ad cultum deorum moresque instituendos pertinentibus. Hinc Tacitus l. l. utrisque exprobrat „*odium generis humani*“ et „*adversus omnes alios hostile odium.*“ Neque est quod vitio vertas Romano homini cum invidia quadam de Judaeis dicenti „*nec quidquam prius imbuuntur quam contemnere deos, exuere patriam, parentes, liberos, fratres vilia habere?*“ Similia Plin. h. nat. 13, 9 „*gens contumelia numinum insignis;*“ Quintil. 3, 7, 21 de Moise „*primus Judaicae superstitionis auctor;*“ Cic. etiam pro Flacco 28 „*istorum religio sacrorum a splendore hujus imperii, gravitate nominis nostri, majorum institutis abhorrebat.*

studio insignis, Christianis, causa eorum accuratissime pertractata, objicit „*superstitionem pravam et immodicam*" et „*inflexibilem obstinationem*[1]," quid tandem Tacitum in invidiam adducimus, si, amici potissimum judicio fretus et nihil curans Philonis ac Josephi libros[2], et ipse exitiabilem adpellat Christianorum superstitionem? Ceterum in his quoque rebus summum prodit veritatis amorem, nunquam vulgi opinione et incertis rumoribus in studium iramque abreptus. Christianos non liberat solum crimine a Nerone insimulato, sed miseratur etiam saevissimum quod insontes perpessi sint supplicium. Haud immerito quidem Judaeos „*projectissimam ad libidinem gentem*" vocat, et magnam sane partem rectissime „*Judaeorum*, inquit, *mos absurdus sordidusque*," sed commemorat etiam veras eorum de numine divino cognitiones „*Judaei mente sola unumque numen intelligunt: profanos qui deum imagines mortalibus materiis in species hominum effingant; summum illud et aeternum neque mutabile neque interiturum; igitur nulla simulacra urbibus suis, nedum templis sinunt*[3])."

---

[1]) Plin. Ep. 10, 97.

[2]) Accurate hanc rem persecutus est Christ. Wormius in Corruptis Antiquitt. Ebr. apud Tacitum et Martial. vestigiis Hafn. 1693. Meierotto de fontib. T. p. 6 sqq. exprobrat Tacito non solum quod Josephum in Flavianum nomen adscitum eoque notissimum Romanis neglexerit, sed quod ne LXX quidem rationem habuerit, Romae in synagogis haud dubie obviorum. Sed si quo omnino contemptu tractaverint Romani Judaeos et quam vilia habuerint omnia quae ad superstitionem istam pertinerent, reputamus, eandem certe hujus incuriae veniam iis tribuemus, qua eos in rebus Carthaginiensibus perperam dijudicatis dignos putamus.

[3]) Cf. quae verissime in hanc rem disputat Süvern. l. l. p. 135.

Haud minus saepe Tacitus insimulatus est nimiae severitatis et amaritudinis cujusdam in suae aetatis moribus dijudicandis, nimiique quo priscorum temporum memoriam prosecutus sit studii [1]). Sed qui ita judicant, iniquum partium studium discernere nesciunt a justa indignatione. Neque quisquam est inter omnes antiquitatis scriptores, qui ea refellat, quae de sui aevi vitiis foeditatibusque Tacitus memoriae prodidit, cum ipse contra et ultima reipublicae quoque tempora perhorrescat [2]) et in veterum novorumque morum reputatione haud occulte profiteatur, jam pridem insitam mortalibus potentiae cupidinem cum imperii magnitudine auctam mores civium corrupisse [3]), in hoc uno fortasse cum Livio aliisque veterum minus aequus rerum judex, quod nonnunquam, Romani nominis gloriae nimium indulgens, res adversus barbaros gestas ultra veritatis terminos extollit [4]). — Est sane acerbi atque amari aliquid in tota, qua vitia foedasque pravitates suorum temporum plectit ratione [5]); ardentissimo contra studio ut omnes omnino, ita maxime priscae aetatis virtutes amplectitur, atque desiderio earum commotus cum intimi animi dolore et suorum vitiis consenescentia inge-

---

[1]) V. Ruperti prooem.; Ferd. Roth in libello supra laudato; Gordon l. l. Disc. 2. sect. 7 - 11.

[2]) V. locos supra allatos et quae ibi de aequitate ac moderatione scriptoris dicta sunt.

[3]) Hist. 2, 37. 38.

[4]) Ita Ann. 1, 63 *manibus* inquit *aequis abscessum*, cum ex sequentibus pateat, Romanos si non pulsos fugatosque, at certe ut castra retro moverent coactos fuisse. Cf. Sūvern. l. l. p. 82. Recte fortasse Lipsius id quoque monet ad Ann. 12, 40 *ne feminae imperio subderentur* „Tacitus in suis moribus, non in Britannorum fuit, cum haec scriberet.“

[5]) V. e. g. Ann. 3, 65. 76. Germ. 19; Agric. 2.

nia et Germanorum minas integris illibatisque viribus validas [1]) reputat; sed qui ideo laudi Taciti aliquid detrahi putet, qui non hanc ipsam ob causam summo studio, summo amore, summa denique veneratione prae ceteris omnibus rerum scriptoribus Tacitum esse dignissimum judicet, eum ab hoc sanctissimo vate procul arcendum et ad Floros, Suetonios ceterorumque ejusdem generis levissima ingenia amandandum esse censuerim [2]).

Quodsi, ut haec etiam paucis attingamus, in eo veritatis leges migravisse dicunt Tacitum, quod in egregia Galgaci oratione [3]) non barbarum sed Romanum, et eum quidem artis oratoriae praeceptis perpolitum induxerit loquentem [4]), haud sane animum intenderunt in Livianas aliorumque scriptorum orationes, quae, cum apud Tacitum praeter illam hujus generis vix ullam inveneris, omnes paene non dicentis sed ipsius auctoris animum ingeniumque reddunt. Atque ea omnino harum orationum ratio est, ut magis ad compositionis artem quam ad ipsum rerum gestarum complexum pertineant, chorisque tragicorum consimiles non ipsam actionem, sed quomodo rerum causas atque eventus animo conceperint auctores, exprimant [5]).

---

[1]) Cf. integrum de Germ. libellum, praecipue cp. 19 et 33.

[2]) Verissime Plin. Ep. 4, 20: *Dolori* inquit *sublimitatem et magnificentiam ingenium, ingenio vim et amaritudinem dolor addit.*

[3]) Agric. 30 sqq.

[4]) Notum est, jam Cratippum in Thucydide aequali suo vituperasse orationes historiae insertas quasi molestas legentibus.

[5]) „*Tacitus orationes immiscens narrationi totus pendet e more veterum, qui quidem non religiosa fide quae dicta sint, sed quae dicta esse vel dici potuisse verisimile sit, pro genuina oratione, itemque codicillos literasque non*

Ita igitur nullam facile earum virtutum desideramus in Tacito, quae, si ipsas primum res, non scribendi genus, quo eas expresserit, spectamus, laude dignum efficiunt scriptorem. Verum enim vero magnum, admirabilem, altissimis tantum omnium aetatum atque nationum ingeniis comparandum se nobis praebet mirifica illa compositionis arte, qua si non cunctos omnino at Romanos certe omnes praecellit rerum auctores[1]). Namque si is arti finis est propositus, ut singula quaeque in unum quasi corpus artibus suis commode pulchreque expressum colligens atque componens vitae ipsius non imaginem solum sed faciem exprimat, in eaque certam finibusque suis circumscriptam actionis cujusdam cum formam tum indolem exhibeat, summis haud dubie Tacitus artificibus est adnumerandus. Annales ejus historiasque legentes ubi quae singuli meliore aevo digni conantur contra principum saevitiam morumque communem corruptelam, ad irritum cadere videmus, simul tamen sub malis etiam principibus bonos fortesque viros esse posse perspi-

---

iisdem verbis, sed quam in formam fuerint concepta, ejus summam tradiderit. — Nec ipse rationem suam in his tradendis dissimulat; cf. haec taliaque 2, 38: 14, 49; 15, 63; verba ejus in hunc modum fuere 1, 58. ad hunc modum 2, 37. 71; 3, 49. 52; 4, 34; 6, 8; 34, 43; his ferme verbis usus est 2, 38; hujusmodi orat. habuit 4, 37; Nero sic ferme respondit 14, 55 *cet.*" Wachsmuth. animadverss. in Taciti hist. exped. Germanici in Germ. Kiliae 1821.

[1]) Brevius rem omnium quae huc pertinent gravissimam tractamus, cum vir inter paucissimos ingenio studioque compositus ad Taciteae artis indolem penitus introspiciendam egregie prorsus hoc munere functus sit. Süvernii dico librum saepius jam laudatum, quem ut non legant solum, sed perdiscant etiam, omnes Taciti amatores monitos volo.

cientes, ubi fortunam, fatum, deos ipsos[1]) miro nec unquam satis cognito mortalibus modo regere cernimus varios rerum humanarum casus, in annalium libris contemplati funestum Juliae gentis exitum, in historiis summam vacui jam debilitatique principatûs denuo confirmandi contentionem: nonne tragicam aliquam compositionem quales sunt Aeschyli, Sophoclis, Euripidis, legere nobis videmur; non oculis nostris obversatur Niobes tristissima imago, non horrore quodam perfundimur velut Laocoontis adspectu diros serpentium nodos disrumpere frustra tentantis? Est vero dignum Tacito, dignum etiam Romani imperii majestate consilium tantae artis studio adhibito exponere, quo fato, quibusque rerum casibus „*jam pridem praevalentis populi vires se ipsae confecerint*," quibus et civium et principum vitiis immortalium deorum poenam suppliciumque provocantibus ingens imperii moles in praeceps ruere coeperit. En iterum Scipionem non altae Carthaginis fato jam functae ruinis, sed Romae ipsius jam jam collabentis solo insidentem pa-

---

[1]) Ominibus etiam portentisque fidem quandam tribuisse Tacitum recte monet Süvern. respiciens ad Hist. 1, 3; Hist. 2, 50; Ann. 12, 64; Ann. 15, 47; Hist. 2, 4: Ann. 4, 58. Idem jure contendit tales locos, quales sint Ann. 13, 17. 41; Hist. 1, 86; Hist. 4, 26; Ann. 14, 12; Ann. 15, 74; Hist. 1, 10, non contradicere illis, nihilque aliud probare nisi Tacitum non omnia divinitus missa credidisse quae vulgo prodigia habita fuerint. Hist. 1, 4 fortunae quidem multum ab eo tribui, ita tamen ut eam non diis fatove opponat, sed ad ipsas tantum rerum humanarum rationes fortunae obnoxias respiciat. Uno dumtaxat loco Ann. 16, 33 percitum eum perculsumque quasi horrore Neronianae saevitiae ab illa Stoicae disciplinae, quam maxime sequebatur (Hist. 4, 5; Ann. 14, 59 non refragantibus locis Ann. 16, 32, Hist. 3, 81), pietate recessisse et ad Epicureorum casum refugisse.

triaeque excidium lacrimis obortis vaticinantem adspicimus Tacitum, eumque non quaesito ac longe arcessito studio sed undique obviis et tali ingenio sponte se offerentibus rerum formis tam praeclaram omnibusque partibus absolutam convulsae et collabefactae patriae imaginem meditantem. Neque minorem quam in Olympici Jovis statua Phidiam, in divinis suis tragoediis Sophoclem, ad singula etiam componenda et suo quaeque loco proponenda artem eum adhibuisse videmus. Prologo cum historiis tum annalium libris praemisso, quo non argumentum solum totius operis, sed tota ejus ratio atque indoles brevi indicetur adumbratione, per omnes quasi actionis stationes et ad ipsas res et ad artis leges apte congruenterque dimensas modo citato modo remisso atque inhibito gradu legentium ducit animos, et ita depingit hominum rerumque ab iis gestarum ingenia formasque, ita sive pugnas urbiumque oppugnationes sive quae in senatu, in principum palatiis, in privatorum domibus acta sint, exponens, vitam ipsam quamvis variam atque commotam exprimit, ut omnia ista nostris oculis adspicere iisque ipsi interesse nobis videamur. Atque has tantas orationis virtutes non fuso alteque repetito dicendi genere, sed summa nihil nisi ipsius ingenii quantumvis reconditi imaginem reddente brevitate adsecutus est. Vix ea verba esse credideris, quae rebus sensibusque exprimendis inserviant, sed ipsa ingenii lumina, omnes vel intimos concisi abruptique nonnunquam sermonis recessus collustrantia. Recte igitur Muretus [1]) *nullum unquam scriptorem* ait *prudentiorem ac consideratiorem fuisse, siccam et sobriam esse illius orationem, adstrictam verbis, densam sententis, nihil in ea*

[1]) Orat. 2, 13.

ea notari posse diffluens, nihil inane, nihil redundans: singulis saepe verbis singulas sententias contineri." Sed de his quidem satis hic dictum esse putamus, alio loco fusius accuratiusque exponendis. Verum ut ea refutavimus, quibus Taciti fidem morumque simplicitatem nonnulli in dubium vocare conati sunt, ita, priusquam de stilo ejus disserturi ad ipsum suscepti operis propositum accedamus, de iis pauca addenda esse videntur, ob quae sermonem Taciteum multi reprehendendum censuerunt.

„*Vitia ab illa aetate ei adspersa sunt, quae longe desciverat tam a venustate cogitandi quam a vera et exquisita loquendi lege et ratione: quo refero artis, doctrinae, ingenii et eloquentiae ostentationem, vanum ornatum, archaismorum, figurarum, idiotismorum, et poeticarum graecarumque dictionum frequentiam, — abruptum sermonis genus, adfectata sententiolarum acumina et argutias, inaequalitatem orationis, lusum recentioremque aut inusitatam significationem, transpositionem atque copulationem verborum, insolentiorem temporum modorumque usum, et perpetuam constructionis in singulis membris variandi consuetudinem, antiquae meliorique aetati haud probatam*[1])." Quae omnia in alium potius quemlibet argenteae aetatis scriptorem quam in Tacitum cadere dicet, quicunque omni liber partium studio cum istis nostrum contenderit, siquidem pravum perversumque harum re-

---

[1]) Ruperti in Prooem ad T. Annal. Cf. On the character and talents of an accomplished Historian, with an application to the writings of Tacitus; by John Hill; in Philosophical and historical transactions of the Royal Society of Edinburgh Vol. I, 4. et contra ea Taciti sermonem defendentes observationes criticae de C. Corn. Tac. stilo auct. Buhle Brunsw. 1817.

rum studium, non virtutes stili in iis, si accuratius perpenderis, latentes observare velit. Nam artis, doctrinae, ingenii et eloquentiae ostentatione, vani ornatus, sententiolarum, argutiarumque et verborum inanis lusus affectato studio, quorum vix sana mente praeditus quisquam serio insimulaverit Tacitum, prorsus repudiatis, si cetera saepius etiam apud nostrum quam apud alios plerosque invenimus, sed ita adhibita, ita reliquae orationi admixta, ut neque Latini sermonis, ne veteris quidem, leges migrasse, et summum praeterea stilo gravitatis majestatisque decus adstruxisse videatur, quid, quaeso, est quod ob eam rem Tacitum reprehendamus? Sunt sane multa in ejus oratione contorta propemodum atque abrupta brevitate obscuriora; multa, quae a vulgari loquendi consuetudine recedunt, attentiorem requirunt lectorem; sed ut lactea ista Livii ubertas, mira Ciceronis perspicuitas oblectat legentium animos et quasi sponte oblata ac sine magno labore parta voluptate permulcet, ita Taciti brevitas obscura quidem, sed nunquam injucunda, nunquam ingenii acumini impenetrabilis[1]), cum omnes legentium vires intendat nec unquam otiosum esse patiatur animum[2]), sed novis usque contentionibus exerceat ad altissimas pulcherrimasque sententias penitus imbibendas, haud sane minore, immo nunquam perituro et, quod maximum est, ad bene beateque vi-

[1]) Egregie prorsus Muretus or. 2, 14 „*hoc* inquit *quasi velum est quod profanis obtenditur*“ et paullo ante: „*Equidem cum istos de obscuritate Taciti querentes audio, cogito quam libenter homines culpam suam in alios conferant, quantoque facilius omnia alia accusent quam semetipsos.*“

[2]) Gordon l. l. perquam scite orationem Taciti comparat velamento Poppaeae Sabinae, quo ipse eam dicat velatam fuisse parte oris, ne satiaret adspectum vel quia sic decuerit.

vendum profuturo gaudio implet atque perfundit eorum animos, qui non quasi ad dumeta spinis horrida, sed velut ad sanctissimum lucum, dubio quidem sed sacro lumine sublustrem, accedunt ad Taciti libros perlustrandos.

Rectius profecto crimini dari potuisset Tacito quod multi in laudem ejus adferre solent, imitationem dico prioris aevi scriptorum, maxime poetarum, quorum isti et sermonem et sententias ad verbum eum nonnunquam reddidisse contendunt. Sed horum perversam plane esse sententiam facile demonstrabimus, si falsa prorsus de ratione, qua veteres scriptoribus suis legendis operam dederint, eos sibi confinxisse ostenderimus. Poetis quidem Romanorum et ante Augusti aevum et ea ipsa aetate si ipsa saepe verba Graecorum exemplorum reddiderunt venia non est deneganda, multo etiam minus quam nostris olim Gallos Batavosque imitantibus. Sed si Ciceronem jam Latini sermonis fines extendisse suo ac peculiari modo confitemur, si Sallustium, Livium, alios legisse quidem suos, sed non illa dumtaxat ratione, singulos quasi flores excerpentes suisque inserentes, expressisse ipsis verbis concedimus, quanta adficeremus injuria eum scriptorem, qui inter omnes maxime suus est, suoque ingenio utitur in conformando orationis genere, si, ut isti volunt, eum e Lucretio, Virgilio, Sallustio, Livio, Cicerone, Thucydide consilio ac de industria quaedam deprompsisse putaremus [1]). Alia vero res est imitari, alia

[1]) V. Ernesti innumeris commentarii ad Taciti libros locis; Ruperti ad Annal. p. 378. 552; Gronov. ad Hist. 2, 10; Wernicke de elocutione Taciti (Thoruni 1829) §. 2; Hess. variae lectt. in Germ. commentat. I p. 36. 39; Hertel ad Agric. 37; Roth. synonyma Taciti p. 39; Walch. ad Agric. cp. 12 p. 201. Cf. etiam Süvern. l. l. p. 135, qui tamen nihil dicit nisi obversatum esse Tacito (Hist. 1, 2. 3) locum Thucydideum 1, 23.

legendi studio ac diligentia efficere, ut sponte et nulla data opera optima et pulcherrima quaeque ex clarissimorum ingeniorum monumentis redundent in nostram dicendi scribendique rationem. Atque ita Tacitum quoque stilo suo conformando perpoliendoque operam dedisse perspiciet, quicunque eum cum aliorum dicendi genere accuratius comparaverit. Secutus autem in hac re videtur Quintiliani praecepta sapientissima, dicentis[1]): „*Ego optimos quidem, et statim, et semper, sed tamen eorum candidissimum quemque, et maxime expositum, velim, ut Livium a pueris magis quam Sallustium: et hic historiae major est auctor; ad quem tamen intelligendum jam profectu opus sit. Cicero, ut mihi quidem videtur, et jucundus, incipientibus quoque, et apertus est satis, nec prodesse tantum, sed etiam amari potest: tum (quemadmodum Livius praecipit*[2]) *ut quisque erit Ciceroni simillimus. Duo autem genera maxime cavenda pueris puto; unum, ne quis eos antiquitatis nimius admirator in Gracchorum Catonisque et aliorum similium lectione durescere velit: fient enim horridi atque jejuni; — alterum, quod huic diversum est, ne recentis hujus lasciviae flosculis capti voluptate quadam prava deliniantur, ut praedulce illud genus, et puerilibus ingeniis hoc gratius, quo propius est, adament. Firmis autem judiciis, jamque extra periculum positis suaserim* et antiquos legere (*ex quibus si assumatur solida ac virilis ingenii vis, deterso rudis saeculi squalore, tum noster hic cultus clarius enitescet*) et novos, quibus et ipsis multa virtus adest. *Neque enim nos tarditatis natura damnavit: sed*

---

[1]) Quintil. 2, 5, 19 sqq.

[2]) Cf. Spalding ad hunc locum et 10, 1, 39.

dicendi mutavimus genus, et ultra nobis quam oportebat indulsimus. ita non tam ingenio illi nos superarunt, quam proposito. Multa ergo licebit eligere: sed curandum erit, ne iis, quibus permixta sunt, inquinentur. Quosdam vero etiam, quos totos imitari oporteat, et fuisse nuper, et nunc esse, quidni libenter non concesserim modo, verum etiam contenderim?" Quibuscum conferantur quae ipse noster rectissime judicat de veterum recentiorumque scriptorum indole in dialogo de oratoribus. Tacitum eloquentiae studiosissimum Ciceroni legendo operam multam navasse, plurimis probatur verbis atque constructionibus, quae ei cum hoc potissimum communia sunt. Cf. e. g. *abdere, avere, complementum, effector, elinguis, grandis, inclinatio, individuus, indolere, inexhaustus, inglorius, ingravescere, incus, ingredi, introspicere, libido, lubricus, profluere, sanctimonia, torus, virginitas.* Et quanto in honore hac aetate fuerint Ciceronis libri, Plinius auctor est in h. nat. praef. ubi dicit „*Ciceronis volumina de republica, consolatio filiae, de officiis ediscenda, non modo in manibus quotidie habenda.*" Magnum haud dubie studium tribuit Sallustii Liviique historiis, et maxime stilum eorum laudibus extollit Ann. 3, 30; Agric. 10. Quae Seneca [1]) in universum de Sallustii imitatoribus, nominatim de Arruntio tradit, in Tacitum etiam cadunt ita, ut multa ex hujus scriptoris oratione stilum ejus traxisse dicamus, nisi quod minus antiquitatis eum studio indulsisse apparet. Ad Livium cum

---

[1]) Epist. 114 *Haec vitia unus aliquis inducit, sub quo tunc eloquentia est; ceteri imitantur, et alter alteri tradunt. Sic Sallustio vigente amputatae sententiae et verba ante exspectatum cadentia, et obscura brevitas fuere pro cultu. Arruntius vir rarae frugalitatis, qui historias belli Punici scripsit, fuit Sallustianus et in illud genus nitens.*

tacitus nonnunquam respicit (cf. Ann. 4, 32) tum ex acerrimo continuoque ejus studio dicendi quaedam genera adsumpsit ab eo frequentata, ut „*haec atque talia, non alibi magis, non alias magis, annus habuit consules*“ et ejus generis plura. Nec mirum, cum Quintilianus et Plinius natu minor, quorum judicio multum videtur tribuisse Tacitus, summa laude prosecuti sint eloquentissimum rerum Romanarum auctorem. Cf. praeter locum supra jam laudatum Quintil. 10, 1, 101: „*neque indignetur sibi Herodotus aequari Titum Livium, cum in narrando mirae jucunditatis clarissimique candoris, tum in concionibus supra quam enarrari potest eloquentem. Ita quae dicuntur omnia cum rebus tum personis accommodata sunt: affectus quidem, praecipue eos qui sunt dulciores, ut parcissime dicam, nemo historicorum commendavit magis;*“ Plin. Ep. 2, 3: „*Nunquamne legisti, Gaditanum quendam Titi Livii nomine gloriaque commotum ad visendum eum ab ultimo terrarum orbe venisse, statimque ut viderat abiisse?*“ Ep. 6, 20 *Posco librum Titi Livii, et quasi per otium lego, atque etiam ut coeperam excerpo.*“ Neque est quod dubitemus nostrum eadem factitavisse, et majore etiam studio, majore diligentia. Et in eo quoque secutus est Livii maxime exemplum, quod ex optimis sui praeteritique aevi poetis, et oratoris et historici officio, ut tum quidem eruditorum erat judicium, satisfacturus, non ornamenta quaedam quaesito arcessivit studio, sed crebro lectitando versus eorum, cum ex iis sponte sua pulcherrima quaeque sequerentur, stilo suo decus adstruxit haud contemnendum. „*Exigitur enim jam*“ ea ipsius sunt verba e dialogo de oratoribus cp. 20 deprompta, „*exigitur enim ab oratore etiam poeticus decor, non Attii aut Pacuvii veterno inquinatus, sed ex Horatii et Virgilii et*

Lucani sacrario prolatus." Et eadem constat cum Livii, tum magis etiam Taciti temporibus quasi maximum orationis ornamentum historicos quoque spectasse. Sed ut in ceteris omnibus, quae ex aliis videri possit delibasse, perlucet atque emicat propria ingenii vis, ita in poetico maxime stili ejus colore dijudicando probe tenendum est, ipsum Tacitum non solum poetam sed magnum, excelsum, sublimem poetam fuisse. Inter Thucydidem ac Tacitum, ut de his quoque paucis disseramus, magnam intercedere etiam in dicendi genere similitudinem, facile apparebit cuique, qui cum altero alterum contulerit. Neque etiam dubium est, diu multumque eum versatum esse in ejus scriptoris lectione, qui, cum multis et optimis quidem Romanorum historicis exemplar quasi esset, quod ut assequerentur frustra operam dabant, inter omnes omnium temporum scriptores nullum habet tam sui similem quam Tacitum [1]). Tanta utriusque est ingenii vis, tanta animi altitudo, tam apta rerum magnitudini utriusque oratio, tanta denique etiam in iis quae vituperari solent ab imperitis, praecipue in concisa ista et subobscura brevitate similitudo, ut quae de Thucydide veteres judicarunt per omnia etiam in Tacitum adhiberi queant [2]).

Iam expositis quae de Taciti vita scriptisque et de virtutibus, quibus in componenda historia excellat,

---

[1]) V. Friderici Rothii libellus ingeniosissime conscriptus.

[2]) Cf. Cic. de or. 2, 13 *Thucydides omnes dicendi artificio, mea sententia, facile vicit, qui ita creber est rerum frequentia, ut verborum prope numerum sententiarum numero consequatur: ita porro verbis aptus et pressus, ut nescias, utrum res oratione, an verba sententiis illustrentur.* Quintil. 10, 1, 73 *Densus et brevis et semper instans sibi Thucydides.*

dicenda esse videbantur, ne fundamento quasi careret de stili ejus indole et forma dissertatio, ad hanc ipsam accedentes paullo altius rem expediemus[1]).

Scriptoris alicujus stilum cum prioris aetatis dicendi genere comparaturis imprimis videndum est, quatenus patrii sermonis legibus obsecutus fuerit. Cujus rei disquirendae una exstat analogiae quam dicunt ratio, cum in ea omnis omnium linguarum nitatur conformatio[2]). Atqui in omnibus quae quis cogitatione amplexus est quorumve sensum aliquem concepit exprimendis magna vis est ejus quo natus atque eruditus est temporis, eoque quasi vinculo oratio, quantumvis sua et peculiari indole praedita, adnexa et conjuncta est ei quae priori aevo obtinuit dicendi rationi. In ejus igitur, cujus quisque est, aetatis sermonem inquirere debebit is, qui, quid huic, quid contra uni alicui scri-

---

[1]) Cf. Lundblad Dissert. de stilo Corn. Taciti. Lund. 1789; Buhle observationes criticae de Taciti stilo. Brunsw. 1817; Lud. Roth synonyma Taciti 1826; Günther über einige grammatische Eigenheiten und Merkwürdigkeiten des Taciteischen Styls in Wachsmuthii Athenaeo II, 2. Wernickii comment. supra laud.

[2]) V. Quintil. 1, 6, 3; *consuetudo certissima loquendi magistra: utendumque plane sermone ut nummo, cui publica forma est. Omnia tamen haec exigunt acre judicium:* analogia *praecipue, quam proxime ex Graeco transferentes proportionem vocaverunt. Ejus haec vis est, ut id, quod dubium est, ad aliquid simile, de quo non quaeritur, referat, ut incerta certis probet.* Cf. 9, 3, 1 *Verborum vero figurae et mutatae sunt semper, et, utcunque valuit consuetudo, mutantur. Itaque si antiquum sermonem nostro comparemus, paene jam quidquid loquimur figura est: ut „hac re invidere," non, ut omnes veteres et Cicero praecipue „hanc rem"* cet. 8, 3, 34 *et, quae vetera nunc sunt, fuerunt olim nova, et quaedam in usu perquam recentia.* Cic. Partitt. 18, 6 *ut in simplicibus verbis quod non est latinum, sic in conjunctis;* quod non est consequens *vituperandum est.*

ptori proprium sit, discernere volet. Tum vero res est maximi momenti videre, in quo orationis genere cujusque versetur stilus, cum alia sit poetae, alia oratoris dicendi scribendique ratio, cum aliter historia, aliter epistola, aliter dialogus componatur[1]). Itaque summa diligentia, quid universo generi, quid unicuique scriptori tribuendum sit, perscrutari debebimus. Quae quidem omnia ad analogiae quam supra diximus legem exigenda erunt, ut veram ac genuinam stili, quo quisque usus est, indolem perspicere et insolenter etiam dicta ad aliquam vulgaris sermonis similitudinem referre liceat. Atque in hunc modum non singula tantum verba, significationis praecipue quovis fere aevo variantis ratione habita, sed eorum etiam structura et collocatio atque omnia omnino, quae ad artem grammaticam pertinent, inquirenda sunt.

Quodsi ad Tacitum praecepta illa legesque referimus, longe plurima, etiam insolentiora, ei cum priorum temporum scriptoribus, praecipue cum historicis communia esse intelligimus, multa tamen, quae a vulgari loquendi genere in ejus stilo plane recedunt, et

---

[1]) V. Walchii Emendatt. Liv. p. 3 sq. „*Facile intelligas, ad alia eum (Livium) quam quae vulgus putat, bene dicendi praecepta artemque direxisse. Neque reperias scriptorem, qui adsuetum Tulliana concinnitate lectorem deludat frequentius; cujus in tanta dulcedine major sit orationis durities, periodorum vel tortuoso ambitu (saepe etiam imperfecto), vel juncturae quaesita negligentia; in quo offendat crebrior in similiter cadentibus verbis, vel bis, ter, quater in brevi enuntiatione repetitis incuria; in quo denique tot e vetustate adsumta, vel ex imitatione Graecorum nove et cum periculo dicta insolens quid et peregrinum sonent.*“ Et simillima ratio est cum ceterorum omnium historicorum, tum Taciti. Quo magis mirari licet perversitatem, prope dixerim vecordiam eorum, qui stili Latini praecepta tradentes, unum Ciceronem sequuntur atque ultra hunc non audent sapere.

apud Augustei aevi poetas et apud argenteae aetatis scriptores eodem modo usurpata videmus, haud exiguum denique eorum invenimus numerum, quae sua sibi solus vindicat Tacitus. Quae cum in ipso hoc libro singula accuratius proposita et explicata sint, operae tamen pretium fuerit, hoc loco, omnium quasi summa exhibita, exemplis probare quae modo dicta sunt, et sejuncto verborum recensu explicatuque a grammaticis stili praeceptis, quae in operis ipsius contextu vocabulis inserere praetulimus, suo quaeque loco disponere atque ita stili Tacitei ipsam velut faciem praestare. Ceterum ea erit hujus consilii ratio, ut, ubi cetera omnia, accuratissime servato ordine instituto, strictim modo et quasi in transcursu percensuerimus, de iis, in quibus maxime vertitur Taciteі sermonis proprietas, de varietate ejus, brevitate et poetica indole, enucleatius fusiusque dicamus, cum ea minus commode ipsi operi intexere potuerimus.

I. Verba ipsa paullo etiam insolentiora cum per se spectata tum significationis et juncturae ratione habita, apud Tacitum eandem plerumque vim retinent, quam habent apud prioris aevi scriptores, nisi quod ea in universum minus saepe ab his usurpata esse videmus. Ea omnia hic recensere, quae apud Ciceronem etiam, Livium, Sallustium alios ejusdem aetatis leguntur, supervacuus sane ingratusque foret labor, cum singula quaeque in ipso libro inspiciendi suo loco potestas sit. Unum hoc indicasse satis erit, eorum, quae, sive ipsa per se spectes, sive ad significationem juncturamque respicias, minus usitata apud nostrum legantur sed inveniantur etiam apud priores solutae orationis auctores, sexcenta amplius digna visa esse quae in lexicon nostrum reciperentur, eorumque majorem partem Ciceronis et ejusdem generis scriptorum orationem reddere, multa apud Livium,

Sallustium aliosque rerum auctores si non Augusteae aetatis at certe paullo serioris, apud Vellejum videlicet, eodem fere modo usurpari.

Quae autem longius recedunt a vulgari scribendi genere haec fere sunt:

1. Quae apud prioris aetatis poetas leguntur

a) cum ipsius formae tum juncturae habita ratione:

adnuere aliquid
aegrescere
aggerare
ambedere
aras adolere
ardescere
brevia
cadere ab aliquo
celerare aliquid
circumponere
comitari (sine casu)
concubinus
conterminus
contiguus
convectare
crebrescere
cupitum (subst.)
dare (cum inf. et *ut*, *ne* particc.)
decor
densēre (pro *densare*)
desertum (de loco deserto)
desolatus
didere
eburnus
emptitare
evalescere
evincire
excoquere
exspes
exstimulare
exuberare
facilis (cum infin.)
fatiscere
feralis
ferox scelerum
festus (non solum ad diem pertin.)
fidus (poet. junct.)
figere domos
flere aliquid
grandaevus
gravescere
jacere oscula
immotus
impellere (cum infin.)
impervius
impexus
implexus
inausus
incumbere (cum infin.)
incustoditus

indecoris
indigus
indiscretus
indistinctus
inemptus
injectus, us
innectere
inritamentum
insatiabiliter
insenescere
insurgere
intemeratus
inviolabilis
junctissimus
lenimentum
lentescere
Liburnus
ligare
livere
magniloquus
malle (cum ablat.)
marcidus
meatus
medio (pro *in medio*)
mercimonium
mersare
ministrare velis
monstrator
notescere
nullum (nulla res)
obliquare
occursus, us
partire (pro *partiri*)
penetrabilis
pervigil
pervincere aliquid
placitus (adjective)
praesagus
praesumere
proculcare
prolicere
properanter
properus
propinquare (sine casu)
propitiare
provisor
puellaris
radiare
ramale
rebellis
receptare
reclinis
recludere
recursare
refugus
refusus
regnator
resumere
revelare
rigor
rumpere (poet. junct.)
secundare
sinistre
sinuare
solidare
sonor
suffugium
tabum et *tabus*
temnere
tenuare

transmovere
tremor terrae
triumphare aliquem
truculentia
trudis
undare
valescere
velamen
Vestalis (adject. praeter vulg. *V. virgo*)

b) significatione poetis illis usitata:

amittere i. q. omittere
ampliare i. q. augere
anteponere propr. sign.
asperare transl. sign.
beatus de rebus inanim.
circumfluus passive
componere i. q. sepelire
congestus, *us* i. q. congeries
consonare i. q. resonare
contaminatus de pathico
crudus i. q. viridis
cura de libro
decorus i. q. pulcher
decora lecta i. q. corpora l.
demissus i. q. originem trahens
deterere de rebus ad anim. pertt.
dilaniare transl. sign.
distare de tempore
educere i. q. exstruere
eruere i. q. evertere
evictus de affectu
excerpere i. q. prae ceteris nominare
exercere i. q. colere
exigere i. q. degere
eximere de exceptione
expedire i. q. exponere
expendere i. q. examinare
exsolvere i. q. exonerare
fabula i. q. rumor
famosus i. q. πολύφημος
ferratus i. q. ferro armatus
ferre i. q. nuntiare
flagitium i. q. efflagitatio
foedare i. q. vulnerare
frequentare i. q. saepe facere
gestare i. q. adferre
hebere transl. sign.
imago i. q. conspectus, facies
inexpertus active
inficere sign. propr. i. q. *imbuere*
informis transl. sign.
inludere i. q. ludendo perdere
inritus de hominibus
inserere se i. q. se immiscere
intentatus i. q. non tentatus
intumescere transl. sign.
laniare transl. sign.

mancipare i. q. vendere
numerus cum contemptu
obdere i. q. opponere
obtendere sign. propria
percolere i. q. valde colere
pervincere i. q. vincere
piger de aqua
praestringere propr. sign.
praetendi propr. sign.
puerperium i. q. partus
quatenus ad causam pertin.
quatere i. q. vexare
raptor qui ad stupr. vel matrimon. aliq. rapit
reponere i. q. reficere
resultare i. q. resonare
resurgere sign. propria
revincere i. q. vincere
revirescere sign. propria
revocare i. q. retractare
revolvere i. q. reputare
scandere transl. sign.
scindere ad diverss. animi adfectus pertinet
scriptura de libro
securus i. q. negligens
sinister i. q. malus
sistere sign. max. partem poet.
species de acie oculorum
sternere transl. sign.
tabidus i. q. tabem afferens
terga i. q. fuga
tristis i. q. saevus, minax
triste substant.
trudere propria sign.
venire i. q. redire

2. Quae Tacitei aevi propria sunt (Vellejum prioribus adnumeravimus).

a) ipsa forma vel junctura a veterum stilo recedentia

abolitio
actor publicus
adfectatio
adprimere
adstrepere
adsultare
audenter
audentia
auditorium
augurale
auxiliator
blandimentum (singulari num.)
circumstrepere
commanipularis
comperendinatio
defector
dehonestare
delator
deserere (sine casu)
dissociatio
diversitas

edurare
enormis
enotescere
evilescere
excrescere
excusatius
exosculari
expassus
exsecutio
extundere
exundare
firmator
flammeum
fraternitas
habere dicendum
homicidium
imaginari
imaginatio
impatienter
impatientia
incendiarius
inclarescere
inconcussus
incumbere transl. s. cum dat.
incuriosus
incussus, us
indubius
inhonorus
inquietare
instantior
interstinctus
invidere alicui aliqua re
ligamentum
mansitare
obstringere sine casu et cum acc. i. q. affirmare
perinde — quam
pernotescere
placamentum
praejacere
praeminere
praetextum
professor
progener
queritari
rebellatio
recreare (inusit. junct.)
repercussus, us
reputatio
rescriptum (substant.)
restringere
reverenter
rutilans
salarium
scholasticus
sellarius
sic — quomodo
spintria
sponte (cum genitivo)
stimulatio
superstruere
superventus
temperare (sine casu)
textus, us
tractare absolute
transmeare
valetudinarium
viduatus

b) significationis potissimum ratione habita:

adductus i. q. rigidus, severus
adhuc comparat. additum
advocatus i. q. patronus
alioquin i. q. in universum
antiquarius i. q. antiq. studiosus
auctor i. q. scriptor
circa i. q. in, quod attinet
circumire περίφρασιν exprim.
clementer de collibus
codicilli de petitione
compendium i. q. via compendiaria
competere i. q. consentire
confusio de hominibus
congruens i. q. conveniens
conventio de pacto
dare absol. pro „sententiam dicere"
denubere ita nub., ut dedecus inde oriatur nubenti
desiderium i. q. postulatum
devotio i. q. mortis per carmina imprecatio
distrahere i. q. vendere
districtus i. q. severus
durare i. q. perseverare
ejurare i. relinquere
eniti sine casu i. q. parere
evalescere i. q. crescere
excedere sine casu i. q. *egredi relationem* et *mori*
extraneus qui ad famil. domumque non pertinet
fabula i. q. confabulatio
famosus i. q. *εὔφημος*
formidolosus activa sign.
frequens i. q. usitatus
gentilis de nationibus
histrio i. q. pantomimus
ignominiosus de hominibus
implexus transl. sign.
inauditus sign. judiciali
incipere de imperii initio
indiscretus qui avelli non potest
inferius de dignitate
ingenium Einfall, Laune
injucundus de sermone
intercipere i. q. interficere
jurisdictio de ipso conventu
libertus i. q. libertinus
maleficium de incantamentis
meatus de aquae tractu
medicamen de veneno
obtendere i. q. praetendere
obumbrare transl. sign.
obvius i. q. promptus, facilis
operire i. q. celare
opinio simpl. de favore
pagani i. q. cives, Quirites

pa-

patientia vario modo recedit a vulg. sign.
pax Romana pro *imperium Romanum*
percolere i. q. exornare
pervicacia et *pervicax* etiam in bonam accip. partem
pignora de liberis, cognatis et affin.
positio de regione et coeli tractu
praecipuus i. q. aptus
praedurus propr. sign.
praetextus i. q. species, i. e. majestas, auctoritas
praetorium i. q. praetoriani
primipilaris sc. centurio
procurator i. q. provinciae praefectus.
prolatare i. q. extendere
provenire i. q. bene procedere
puerperia i. q. liberi
purus de oratione
reciprocus de maris aestu
rector latiore sign.
referre i. q. perferre
rigor transl. ad anim. sign.
seponere i. q. relegare
sexus κατ᾽ ἐξοχήν muliebris sex.
signum i. q. tessera, Losung
sinus i. q. latebrae et de tractu s. regione
speculatores de peculiari praetorianorum ordine
studere absol. de litt. studio
superesse i. q. superstitem esse
supergredi i. q. vincere
tesserarius sign. militari
traditio i. q. narratio
transigere cum aliqua re
tribunal i. q. tumulus
uterus de ventre dolii
velamentum transl. sign.
velare transl. sign.
veneratio i. q. majestas
vernilis i. q. servilis, transl.
vincire i. q. in vincula conjicere

c) praeterea apud solos poetas hujus aevi inveniuntur:

adcursus, us
ambire cum infin.
annus i. q. proventus anni
distinctus, us
flammare
framea
gestamen de rebus quibus aliquid gestatur
honorus
insumere i. q. adsumere.

propellere tranl. sign. i q. impellere
proruere intransit.
raptus i. q. rapina
regere sine casu i. q. imperare
sidere transl. sign.
transigere i. q. transfigere
transire i. q. interire, praeterlabi, non sol. de tempore
transmittere i. q. transire silentio
vetare i. q. arcere

3) Quae apud serioris aevi scriptores inveniuntur.*)

adpellitare
auctitare
binoctium
camara de navigii genere
captivitas de rebus inanimis
concaedes
condemnator
conventiculum de aedificio
cupitor
delectabilis
deportare de exsilio
despectare i. q. contemnere
editio de gladiatoribus
ejectamentum
emercari
flagrantissime
flammare propr. sign.
genticus
gladiatura
imitamentum
inluvies i. q. inundatio
inreligiose
instigator
instinctor
intectus i. q. non tectus
jutus i. q. adjutus
lucar
machinamentum transl. sign.
medie
meditamentum

---

*) Plura etiam quam ea, que hic afferuntur, cum Tacito communia habere posse hujus aetatis scriptores, quos ut omnes perlustrarem a me impetrare non potui, minime negaverim, cum non satis ubique certa sit lexicographorum fides. Atque similis ceterorum omnium quae huc pertinent ratio est. Sagacissimum etiam in his rebus falli, multa subterfugere quasi posse, quis est quin concedat. Et quota pars reliqua antiquitatis?!

percarus
perornare
praecalidus
praeceps dare
praepollere
proeliator
prospergere
quaesitio i. q. quaestio
receptor
referre i. q. admovere
regia de vita aulica
restrictus i. q. severus
revalescere transl. sign.
sacrificalis
subsignanus
suspectare
tolerans
traditor i. q. proditor
uniformis
validus cum genitivo

4. Quae solus Tacitus usurpasse videtur.

a) quod ad ipsa verba eorumque juncturam attinet.

adcumulator
adductius
Adiabenus, a, um
adigere absolute
adnectere sine casu: orationi aliquid addere
adnexus, us
adnuere cum *an* particula
adpugnare
adulatorius
advectus, us
advertere sine casu: punire
aemulatus, us i. q. aemulatio
antehabere
aspere accipere pro *aegre ferre*
atrociter accipere eod. modo
centurionatus, us
cesticus
clavarium
cohibere cum *quominus* particula
communicare sine casu
concertator
continuus alicujus perpetuus comes
in contumelias scurram adsumere
covinarius
crupellarii
deprecabundus
detractor
diffugium
dignationes (plur.)
dispositus, us
eripere peculiari junct.
escensus, us

eximi sich's nehmen lassen
expetibilis
exstimulator
fixus in silentium
flexum mare i. q. sinus
formidolosus rei
frequens rei
habere peculiari junct.
histrionalis
jacere odia in longum
jactabat hostis sc. esse
idonea provinciarum
imbui aliquid
immunire
implacabiliter
improsper
incedere locum et itineri
incelebratus
indispositus
inducere peculiari struct.
indutus, us
infensare
inlaborare
inoriri
inreverentia
insisti impersonaliter
instigatrix
intervenire aliquem
inturbidus
inumbrare intrans.
libitum substant.
mereri i. q. merere i. e. stipendia mereri
oblivium singul. num.
peramoenus
perinde quam si
perseverus
personare formam principis
perstimulare
pervigere
postscribere
praecolere
praegracilis
praejuvare
praeposse
praerigere
praeumbrare
prodigentia
professorius
profligator
properato
provisus, us
provivere
quinquiplicare
rebellis substant.
redemptare
regnatrix
relatus, us
repetitus, us
reticere alicui sine casu rei
sanctor
sesquiplaga
subvectus, us
subversor
suggredi
superstagnare
superurgere
sustentaculum

toleratior
trahere absol.
ultra quam dum, ne
usque insolentius j.
ut quis pro *ut quisque*
venditator
veno dare
vimentum

b) significatione peculiari.

adgerere transl. sign.
adsistere et *absistere* sign. milit.
aestimare i. q. venerari
alias ad causam pertinet
ambigere i. q. ambire
amovere i. q. relegare
in aperto esse i. q. facile esse
apud quibusdam signiff.
auraria i. q. aurifodina
aut insolentius usurp.
circumgredi i. q. circum adgredi
circumjectus i. q. cinctus
cis transl. sign.
coactores qui agmen cogunt
coeptus i. q. factus et ortus
cohibere i. q. regere
commotus de seditione
componere confrontiren
conlocare i. q. dicere
connexus i. q. propinquus, affinis
consulere fugientibus persequi f.
contradictio actus contradicendi
contubernium de domicilio servorum
copiosus ad animum pertinet
credulus sign. passiva
dein et *exin* ad causam pertin.
disjuncta oratio diffluens or.
dispergere de rumore
diversus de commodo
divortium de freto
domus de aulae indole
ducere sine casu: sortiri
egregium publicum das Beste des Staats
elabuntur artus de corp. deformitate
equester i. q. eques
existimare i. q. disquirere sed pecul. junctura
expedire sine casu: expedit. suscipere
exsultare t. q. profanare
externus i. q. hostilis
facilis i. q. levis, nullius pretii
fas aviae et similia
gnarus i. q. notus

gravare i. q. augere
hiatus i. q. cupiditas
hinc i. q. tum
ideo i. q. ea re
impexus transl. sign.
incedere i. q. incessere
incessus i. q. invasio, aditus
incitare i. q. augere
ingressus de loco
innoxius unverschuldet
inrevocabilis i. q. implacabilis
intectus transl. sign.
intellectus certa rei notio
intendi i. q. pertinere
interfectus de eo qui ipse sibi manum intulit
interjacere et *interjicere* ad sermonem pertin.
interjectus, us ad tempus pert.
interim i. q. aliquamdiu
intolerans i. q. immitis
justus de loco
laniatus, us transl. sign.
latum mare i. q. altum m.
librator sign. milit.
titteratura de elementis
manere i. q. in fide manere
metuentior furchtsamer
metus s. activa
militaris i. q. miles
moesti oratores i. q. tristes or.
moles i. q. demolitio
monere i. q. punire
novissimus de ultimo periculo
nuntiare i. q. renuntiare
obsidium i. q. obses
obturbare i. q. prosternere
plenitas de sententiarum copia
plerumque i. q. saepe
praecellere i. q. imperitare
praescribere i. q. obtendere
praestare terga i. q. t. dare
praetentare i. q. obtendere
projicere i. q. procrastinare
promere i. q. facere
proturbare i. q. cogere
provolvere transl. sign.
quis i. q. quisque
radere i. q. eradere
referri sich wonach richten
repens i. q. recens
resistere de montibus
resolvere i. q. rursus aperire
rumpere sine casu i. q. vi pervadere
sanguinans transl. sign.
secretum de exsilio
semotus transl. sign. pecul.
sequi retro capillum i. q. retro dare cap.

signatio i. q. significatio
situs i. q. exstructus
spargere i. q. adspergere
spiramentum ad tempus refertur
stagnare c. accus. i. q. inundare
statio i. q. annus
struere i. q. destruere
subvenit i. q. subvenitur
subsidium i. q. asylum
subtrahere i. q. reticere, omittere
superesse i. q. deesse
superstes de ingenii viribus consenescentibus
tentare i. q. rogare
tinnitus sign. rhetorica
tolerare i. q. vivere
torpor de animi desidia
transmittere de repudiatis cibis
transvehi de tempore
tumidus de terra in quam mare intrat
uterus i. q. alveus (navigii)
vacatio i. q. pretium vacationis
vernaculus sign. propria (quod ad vernas pertinet)
vincire i. q. devincire
vocitare i. q. clamare

II. Quae de grammatica stili Tacitei ratione exposuimus haec fere sunt:

A. Etymologica quae dicitur pars.

Et de scriptura quorundam vocabulorum minus usitata, et de peculiari, quo nomina et verba quaedam variantur, modo satis multis passim expositis, dignissima visa est, quae hoc loco componeretur et in ordinem quendam redigeretur magna nominum in or, io, us, mentum, ilis desinentium copia, tum creberrimus et peculiaris saepe verborum et compositorum et vero etiam simplicium usus, quibus accedit etiam frequentativa ultra solitum morem usurpandi consuetudo.

1. Substantiva verbalia in or ap. solum Tacitum inveniuntur *adcumulator*, *concertator*, *detractor*, *exstimulator*, *profligator*, *sanctor*, *subversor*, *ven-*

ditator, *visor* (*instigatrix*, *regnatrix*); ap. seriores quoque *condemnator*, *cupitor*, *instigator*, *instinctor*, *patrator*, *proeliator*, *receptor*, *traditor*; ap. aequales *auxiliator*, *defector*, *delator*, *firmator*; ap. prioris aevi poetas, *bellator*, *monstrator*, *provisor*, *raptor*, *regnator*.

2. Substantiva verbalia in ntia et io solus sibi vindicat Tacitus *inreverentia*, *prodigentia*, *dignationes* (sing. etiam priores habent); *vacatio* ubi sign. pretium vacationis; seriores quoque exhibent *quaesitio*; aequales *abolitio*, *comperendinatio*, *contradictio*, *conventio*, *destinatio*, *dissociatio*, *exsecutio*, *rebellatio*, *reputatio*. Sunt vero etiam ap. priores quaedam minus usitata, ut Liv. Ep, 67 *jussio*; Cic. Verr. 3, 54 et auct. b. Hisp. 24 *interitio*. Cf. Günther. in commentat. quae inscr. Ueber einige grammatische Eigenheiten des Taciteischen Stils in Wachsmuth. Athen. II, 2. p. 271 sqq.

3. Substantiva verbalia in us ap. unum Tacitum leguntur *advectus*, *aemulatus*, *annexus*, *dispositus*, *escensus*, *incessus*, (sign. peculiari); *interjectus* (de tempore); *provisus*, *relatus*, *repetitus*; ap. sequioris quoque aevi scriptt. *adgestus*, *indutus*; apud aequales *contextus*, *incussus*, *repercussus*, *superventus*, *textus*, poet. *adcursus*, *distinctus*; apud poet. priores *injectus*, *occursus*. — Apud prioris aevi scriptores permulta hujus generis inveniuntur, licet rarius nonnunqunam quam ap. nostrum, *accitus*, *adfectus*, *adpulsus*, *adsultus*, *auctus*, *auditus*, *comitatus*, *concessus*, *congestus*, *conjectus*, *contactus*, *despectus*, *digressus*, *ductus*, *egressus*, *famulatus*, *flexus*, *hortatus*, *inrisus*, *instinctus*, *intellectus*, *interventus*, *jactus*, *mercatus*, *missus*, *objectus*, *obtentus*, *ostentus*, *paratus*, *permissus*, *ploratus*, *procursus*, *regressus*, *tractus* (belli), *transgressus*, *visus* (ad-

spectus). Plurima tamen sexto tantum casu, quaedam tertio etiam usurpantur. Operae pretium est hoc loco enumerare quae, majore sane, quam plerumque creditur, copia praeter notissima illa *jussu, injussu, missu, permissu, ductu, dictu, factu, auditu, visu*, ap. Ciceronem leguntur ex hoc genere: Att. 13, 37 *arbitratu;* de or. 3, 1 *vocatu Drusi;* Brut. 22 et saepius *rogatu;* Or. 62 *concessu omnium;* cp. 68 *interductu librarii;* Verr. 2, 13 et Brut. ad Att. 17 *coactu istius;* Verr. 2, 25 *admonitu istius;* Verr. 3, 28 *accitu istius;* Verr. 5, 29 *coactu atque efflagitatu meo;* Cluent. 59 *quam brevia responsu;* Catil. 1, 3 *discessu ceterorum;* 3, 3 *interventu Pomtini; admonitu Allobrogum;* Flacc. 37 *oratu tuo;* Arch. 1 *hujus hortatu;* pro dom. 5 *Clodii impulsu;* Planc. 12 *praetoris mandatu*, fr. or. pro Vareno ap. Quint. 5, 10 *hujus persuasu et inductu*; Fam. 7. 5 *invitatu tuo;* Att. 9, 9 *dispersu illorum;* N. D. 1, 6 *ipsius rogatu arcessituque;* 2, 40 *interpositu interjectuque terrae*; cp. 55 *respiritu*, cp. 60 *domitu nostro:* cp. 25 *qui terram circumjectu amplectitur*; Tusc. 2, 21 e Pacuvio *succussu, attrectatu, quassu;* Att. 12, 2 *reflatu;* epist. 19 *de judicatu meo; desponsu;* Verr. 2, 78 *in manifesto peccatu*, Arch. 19 *uno sortitu;* rep. 4, 1 *objectu suo.* — rep. 2, 8 *potentatus;* Att. 15, 5 *noster itus, reditus, vultus;* N. D. 3, 39 *difficiles explicatus;* Sext. 54 *oculorum conjectus;* Att. 1, 18 *suspiratus;* Tusc. 2, 23 *pressus ponderum;* cf. etiam Nep. Alcib. 6 *Siciliae amissus;* Liv. epit. 96 (113) *octavo ducatus sui anno.* Cf. Supinum in Lex.

4. Substantiva in mentum desinentia ap. solum nostrum leguntur *meditamentum, placamentum, spiramentum* (de tempore), *vimentum*, ap. seriores etiam *ejectamentum, imitamentum;* ap. aequales *experi-*

mentum, *ligamentum*; ap. priores poet. *lenimentum*, *tentamentum*, ap. scriptores prioris aevi *blandimentum*, *cognomentum*, *complementum*, *dehonestamentum*, *delinimentum*, *fomentum*, *ferramentum*, *firmamentum*, *hortamentum*, *incitamentum*, *irritamentum*, *lamentum*, *levamentum*, *libramentum*, *machinamentum*, *oblectamentum*, *temperamentum*, *turbamentum*. Multa vero plur. tantum numero usurpantur. Cf. praeterea Cic. Phil. 10, 4 *cruciamenta*; fin. 5, 6 *invitamenta*; auct. epist. 2 ad Caes. de ord. rep. 13 *honestamenta*; Quintil. 11, 3, 149 *illustramenta*; Plin. epist. 8, 23 et saepius *avocamentum*.

5. Adjectiva in **ilis** desinentia, quorum numerum, poetis maxime praeeuntibus, quovis paene saeculo auctum esse constat, uni Tacito propria esse videntur *expetibilis* (*implacabiliter*), *inrevocabilis* (ubi idem est quod *implacabilis*); a prioris aevi poetis ipse cum aequalibus recepit *inevitabilis*, *inviolabilis*, *delectabilis*, *favorabilis*, *penetrabilis*; cum scriptt. prioris aetatis communia ei sunt *notabilis*, *exitiabilis*, *inexplebilis*, *inhabilis*, *insociabilis*, *instabilis*, *intestabilis*, *inpenetrabilis*, *navigabilis*, *perniciabilis* alia. Et ne credas, tam exiguum, qualis plerumque perhibetur, horum adjectivorum etiam ap. probatos scriptores numerum esse, cf. minus usitata Cic. Acad. 1, 8; Tusc. 3, 31, et passim *opinabilis*; Tusc. 4, 23 *patibiles dolores*; fin. 2, 17 *impatibilis*; Tusc. 4, 35 *accusabilis turpitudo*; N. D. 2, 36 *animabilis*, *spirabilis natura*; Liv. 36, 33; 37, 34 *impetrabils*; 44, 5 *inenarrabilis*; 41, 15 *inenarrabiliter*; auct. b Afr. 46 *cruciabiliter interfectus*; Curt. 8, 14, 4 *inequitabiles campi*; Plaut. Aul. 4, 4, 6 *verberabilissimus*.

6. E **verbis compositis** ea tantum excerpemus quae solus usurpasse videtur Tacitus: *praecolere*, *praejuvare*, *praeposse*, *praerigere*, *praescribere* (ubi

est i. q. praetexere, obtentui sumere) *praeumbrare*; pro comp. cum *praeter* praepositione: *praevidere, praeferri, praefestinare, praegredi.* — *antehabere, inlaborare, inoriri, immunire,* — *perstimulare, pervigere,* — *provivere* — *subvenire* (imperson.) — *suggredi* — *adgerere* (transl. sign.) *adpugnare* — *circumgredi* (undique adgredi) — *postscribere.* — *superstagnare.* — *interjacere* (transl. sign.).

7. Verba simplicia pro compositis poëtarum more saepius usurpat Tacitus quam alius quisquam scriptorum, et quaedam solus sibi vindicat. *asperare, celerare, cire, firmare, flammare, flere,* (aliquid), *gravescere, jutus, noscere, notescere, novare, nuntiare, ponere, premere, propinquare, putare, quatere, radere, rapere, solari, spargere, struere, suescere, temnere, turbare, vanescere, venire, vertere, vincire.*

8. Frequentativa antique cum a Sallustio aliisque rerum scriptoribus, tum a nostro maxime usurpantur. Et apud hunc quidem solum leguntur *infensare, redemptare, suspectare,* (ubi sign. *suspectum habere*), *vocitare* (ubi est *crebro vocare et magna voce*), apud aequales etiam et seriores *adpellitare, adsultare, auctitare, despectare, emptitare, mansitare, praetentare.* Cf. apud priores minus usitata hujus generis verba: Cic. R. Am. 28 *fugitare*; cp. 48 *munitare*; Verr. 3, 50 *meritare*; Flacc. 8 *prolectare*; Fam. 9, 24 *itare*; leg. 1, 4 *responsitare*; Parad, 1, 2 *devotare*; Liv. 9, 45 *missitare*; 10, 19; 30, 31 *restitare*; 36, 32 *increpitare*; Sall. Jug. 111 *negitare*; Caes. B. G. 7, 47 et Cic. Parad. 5, 2 *exceptare.*

B. Syntaxis.

Leges, quas Tacitus secutus est in orationis compositione, et unde maxime profecta sunt omnia, in quibus vertitur

stili quo usus est proprietas, ad varietatem, brevitatem et poeticum orationis colorem commodissime referri possunt. Triplicem igitur hanc rationem accuratius hoc loco expositari, singulas Syntaxeos partes in ipso operis contextu pertractatas breviter tantum indicabimus, ordine tamen servato, quo in grammaticis componi solent. Atque ex his quidem omnibus patebit, quod saepius jam monuimus, Tacitum in universum retinuisse priorem, maxime historicorum loquendi consuetudinem, et ita tantum ab ea recessisse, ut excoluerit et auxerit quae singulis nonnunquam exemplis exhibent priores, et ipsi in his poetarum potissimum dictionem secuti; indulsisse eum quidem et suae aetatis usui et proprio in novis structuris et verborum compositionibus ingenio, sed nunquam in iis migrasse patrii sermonis leges atque praecepta, magni legislatoris instar, qui antiquitatis quidem retinens, sed suo etiam ingenio usus ad meliora et sui temporis rationibus aptiora invenienda optime prospicit civium suorum saluti.

I. Syntaxis nominis.

1. Haud raro singularis loco pluralis usurpatur et contra: *miles, eques* (etiam de iis qui ordinis sunt equestris), *veteranus*, *covinarius* et similia; non solum *ignes*, *nives*, *odia*, *irae*, sed etiam *ardores*, *aestus*, non solum *mancipium* et talia, sed *militia* etiam pro *militibus* et id genus plura. — *pontes*, *coloniae* pro singulari; plurali majestatico qui dicitur nonnunquam jungitur singularis.

2. Syntaxis genitivi: objectivus qui dicitur genit. insolentius interdum ponitur, e. c. *nostri origo*, *nostri initia;* genitivus peculiari modo consuetudinem exprimit e. g, *officia venerantium* i. e. quae praestari solent ab iis qui venerantur; e vulgari quidem dicendi genere, sed plurali numero *Tiberius ve-*

lut eluctantium verborum; creberrimus genitivi partitivi qui vocatur usus *id honoris, ad hoc terroris cet.;* cum adjectivis, relativis et participiis saepissime conjungitur: *versus animi, primus luendae poenae, segnis occasionum, temperans potestatis cet.;* insolentius jungitur verbis quibusdam: *monere, adipisci, urgere;* finem et consilium exprimit genit. nominis et part. fut pass. *abolendae infamiae,* quo etiam pertinet *dies rerum verbis terere* et locutiones similes.

3. Syntaxis ablativi: accurate plerumque observatur discrimen quod interest inter hunc casum et genitivum in adj. relativis, ut dicatur *turbidus animi* sed *turbidus ingenio;* omittitur praepositio, e. c. *donec desertus suis caderet; trecenti opibus* (ex op., secundum op.) *aut sapientia delecti;* ablativi qui non ejusdem sunt rationis componuntur: *molares ingenti pondere ac fragore provolvunt;* insolentius etiam usurpatur abl. in locutione *invidere alicui aliqua re;* genit. pro abl. ponitur: *dignus rei.*

4. Syntaxis accusativi: sine praepositione jungitur verbis quae motum exprimunt *involare castra, scenam incedere;* insolentius verba quaedam cum hoc casu constr. *Pannoniam praesidere, Germani regnantur;* accus. pronominum pon. loco praepos. *id vi perpulerant;* relationem quam dicunt exprimit, et Graecorum more, e. g. *clari genus,* et cum *ad* et *in* praepositionibus: *cunctante ad ea Mithridate, laeta in remp. munia;* creberrimus harum praepositionum usus in ejusmodi locutionibus quales sunt: *ad praesens, in falsum augere.*

5. Syntaxis dativi: a) objectivi qui dicitur loco genitivi vel praepositionis: *morti decus quaerendum, servitio promptus, cui per nuptias Antoniae*

gener erat; derisui, metui esse; ad finem consiliumque exprimendum cum part. fut. pass. *recreandae defectioni cibum adferre.* b) subjectivi quem vocant dativi, loco abl. cum *a* praepositione in verbis pass. *claris scriptoribus memorata, nox Neroni per vinolentiam trahebatur.*

6. Syntaxis adjectivi: haud raro absolute et praegn. modo usurpantur adj. relativa: *per alios gesta avidus intercepit* i. e. per aviditatem gloriae; neutra adj. maxime cum genit. substantivorum vice funguntur: *per laeta, per adversa, hostilia loqui; asperrimo hiemis, extrema imperii, vana rumoris, dubia proeliorum, profunda silvarum;* saepe adj. cum subst. conjung. loco genitivi vel alius structurae *senilis adoptio, ludicra deformitas, metus hostilis, extemporalis audacia;* poetice pro adverbiis usurp. *occulti laetantur, aderat citus equo, subitus inrupit, aeternum discordant;* maxima est in comparationis usu varietas: *vehementius quam caute; quanto inopina tanto majora; quantum hebes tanto promptior; quanto quis clarior minus fidus; praedae quam periculorum socius.*

7. Syntaxis pronominis: saepissime omittitur pron. subst., demonstr. et relativum: *si vellet imperium, promptos* (se) *ostentavere; gnarus praeferocem* (eum esse); *unde plures erant, omnes fuere; Piso pontifex, rarum in tanta claritudine, fato obiit;* idem pro is ponitur, sui loco possessivi et demonstr., sed etiam demonstr. pro relativo; praeterea alia in hoc genere insolentiora sunt, e. g. *hichic* pro *hic - ille; eodem mecum patre genitus; cujus lenitatis est Galba.*

II. Syntaxis Verbi.

1. Absolutus verborum usus Tacito maxime frequens e. g. *expedire* pro *expeditionem suscipere*; *ducere* pro *sortiri*; *manere* pro *in fide manere. cet.*

2. Usus temporum: praes. historicum quod dicitur maxime *dum* particulae jungitur; imperfectum usurpatur loco praesentis in iis exprimendis judiciis, quae ad res neque ipsius auctoris neque aequalium aetate, gestas pertinent; etiam pro plusquamperf. in hujusmodi juncturis *quod nisi propere subvenisset amissa Britannia foret*; perfectum saepissime ap. Tacitum aoristi vice fungitur: *haud semper errat fama, aliquando et elegit*; plusquamperf. nonnunquam loco imperf. vel perf. positum esse videtur.

3. Usus modorum: *a*) indicativus loco conjunctivi ponitur, ubi suam ipse exprimit sententiam scriptor: *se cum cohorte, cui praeerat, Canninefatem tumultum compressurum*; junctus *dum* particulae: *quanto laudabilius periturum dum amplectitur remp., dum auxilia libertati invocat*; in exprimendis conditionibus: *trudebantur in paludem, ni Caesar — instruxisset; ni — properavisset — verterat pernicies in accusatorem; prope in proelium exarsere, ni — admonuisset; bellum Stertinio mandat, ni — properavissent.*

b) conjunctivus designat facultatem, voluntatem, necessitatem, e. g. *Tiberio etiam in rebus quas non occuleret — obscura verba*; exprimit res saepius repetitas: *ubi formido incessisset, facilis mutatu*; crebro infinitivi et conj. variat usus in orat. quae dicitur obliqua: *Caesar — disseruit — illum — culpam invidia velavisse, frustra conterrita uxore, quam etsi nocentem, periculi tamen expertem fuisse; — integros incruentosque — quid di-*

cturos? conjunctionibus quibusdam jungitur loco indicativi e. g. *Caesar quamquam edicto monuisset ne quis quietem ejus inrumperet —, perosus tamen municipia — Capreas se in insulam abdidit.*

c) infinitivi maxime varius est ap. Tacit. usus: inf. praes. loco inf. futuri usurpatur; nominat. c. inf. loco accus. cum inf. (contra *dicitur* et similia cum acc. c. inf. interdum constr.); iufinitivi historici qui dicitur creberrimus usus, etiam particulis junctus; saepissime substantivi vice fungitur et omnibus quidem casibus; multis verbis jungitur loco *ut*, *ne*, *quominus*, *quod* particularum: *pepigere fraudem inimicorum ulcisci.*

4. Usus participiorum proxime accedit ad Graecae linguae consuetudinem: *a*) saepe inter se permutantur participia et pro aliis constr. usurpantur: part. perf. dep. *ἀοριστῶς* vice fungitur participii praesentis, *classis quae pluribus locis praedata terrorem faceret*, vel part. fut. pass. *Nero virtutem ipsam exscindere concupivit interfecto* (interficiendo) *Thrasea*; part. praes. omisso verbo subst. loco infin. *quippe sublatis portoriis sequens ut...*, absolute pro subst. *praesidentes*; part. fut. act. in hunc modum: *incusabatur facile toleraturus exsilium*; part. perf. pass. cum verbo subst. pro v. activo *cupitum id Tiberio fuit*; neut. part. fut. pass. cum v. *habere* pro vulg. struct. cum v. *esse: dicendum habere.*

b) Subtantivorum atque adject. (maxime in *ilis* desinentium) vice funguntur partic. *Arminium, rapta uxor, subjectus servitio uxoris uterus vecordem agebant*; *genus infidum, neque beneficio neque metu coercitum*; *mansurus*, *duraturus*, ut nos dicimus bleibend, dauernd pro dauerhaft.

c) ab-

c) absolutus participiorum (et nominum, quae part. loco ponuntur) usus maxime varius ap. Tacitum; *nullis contra terris; ignaro eo; libero* (cum liberum esset) *quid firmaret mutaretve; jura dedit, quis pace et principe uteremur; comperto vanam esse formidinem; invito, cupienti, volenti mihi est.*

5. Usus gerundii et supini: gerundium sicut infinit. vice fungitur substantivi; sexto casu consuetudinem et omnio rem saepius repetitam exprimit, cognatum ita imperfecto et inf. historico, sed componitur etiam cum part. praes. *socors ingenium ejus in contrarium trahens callidumque et simulatorem interpretando*; saepius etiam quam ap. Livium participii fut. pass. loco retinetur cum casu suo: *mutando sordidas merces sustentabatur*; pro infin. ponitur *Vologesi — penitus insitum erat arma Romana vitandi.* Supini et quarto et sexto casu crebrior quam ap. reliquos usus notandus est; exempla sunt *raptum ire, ultum ire, promptum effectu.*

III. Syntaxis particularum saepe recedit a vulgari priorum usu cum structurae tum significationis ratione habita; sed singula hoc loco percensere non attinet.

IV. Collocatio verborum magnam partem argenteae aetati peculiaris plurimum valet ad cognoscendam stili Tacitei vim, cum ea quoque faciat et ad varietatem, et ad brevitatem ejus augendam.

1. praeponitur dignitatis nomen *imperator Augustus, Caesar Titus, dictator Caesar* (sed etiam *Caesar dictator*), *augur Lentulus*; item *ante* et *post* adverbia accusativum nonnunquam praecedunt: *nobis — ante quadriennium amissus es*, ubi voce efferendam esse particulam, ne cum praepositione confundatur, recte monet Walchius; ita *non* quoque divel-

litur a verbo suo ad augendam orationis vim: *sed non Tiberius omisit incepta.*

2. Anastrophe, non solum usu recepta, sed insolentior etiam Tacito frequentatur: *sedes inter Vestalium, viam Miseni propter, ripam ad Euphratis, uxore ab Octavia; vanescente quamquam plebis ira, vidit namque, aberat quippe adulatio, inritabat quinetiam, durant siquidem colles, ipsam quin immo, frueretur immo iis.*

3. praenomen nomini postpositum: *Pollio Asinius, Priscus Helvidius, Dolabella Cornelius.*

4. Tmesis et Synchysis: *illis vix decumae super portiones erant; Penino subsignanum militem itinere traduxit; haud parva mole certatum nec sine exitio urbis foret.*

De stili Tacitei varietate, brevitate et poetico colore.

I. De varietate stili Tacitei.

Inter omnes scriptores praeeuntibus maxime Livio et Sallustio[1]) plurimum studii collocavit Tacitus in variandis et singulis vocibus et integris constructionibus ac periodis. Nec mirum hoc, cum et in ceteris rerum auctoribus, et in nostro majorem etiam in modum[2]) obvia ubique rerum similitudo ne iisdem verbis expressa oneret atque satietate quadam impleat legentium animos ipsa desideret ac provocet illud variandae orationis studium. Cui quomodo indulserit Tacitus ex his exemplis abunde patebit.

1. Singulae voces permutantur: *honor* et *honos; decus* et *decor; satietas* et *satias; sexus* et *secus;*

---

[1]) Vid. Walch. Emendatt. Livv. p. 78 et Cort. ad Sall. Jug. 7, 1.
[2]) Cf. quae ipse dicit Ann. 4, 32 sq.

senecta et *senectus*, (*senium*); (*juventa* et *juventus*, minus huc pertinent, cum significationis discrimen constanter observaverit Tacitus); *gratia* et *grates*; *nomen* et *vocabulum*; *velocitas* et *pernicitas*; *munera* et *munia*; *tegumen* et *tegmen*; *balneae* et *balineae* (*balnea*); *materies* et *materia*; *saevities* et *saevitia*; *mollities* et *mollitia*; *quotiens*, *totiens* et *quoties*, *totiès*; *motus terrae* et *tremor terrae*; *obsidium* et *obsidio*; *tribuni plebei* et *plebis* (*plebei*) *tribuni*; *partes*, *parteis* et *partis*; *quibus* et *quîs*; *tres* et *tris*; *exanimus* et *exanimis*; *semermus* et *semermis*, *inermus* et *inermis*; *transmittere* et *tramittere*; *transnatare* et *tranatare*; *claudere* et *cludere*; *apisci* et *adipisci*; *queo*, *nequeo* (saepius quam ap. alios) et *possum*, *non possum*; *tolerans*, *intolerans* et *patiens*, *impatiens*, quae omnia vide in Lex. *Moesiacus* Hist. 2, 32; *Moesicus* Hist. 2, 44. 85. 86 et saepius; *Vestales virgines* Hist. 3, 81; *Vestae virgines* Ann. 1, 8 cf. Liv. 1, 20; *in deterius*, *in crimen trahere*, *ducere*, *referre*, *detorquere* Ann. 1, 62. 7; 6, 5; 13, 13. — *haud* et *non*; *haudquaquam* et *nequaquam*; *dein* et *deinde*, *exin* et *exinde*; *proin* et *proinde*; *modo* — *modo* et *interim* — *quandoque*, *modo* — *nunc*, *modo* — *ecce nunc* (v. interim); *erga* et eadem sign. *contra*, *adversus*, *in*, *penes* et *ad*, *in*, *apud*; transitioni serviunt *his atque talibus*, *his et pluribus*, *ceterum*, *dehinc*, *hinc*, *ad hoc*, *ad haec* (praeterea), *ac*, *et*, *inter quae*, *interea*, *per idem tempus*, *sub idem tempus*, *interim*, *simul*, *proinde*, *exinde*, *deinde*, *igitur* (raro *itaque*), *ergo*, *at*, *at hercule*.

2. In locutionibus maxime variantur, quae ad res in narrationis serie usque redeuntes pertinent, quae quales plerumque sint ipse haud obscure indicat Tacitus Ann. 4, 32 sq. *nobis in arto et inglorius*

labor. — situs gentium, varietàtes proeliorum, clari ducum exitus retinent ac redintegrant legentium animum: nos saeva jussa, continuas accusationes, fallaces amicitias, perniciem innocentium et easdem exitu causas conjungimus obvia rerum similitudine et satietate. Exemplis quibusdam ut haec probemus primum ad *auris* vocem in Lex. inspiciendam amandamus lectorem, usu ap. nostrum longe maxime vario plane mirabilem; praeterea satisfacient quae sequuntur: 1) Ann. 2, 72 *haec* palam *et alia* secreto; 4, 1 *palam — intus*; cp. 71 *palam — per occultum*, 12, 13 *palam — per occulta*; 1, 49 *palam — in occulto*; 6, 7 *propalam — per occultum*; 12, 7 *palam — domi*; Hist. 3, 72 *palam — privatim*; Ann. 12, 46 *propalam — secretis nuntiis*; 13, 13. 37 *furtim — palam*; 16, 7 *mortem Poppaeae ut palam tristem ita recordantibus laetam*; Hist. 1, 10 *palam laudares, secreta male audiebant*; cp. 64 *secretis eum criminationibus infamaverat palam laudatum*; 2, 57 *quod palam abnuerat, inter secreta convivii largitur*; cp. 98 *palam epistolis — occultis nuntiis*; 4, 39 *propalam — secretis promissis*; cp. 76 *Belgas secum palam aut voto* (saltem) *stare*. 2) Ann. 6, 25 finis sponte sumptus; 1, 5 *quaesita mors*. — cp. 61 *suo ictu mortem invenire*; 6, 40 *finem vitae sibi ponere*; 3, 7 *sumere exitium*; 6, 40 *voluntario exitu cadere*; cp. 39 *sua manu cadere*; 4, 22 *mortem sponte sumere*; cp. 30 *se vita privare*; 6, 18 *se ipsum interficere* (cf. etiam in Lex. interfectus); cp. 25 *voluntate exstingui*; cp. 38 *vim vitae suae adferre*; 4, 34 *relinquendae vitae certus*; cp. 35 *vitam abstinentia finire*; 6, 23 *egestate cibi perimi* (*sponte vel necessitate, incertum habebatur*); cp. 40 *depromptum sinu venenum haurire*; 5, 7 *gladio quem sinu*

abdiderat incubuit; 6, 9 *senili manu ferrum tentare.* — 4, 22 *reus frustra tentato ferro venas praebuit exsolvendas*; 11, 3; 16, 17 *venas exsolvit*; 15, 63 *brachia ferro exsolvunt*; 5, 8 *petito per speciem studiorum scalpro, levem ictum venis intulit*; 6, 9, 48 *venas resolvere*; cp. 29 *per abruptas venas sanguinem effudit*; 16, 9 *venas abrumpere*; 15, 35 (cf. 16, 14) *brachiorum venas — interscidit*; cp. 69 *clauditur cubiculo, praesto est medicus, abscinduntur venae*; cf. 16, 11; 16, 15 *venas interrumpere*; cp. 19 *incisas venas, ut libitum, obligatas aperire rursum.* — 3) Ann. 1, 3 defungi et exstingui; 6, 27 *obire*; 4, 38 et sic saepissime, *concedere*; 2, 75 *excedere*; cp. 24 *oppetere*; 6, 50 *finire*; — 11, 2 *fato fungi*; 6, 10 *fato obire*; 2, 71 *fato concedere*; 1, 3 *morte fato propera auferri*; 2, 83 *mortem obire*; 6, 50 *mortalitatem explere*; 2, 40 *finem vitae implere*; 3, 76 *supremum diem explere*; 3, 30 et aliis multis locis *concedere vita*; Hist. 2, 55 *cedere vita* (cf. Cic. Brut. 1, 4 *e vita cessit*); Ann. 5, 8 *vitam finire.* Subst. sunt *mors, obitus, excessus, finis*, Dial. 18 *fatalis et meus dies.* Vid. Dronk. ad h. l. 4) Ann. 15, 60 propinquâ vesperâ; 1, 16 *flexo in vesperam die*; cp. 65 et Hist. 2, 49 *vesperascente die* (cf. Nep. Pelop. 2 *vesperascente coelo*); Hist. 3, 19 *inumbrante vespera*; cp. 86 *praecipiti in occasum die*; cp. 10 *extremo die*; Ann. 2, 21 *sero diei*; cp. 39 *obscuro diei.* 5) Ann. 6, 33 auxilia mercede facere; 2, 52 *auxiliaria stipendia meritus*; 11, 18 *auxiliare aes diu meritus.* 6) Ann. 3, 38; 4, 21 aqua et igni interdicere; Ann, 3, 20, 50 *aqua et igni arcere*; 16, 12 *aqua atque igni prohibitus est.*

3. In grammatica verborum compositione atque in ipsis conformandis periodis summa

cernitur Tacitei stili varietas. Cf. potissimum varius comparationis usus; sing. et plur. conjunguntur, e. g. Ann. 6, 35 *cum Parthus — distraheret turmas, Sarmatae — contis gladiisque ruerent*; diversi casus, e. g. Ann. 12, 29 *subsidio victis et terrorem adversus victores*; Hist. 1, 53 *corpore ingens, animi immodicus*; Ann. 15, 53 *animi validus et corpore ingens*; 1, 3 *bonus militiâ*, alias *militiae acer, strenuus, inglorius*; 15, 59 *nomen mulieris Arria Galla, priori marito Domitius Silus*; iidem casus sed diversa sign. v. in ablativo; dativus et in vel ad praepositiones: *promptus rei, in rem, ad rem, inrumpere terram, in t., ad t.*; Ann. 14, 38 (cf. 4, 46; 13, 38) *pravitati* et *ad fortunam referre*; 12, 55 *vim cultoribus ac plerumque in mercatores*; genit. et adject. variant, e. c. Ann. 2, 3 *Parthorum et Romanas opes*; fungi cum abl. et accus.; potiri cum genit., accus. et abl.; praesidere cum accus. et dativo; jubere cum accus. et dat., praeterea jung. infin. et *ut* particula; similiter multa verba constr. cum inf. et *ut, ne, quod* particulis; etiam *ad* praepositio et *ut* particula permutantur, e. c. Ann. 2, 62 *haud leve decus Drusus quaesivit inliciens Germanos ad discordias utque fracto jam Maroboduo usque in exitium insisteretur*; praes. historicum, inf. hist. et perf. conjunguntur Ann. 3, 20 *Eodem anno Tacfarinas — bellum in Africa renovat, vagis primum populationibus — dein vicos exscindere, trahere graves praedas; postremo — cohortem Romanam circumsedit*; cf. 12, 51 *ubi quati uterus et viscera vibrantur*; 15, 27 *Simul consilio terrorem adjicere et megistanas — pellit sedibus*; postquam cum praes., imperf., perf. et plusq. conjungitur; maxima omnino varietas est in particularum usu; cf. e. c. Ann. 4, 46 *ira — per metum* (vide per);

cp. 51 *in audaciam — ad formidinem*; cp. 55 *per Asiam — in Italia.*

Saepe diversa constructionum genera permiscentur et inchoato jam dicendi quodam genere abrupto et neglecta concinnitatis lege ad aliud transitur Ann. 1, 62 *seu — in deterius trahenti, sive — credebat*; 3, 30 *fato potentiae — an satias capit*; cp. 31 *absentiam — meditans, sive ut — impleret*; 13, 11 *testificando — vel jactandi ingenii*; cp. 47 *socors ingenium ejus in contrarium trahens callidumque interpretando*; 14, 63 *meminerant adhuc quidam Agrippinae a Tiberio, recentior Juliae memoria observabatur, Claudio pulsae*; 16, 1 *cognitis Corbulonis rebus, regemque — impositum*; cp. 50 *dum scelera principis et finem adesse imperii diligendumque qui succurreret inter se jaciunt*; 3, 27 *secutae leges, etsi aliquando in maleficos ex delicto, saepius tamen dissensione ordinum et apiscendi inlicitos honores aut pellendi claros viros aliaque ob prava per vim latae sunt*; 2, 64 *ipsorum regum ingenia illi mite et amoenum, huic atrox, avidum et societatis impatiens erat*; Hist. 4, 12 *insula quam mare Oceanum a fronte, Rhenus amnis tergum ac latera circumluit*; Germ. 28 *inter Hercyniam silvam Rhenumque et Moenum amnes Helvetii, ulteriora Boji, Gallica utraque gens tenuere*; Hist. 3, 65 *vultus procul visentibus notabantur Vitellii projectus et degener, Sabinus non insultans et miseranti propior*; cp. 66 *voces populi blandae et intempestivae, miles minaci silentio*; 1, 83 *tumultus proximi initium non cupiditate vel odio — ac ne detrectatione quidem aut formidine periculorum, nimia pietas vestra acrius quam consideratius excitavit*; 4, 28 *quod gens Germanicae originis ejurata patria Romanorum no-*

men, Agrippinenses vocarentur; Ann. 4, 38 *quod alii modestiam, multi quia diffideret, quidam ut degeneris animi interpretabantur*; 6, 20 *qualem diem Tiberius induisset pari* (tali) *habitu*; 4, 44 *Albim transcendit, longius penetratâ Germaniâ quam quisquam priorum*; 5, 10 *et erat juvenis haud dispari aetate, quibusdam Caesaris libertis velut agnitus per dolumque comitantibus*; 3, 32 *M. Lepidum — incusavit, adverso senatu, qui Lepidum mitem magis quam ignavum, paternas ei angustias, et nobilitatem sine probro actam honori quam ignominiae habenda ducebat*; 13, 57 *neque exstingui poterant* (*ignes*), *non si imbres caderent, non fluvialibus aquis aut quo alio humore*; Hist. 4, 4 *prompsit sententiam, ut honorificam in bonum principem, ita falsa aberant*; Ann. 6, 44 *nihil omissum quo ambiguos inliceret, prompti firmarentur*; Hist. 5, 23 *complet quod biremium quaeque* (naves) *simplici ordine agebantur.* — Ann. 4, 40 *Ad ea Tiberius laudata pietate Sejani — adjunxit ceteris mortalibus in eo stare consilia, quid sibi conducere putent, principum diversam esse sortem. — Falleris enim* (omisso *inquit, ita scripsit, in hunc modum perrexit*) *Sejane, si cet.*; Hist. 3, 2 *Ad ea Antonius Primus — festinationem ipsis utilem. — duae tunc Pannonicae ac Moesicae alae perrupere hostem cet.* Ita Liv. quoque ex obliqua quae dicitur oratione transit in rectam 1, 13. 47. 57. Cum prioribus exemplis cf. Liv. 22, 6 *Quae Punica religione servata fides ab Hannibale est, atque in vincula omnes conjecit*; 26, 49 *plerique Laelium praefuisse classi, sunt qui M. Junium Silanum dicant*; Sall. Cat. 10 *avaritia — superbiam, crudelitatem, deos neglegere, omnia venalia habere edocuit*; cp. 17 *incerta pro certis, bellum quam pacem*

malebant; Jug. 32 *fuere qui auro corrupti elephantos Jugurthae traderent, alii perfugas vendere, pars ex pacatis praedas agebant.* Vid. ibi Cort. Cf. Drakenborch. ad Liv. 4, 2, 7; Held. ad Caes. B. C. 1, 83 et de anacoluthis in Ciceronis libris de Officiis excursus Gernhardi.

II. De stili Tacitei brevitate.

In eo haud dubie omnes consentiunt, proprietatem stili Tacitei maxime cerni in orationis concisa brevitate, et qui penitus eam introspicientes omnes etiam intimos abruptae nonnunquam dictionis recessus perlustrarunt, eo ipso nomine Tacitum suum amplexi prae ceteris omnibus in deliciis habent. Taedet eos si non in omnibus, at in plurimis tamen Romanorum scriptoribus legendis quotidianarum quasi Latinitatis et vero etiam ingenii formarum, primo statim adspectu omnem qua praeditae sunt venustatem vixdum appropinquantibus obtrudentium, dum admirantur divinam ingenii Tacitei faciem, quo propius ad eam accedunt, quo intentius ei inhaerent, eo altius penetrantem adspicientium animos. Quodsi quaeris, unde proficiscatur et quid sibi velit taciturna illa brevitas, qui fiat, ut ea potissimum in imo nonnunquam pectoris secessu permovearis, pete responsum ex ipsa vita et Taciti et tua. Multa et tunc fuere et nunc sunt, si candide profiteri velis, hominum peccata, vitia, flagitia, raris solidae ac nobilis virtutis exemplis, magna ignorantia recti et invidia, multa rerum mortalium ludibria et inanes vulgi contentiones, paucissimis tum, neque etiam nunc admodum multis, meliora atque altiora adpetentibus. Atque ut nos quidem minime decet, Christianae fidei spe ac solatio praeditos, quae nostris temporibus minus recte se habent eodem dolore prosequi, quo Romanum hominem patriae avita gloria

ac majestate altius grandiusque nihil agnoscentem prosecutum esse videmus communem omnium corruptelam et ad interitum pronam civitatem, ita Tacito haud sane exprobramus amaram quandam dolendi voluptatem illamque verborum parcissimam indignationem, qua, ne Suetoniana ubertate foedissima quaeque fusius enarrante oneret et suam et legentium patientiam, plus significat plerumque quam loquitur.

Sed expositurís jam nobis ingeniosissimae hujus brevitatis indolem ac rationem venia opus est, cum in hoc genere multa sint, quae regulis subjicere et verbis describere frustra tentaveris. Cujus rei unum exemplum afferre satis erit ex Ann. 14, 15, ubi commemorata Neronis in scenam prodeuntis cum cithara et imperii Romani dignitatem proterentis vecordia ita pergit: *facies accesserat, cohors militum, conturiones tribunique et* maerens Burrus ac — laudans. Quin in ipsis solis vocabulis et in significationis eorum ratione inest plerumque et vis et brevitas Taciteae dictionis, atque vix sane melius quisquam obviam ierit Latinae linguae verborum paupertati immo egestati. Quae tamen hoc loco percensere supervacuum est, cum omnia paene, quae in opus nostrum recepimus, hujus rei documenta sint clarissima; cf. e. g. *rimari*, *ruere*, *introspicere*, *gliscere*, *exuere*, *trahere*, *tractare*, *rapere*, *vis*, *imago*, *atrox*, *saevus*, *ferox*, *famosus*, *pronus*, *fluxus*; nonnunquam etiam duo vocabula latent in uno, ut *Latium* pro *jus Latii* Hist. 3, 55 coll. Plin. H. N. 3, 24; — Ann. 2, 32 *saxo* (Tarpejo) *dejectus est.* Cetera vero brevitatis Taciteae exempla in hunc digessimus ordinem.

1. Ut in singulis verbis eorumque significatione altiora latent quam primo adspectu opineris, ita haud raro in compositione quoque eorum et constructione inest vis praegnans. Agric. 18 *lectissi-*

mos auxiliarium — ita repente immisit, ut obstupefacti hostes, qui classem, qui naves, qui mare exspectabant (i. e. violentiam maris, mare turbidum, litus breve et intutum navigantibus) *nihil arduum aut invictum crediderint sic ad bellum venientibus*; (ita Liv. 39, 30 et passim exhibet *hostem poscere*); Hist. 2, 32 *clausam Alpibus et nullo* maris subsidio *Transpadanam Italiam*; Ann. 1, 39 *jus legationis* (sc. violatum) *miseratur*; cp. 59 *Arminium — rapta uxor, subjectus servitio uxoris uterus vecordem agebant* (i. e. uxor gravida et partus quem editura erat); Hist. 3. 49 *Primus Antonius nequaquam pari innocentia post Cremonam* (sc. incensam) *agebat*, ubi apte comp. Ernest. Flor. 3, 1 *quis speraret post Carthaginem aliud in Africa bellum?* Ann. 11, 3 *tantum illi securitatis novissimae fuit* (tantum in supremis quoque securitatis prae se tulit); cp. 12 *egressibus alicujus adhaerescere* (i. e. ipsi, ubi in publicum egreditur); cp. 20 *non inritae aut degeneres* (indignae nomine Romano) *insidiae fuere*; (cf. adjectivum no. 1); 2, 40 *pericula polliceri* (i. e. societatem periculorum, unde 14, 1 dicitur *periculis ejus inmixta*); 12, 33 *locorum fraude prior* i. e. fraude ex locorum peritia; 3, 70 *reipublicae injurias* (i. e. veniam injuriarum) *ne largiretur*; 13, 20 *Nero non prius differri potuit* (i. e. adduci ut differret); 4, 3 *frequens secretis* (i. e. saepe adhibitus secr.); cp. 57 *plerumque permoveor* (ad opinionem) *num ad ipsum referri verius sit*; Hist. 4, 59 *ceteros ut quisque flagitium navaverat* (i. e. operam n. flagitio) *praemiis adtollit*; 5, 25 *si Vespasiano bellum navaverint* (ita Cic. Fam. 9, 2 *navare rempublicam*); 2, 55 *missa legatio, quae gaudio fungeretur*; Ann. 3, 22 *exemit Drusum — dicendae primo loco sententiae* (i. e. necessitati d. s.); 13, 1 *exitium inritare*

(i. e. iram Agrippinae in exitium inr. cf. Cic. Fam. 8, 3 *plane ubi delectem otiolum meum non habeo;* Sen. epist. 22 *magna pecunia instruere otium*); 3, 15 *ne quo adfectu (Tiberius) perrumperetur* (i. e. ne quis adfectus silentium rumperet); 13, 47 *domum principum edoctus* (i. e. artem principum ingenia tractandi); 16, 6 *neque enim venenum* (adhibitum esse) *crediderim;* 4, 17 *Tiberius — aequari adolescentes senectae suae impatienter indoluit* (i. e. imp. tulit et indoluit); 1, 68 *proruunt fossas* (i. e. terram proruunt in fossas easque ita explent; cf. Drakenb. ad Liv. 4, 29, 3 et Ann. 14, 36 *profligare proelia*); cp. 12 *senatu ad infimas obtestationes procumbente* (i. e. ad genua ejus procumbente, ut infimis obtestationibus eum exoraret); cp. 59 *sibi tres legiones, totidem legatos procubuisse* (a se caesos esse); Germ. 13 *arma sumere non ante cuiquam moris quam civitas suffecturum probaverit* (i. e. judicaverit et ita eum probaverit); Hist. 4, 37 *ad liberandum Magontiaci obsidium ducebantur,* ubi commode Ern. contulit Cic. Off. 1, 10 *quae promissa liberantur jure praetorio;* Ann. 1, 73 *Haud pigebit referre — praetentata crimina, ut quibus initiis, quanta Tiberii arte, gravissimum exitium inrepserit, dein repressum sit, postremo arserit cunctaque conripuerit, noscatur* (pro *quod dein — conripuit*), ubi Wolfius addit: „Tironibus notandum est hoc genus brachylogiae ex docta negligentia ortum, tritumque optimis scriptoribus. Ceterum eo quodammodo promittitur crebrior mentio rei gravissimae in libris reliquis.“ Saepissime, praeeunte quibusdam exemplis Livio, in et ad praepositiones praegnantem efficiunt constructionem, cum ceteri plerumque addant participium: Ann. 1, 55 *dissidere in Arminium et Segestem* (i. e. dissidere, et

ita quidem, ut alii in Arminii, alii in Segestis partes abeant, ut recte interpr. Ern.); cf. inter et accusat. b.; 1, 57 *victa in lacrimas* (i. e. ità ut lacrimas effunderet; vide evincere); 4, 43 *in mortem adfecit* (cf. Vell. 2, 85 *in mortem dimicabatur*); Agric. 8 *nec Agricola unquam in suam famam gestis exsultavit* (i. e. ut famam suam augeret; vid. Walch. ad h. l.); Ann. 2, 65 *conruptis primoribus ad societatem* (*i. e. conruptis et ad societatem adductis*); 13, 21 *libertos ad scelus conruptos*; 4, 10 *conrupta ad scelus Livia*; 3, 49 *ceteris ad dicendum testimonium exterritis* (ita ext. ut test. dic.); 16, 8 *exilio patrui ad praecavendum exterritus erat*; 3, 14 *ministros in tormenta flagitabat*; 15, 54 *pugionem — vetustate obtusum increpans, asperari saxo et in mucronem ardescere jussit*; Germ. 23 *humor ex hordeo aut frumento in quandam similitudinem vini conruptus*. Cf. Liv. 7, 42 *multitudinem conjuratorum ad arma consternatam esse*; 21, 43 *in hanc tam opimam mercedem agite — arma capite*; Herod. 1, 27 *οἱ ἐν τῇ Ἀσίῃ Ἕλληνες κατεστράφατο ἐς φόρου ἀπαγωγήν*. — *Marsos inrumpere, exscindere hostem* et similia vide infra ubi de poetico Tacitei stili colore agitur; quaedam hujus generis in ipso Lex. inspicienda sunt s. v. annona, annus, conjunctivus 1. 5. g. contendere, continuare, continuus, dativus 1., elidere, eripere, facies.

2. Quae modo exposuimus de praegnanti verborum structura cum magis ad solum animi sensum quo commotus est scriptor et ad cogitationem quam mente concepit pertineant, et ita quidem, ut ea neglectis grammaticis sermonis praeceptis relictoque vulgari verborum nexu, non perfecta et absoluta orationis forma velut immaturum sed ipsa acerbitate gratissimum fructum in lucem edant, apte excipiuntur ab iis quae

propius jam accedunt ad certam membrisque suis distinctam orationis conformationem, quaeque grammatici Graeco *συλλήψεως* vocabulo complexi sunt, qua aut genere aut personis, aut alio quo modo diversa uno eodemque constructionis genere comprehenduntur, eademque fere *ζεύγματος* ratio est, nisi quod in syllepsi ab iis plerumque quae potiora sunt, in zeugmate vero a propioribus comprehensio illa et constructionis ratio proficisci dicitur. Ad syllepsin igitur pertinent: Ann. 12, 4 *fratrum* (i. e. Silani et Calvinae) *incustoditum amorem;* 1, 55 *gener invisus, inimici soceri* (socer et pater Arminii); saepissime ita comprehenduntur voces, quae, cum diversa exprimant, diversum quoque constructionis genus postulare videntur: Ann. 1, 68 *donec ira et dies permansit;* 13, 15 *quia dissimulationem nox et lascivia exemerat;* Hist. 3, 68 *nox et ignotum rus fugam Neronis absconderant;* 4, 14 *ubi nocte ac laetitia incaluisse videt;* Agric. 37 *finis sequendi nox et satietas fuit;* Ann. 6, 11 *eam potestatem et paucos intra dies finem* (ejus) *accepit;* 12, 28 *praeda famaque onusti;* 2, 80 *hinc militum, inde locorum asperitas;* cp. 29 *manus ac supplices voces ad Tiberium tendens;* cp. 73 *et erant qui formam* (*Germanici*), *aetatem, genus mortis, ob propinquitatem etiam locorum — magni Alexandri fatis adaequarent;* Hist. 2, 88 *tribuni cum terrore et armatorum catervis volitabant;* Agric. 25 *mixti copiis et laetitiâ;* Germ. 1 *Germania — a Sarmatis Dacisque mutuo metu aut montibus separatur;* Agric. 38 *et nox quidem gaudio praedaque laeta victoribus.* — Zeugma vero inest in sequentibus: Agric. 13 *ni velox ingenio, mobilis poenitentiâ* (C. Caesar fuisset) *et ingentes adversus Germaniam conatus frustra fuissent,* (cf. infra Ellipsis verbi subst., ubi simillima afferuntur

exempla); Ann. 6, 21 *praescium periculorum* (esse) *et incolumem fore gratatur*; Germ. 2 *quoniam qui primi Rhenum transgressi Gallos expulerint ac nunc Tungri* (vocentur), *tunc Germani vocati sint*; cp. 36 *ita, qui olim boni aequique Cherusci* (vocabantur), *nunc inertes ac stulti vocantur*; Agric. 44 *nam sicuti durare in hac beatissima saeculi luce ac principem Trajanum videre* (solatium fert et ipsi quoque tulisset saevitiae priorum temporum), *quod augurio votisque apud nostras aures ominabatur, ita festinatae mortis grande solatium tulit, evasisse postremum illud tempus.* Nihil igitur opus neque Walchii neque ceterorum emendationibus; Ann. 1, 17 *denis in diem assibus animam et corpus aestimari*; *hinc vestem, arma, tentoria* (emi), *hinc saevitiam centurionum et vacationes munerum redimi*; 4, 49 *fossam* (deprimens) *loricamque contexens*; Hist. 5, 22 *utque ad fallendum silentio* (agebant), *ita coepta caede, quo plus terroris adderent, cuncta clamoribus miscebant*; Agric. 3 *nec spem modo ac votum securitas publica* (suscepit), *sed ipsius voti fiduciam ac robur adsumpsit*; cp. 45 *nos Maurici Rusticique visus* (horrore perculit), *nos innocenti sanguine Senecio perfudit* (ita rectius Ernesti quam Walch., licet non solum Liv., sed Cic. etiam haud raro transl. sign. usurpent *perfundere* pro *percellere*; in nostro loco zeugma est); Ann. 13, 56 *deesse nobis* (potest) *terra, in qua vivamus, in qua moriamur non potest*; (cf. similia e Cic. et al. allata a Gron. in Observ. 4, 2 p. 534 sq.); Hist. 1, 8 *et pacis artibus* (expertus), *bellis inexpertus*; Ann. 1, 58 *quia Romanis Germanisque idem conducere* (putabam) *et pacem quam bellum probabam*; 2, 20 *quod arduum sibi* (sumpsit), *cetera legatis permisit*; 4, 74 *juxta gratiam* (experiebantur) *aut*

fastus janitorum perpetiebantur; 12, 64 *quae filio dare imperium* (poterat), *tolerare imperitantem nequibat;* 1, 35 *pabuli, materiae, lignorum adgestus, et si qua alia ex necessitate* (parantur) *aut adversus otium castrorum quaeruntur* (sc. de industria, cum cura; vid. quaerere); eod. cp. *neu mortem in iisdem laboribus, sed finem tam exercitae militiae neque inopem requiem orabant;* (i. e. ne morte opprimi in iisdem labb. pateretur, sed finem — permitteret orabant); Germ. 9 *lucos* (habent) *et nemora consecrant*, nam lucos per se sacros esse constat.

Quibus opposita esse videtur figura Tacito maxime frequentata et ipsa Graecis verbis *ἓν διὰ δυοῖν* dicta*) quale est notum illud *pateris libamus et auro* pro *pateris aureis.* Sed quae ap. Tacitum quidem leguntur hujus rei exempla paene omnia probant, majorem inesse vim in substantivis vel adjectivis in illum modum compositis quam in vulgari verborum constructione, et ita hanc etiam figuram ad brevitatem stili Tacitei jure referri posse. Cf. Agric. 16 *nec ullum in barbaris saevitiae genus omisit ira et victoria* (plus valet quam *ira victoris*, est potius *ira et victoriae licentia* sive *ira et licentia victorum*); Ann. 12, 27 *in oppidum Ubiorum — veteranos coloniamque deduci impetrat* (non est simpliciter *col. veteranorum*, cum non *soli* deducerentur veterani); 2, 69 *carmina et devotiones* non idem significant, sed eadem fere h. l. ratio est quae valet Germ. 28 *tanquam per hanc glo-*

---

*) Cf. Taciti Synonyma et per figuram ἓν διὰ δυοῖν dicta ed. Ludov. Roth. Norib. 1826; Walch. ad Agric. p. 315. 411. 431; ejusdem Emendatt. Livv. p. 65 sqq. Rothius vero haud raro videtur nimis multa hujus generis vidisse, idemque fere de ejus libello judicium tulisse animadverto Hand. in Tursell. p. 463.

gloriam sanguinis a similitudine et inertia Gallorum separentur (a similitudine in universum, et maxime ab inertiae sim.); cp. 33 *super sexaginta millia non armis telisque Romanis, sed, quod magnificentius est, oblectationi oculisque ceciderunt* (zur Ergötzlichkeit und bloßen Augenweide); Agric. 27 *cujus (victoriae) constantia et fama ferox exercitus*, Walch. interprete: durch dessen dauernden, gleichbleibenden, folglich überall hin verbreiteten Ruf; sed rectius fortasse *conscientia* legitur; cp. 4 *pulchritudinem ac speciem excelsae gloriae*, minus exprimit *pulchram speciem*, sed auget *species* vim *pulchritudinis* eamque designat qua oculis hominum se praebet; cp. 43 *satis constat, laetatum esse (Domitianum) honore judicioque* (judicio honorifico, sed plus valet, idemque fere est quod *laetatum esse ea re tanquam honore et judicio honorifico*); Hist. 2, 70 *vulgus quoque militum clamore et gaudio deflectere via* (gaudio elatum cum clamore cet.); 4, 53 *magna pars populi, studio laetitiaque connixi, saxum ingens traxere* (non simpliciter *studio laeto*, sed *laetitia gestientes et studio connixi*); Germ. 17 *Eligunt feras et detracta velamina spargunt maculis pellibusque* (i. e. Passovio interp., maculis e beluarum pellibus confectis); Agric. 43 *speciem tamen doloris animo vultuque prae se tulit* (quod bene explic. Walch. his verbis: durch die Stimmung der Seele, die sich im Blick ausspricht, collatis Hist. 4, 31 *sacramentum non vultu neque animo satis affirmans*; Hor. Ep. 2, 1, 97 *suspendit picta vultum mentemque tabella*; ceteri loci, quos affert, minus huc pertinent); saepe explicationi inservit copula Ann. 1, 20 *Rufus diu manipularis, dein centurio, mox castris praefectus, antiquam duramque militiam revocabat*; cp. 40 *incedebat muliebre et miserabile agmen*; 15, 54 *uxo-*

ris quoque consilium adsumpserat muliebre ac deterius; 1, 2 *tuta et praesentia quam vetera et periculosa mallent.* Ex aliis scriptoribus exempla congessit Hess. ad Germ. 7, h.; 33, f.

3. Latissime patet apud Tacitum, et plurimum valet ad augendam orationis concisam brevitatem ellipsis quae proprie dicitur, etiam in comicorum fabulis et in epistolis Ciceronis haud raro obvia. Multa quae huc pertinent suo loco exhibet Lexicon Taciteum, quorum singula exempla sunt quae sequuntur: *theatrum Caesar exstructurum* (se) *pollicitus est*; — *Sejus Quadratus:* (cujus) *originem non repperi*; — *ut erectum et fidentem animi* (se) *ostenderet*; — *incendium* (in) *praediis Tigellini proruperat*; — (incertum utrum) *nihil metuens an dissimulando metu*; — *quanto quis clarior*, (tanto) *minus fidus*; — *abolendae infamiae* (causâ), cet. Plurima tamen hoc loco componentur in ordinem digesta.

a) Ellipsis nominis. Ann. 3, 25 *de moderanda Papia Poppaea* (lege); 14, 53 *medio temporis* (spatio); Hist. 2, 53; 3, 83 *ne minimo quidem temporis voluptates intermissae*; Ann. 14, 10 *reliquo noctis* (tempore); Germ. 22 *apud quos plurimum hiems occupat*; Ann. 12, 11 *spectatae ad id* (tempus, i. e. adhuc); *modestiae*; cp. 38 *prosperis ad id rebus ejus* (Agric. 24 *ignotae ad id tempus gentes*); 11, 11, *octingentesimo post Romam conditam* (anno); 4, 73 *pugna in posterum* (diem) *extracta*; cp. 45 et 12, 17 *postero* (die); Hist. 2, 24 *ad duodecimum a Cremona* (lapidem; vid. Lex.); Ann. 4, 11 *per Apicatam Sejani* (uxorem); Hist. 4, 42 *Sulpicia Praetextata Crassi* (vid. Lips. ad h. l.); Ann. 5, 10 *Piraeeum Atticae orae* (portum); 14, 21 *Eloquentiae primas* (partes) *nemo tulit*; 6, 26 *continuus principis*

(comes; vid. tamen genit.) *liburna* (navis) vid. in Lex.; 16, 8 *Silanum increpuit iisdem* (verbis) *quibus patruum ejus*; Hist. 2, 59 *pro concione laudatos curuli suae* (sellae) *circumposuit*; Agric. 18 *ne laureatis quidem* (litteris) *gesta prosecutus est*; Germ. 23 *Cibi simplices, agrestia poma, recens fera* (i. e. caro); *Dial* 21 *quotus enim quisque Calvi in Asitium aut in Drusum* (orationem) *legit?*; Ann. 1, 57 *Germanico* (operae) *pretium fuit* (apud solum Tacitum obvia ellipsis, vid. Wolf. ad h. l.); 2, 35 *haud referrem, ni pretium foret* (intereſſant) *noscere*; Hist. 3, 8 *in Veronensibus pretium fuit* (eorum deditio magni momenti fuit); cf. cp. 31 *non in vulgus inops, sed in tribunos centurionesque, ubi pretium caedis erat, reverteretur*; Ann. 15, 12 *castra — pretium laboris peti*; Hist. 1, 11 *inerme provinciae — in pretium belli cessurae erant.* Contra *pretium* saepe omittitur a Livio praeeunte Plauto; cf. Liv. 4, 8 *neque consulibus — operae erat id negotium agere*, et 9, 23; 21, 9; 29, 17; 33, 20; 41, 25; 44, 36. Alia hujus generis sunt Cic. Or. 62 *in accusationis secundo* (libro); fin. 5, 5 *Theophrasti Strato* (discipulus), *hujus Lysias, hujus Aristo*; Liv. 25, 37 *Hasdrubal Gisgonis* (filius); Plin. Epist. 2, 20 *Verania Pisonis* (uxor); alter Plin. 10, 59 *Agrippina Claudii Caesaris*; 35, 2 *Atticus ille Ciceronis* (amicus); Liv. 28, 7 *Phocidis Elatia* (oppidum); sic saepissime Liv. et Plin. maj., Liv. 27, 30; 36, 11. 21; 28, 8; 33, 19; Plin. 13, 12; 15, 39; 11, 74; 13, 2, 9. — idem 7, 2 *octonos digitos in singulis* (manibus) *habentes*; Cic. Att. 5, 4 *habes ad omnia* (responsum).

b) Ellipsis verbi usitatissima est (etiam ap. priores) in verbi substantivi infinitivo, et ap. nostrum quidem ita haud paucis locis, ut verbo, unde pendet accusativus cum inf., simpliciter accusativus jun-

ctus esse videatur. Ann. 1, 73 *deorum injurias diis curae*; cp. 66 *tot millibus unum jam reliquum diem lamentabantur*; Hist. 2, 18 *proditionem et accitum Caecinam clamitabant*; Ann. 1, 80 *sunt qui existiment, ut callidum ejus ingenium, ita anxium judicium*; Agric. 35 *arcessendas plerique legiones admonebant*; — Hist. 1, 29 *rapi in castra incertum quem senatorem* (ut dicitur *nescio quis* pro *quidam*; plura hujusmodi exempla vide s. v. sive); — sed etiam indicativus et conjunctivus omittitur et saepius quidem multo quam ap. priores: Ann. 1, 65 *nox per diversa inquies* (erat); 2, 70 *qua tempestate Menelaus Graeciam repetens diversum ad mare terramque Libyam dejectus* (est); Hist. 1, 5 *et Nymphidius quidem in ipso conatu oppressus* (est); cp. 88 *igitur mota urbis cura* (est); 2, 19 *postquam in conspectu Padus* (erat) *et nox adpetebat*; Ann. 1, 65 *cum apud Romanos invalidi ignes, interruptae voces* (essent) *atque ipsi adjacerent*; 16, 26 *superesse qui forsitan manus ictusque per immanitatem ausuri* (essent); Agric. 16 *ac velut pacti* (essent, quidquid contra dicat Walchius) *exercitus licentiam, dux salutem, haec seditio sine sanguine stetit*; Hist. 4, 34 *tentaverat interim Civilis obsessorum animos, tanquam perditae apud Romanos res* (essent) *et suis victoria provenisset*; Ann. 4, 22 *tanquam ipse somno gravis atque eo ignarus* (fuisset) *et uxor sponte mortem sumpsisset*; 6, 43 *si statim — petivisset, oppressa cunctantium dubitatio* (fuisset s. erat), *et omnes in unum cedebant.* Cf. Sall. Cat. 25 *multa alia, quae instrumenta luxuriae*; 39 *postquam Cn. Pompejus ad bellum maritimum — missus, plebis opes imminutae, paucorum potentia crevit*; Jug. 75 *nam rati* (sunt) *sese diis — curae esse.*

Posse, facere, agere, vereri omittuntur Ann. 13, 41 *quia nec teneri* (poterant) *nec id nobis virium erat*; cf. Caes. B. C. 3, 49 *equos eorum vix tolerari*, ubi vid. Held. — Hist. 1, 36 *nec deerat Otho, protendens manus, adorare vulgum — et omnia serviliter pro dominatione* (facere); Ann. 16, 19 *quod plerique pereuntium* (fecerunt); 6, 35 *cum Sarmatae — contis gladiisque ruerent, modo equestris proelii more frontis et tergi vices* (facerent), *aliquando, ut conferta acies, corporibus et pulsu armorum pellerent, pellerentur*; Hist. 1, 84 *vos quidem istud pro me* (egistis); *sed — patefieri occasio etiam adversus me potest*; Germ. 19 *melius quidem adhuc eae civitates* (agunt) *in quibus tantum virgines nubunt*; Hist. 3, 67 *voces populi blandae et intempestivae, miles minaci silentio* (agebat); Ann. 1, 43 *melius et amantius ille* (egit) *qui ferrum mihi obtulit*; 4, 38 *Sic Herculem et Liberum deum numero additos. melius Augustum* (egisse) *qui speraverit*; Agric. 19 *nihil per libertos servos publicae rei* (actum), ubi similia affert Walchius e Cic., Liv. al. Notissima est locutio *nihil aliud quam* omissis verbis *facere, agere*; cf. Brem. ad Suet. Caes. 26 *quod ante eum nemo* (fecit), et Selling. Observ. critt. in Taciti Agric. p. 16. — Ann. 12, 2 (verendum esse) *ne femina — claritudinem Caesarum aliam in domum ferret*; cp. 66 (metuendum) *ne facinus proderetur*; 1, 47 *quos igitur anteferret? ac ne postpositi contumeliâ incenderentur* (verendum); cf. Cic. Verr. 4, 7 *sed ne difficilia optemus.*

Ire, se conferre et similia apud omnes paene scriptores haud raro omittuntur Ann. 4, 57 *tandem Caesar in Campaniam* (profectus est); 14, 29 *Sic pedes; equites vado secuti*; cp. 8 *anxia Agrippina quod nemo a filio* (veniret) *ac ne Agerinus quidem*

(rediret); cf. Quintil. 5, 12, 23 *nunc ad ordinem inceptum* (revertar); Plin. epist. 5, 6 *verum illuc unde coepi* (revertar); Cic. Att. 14, 1 *sed ad propositum* (revertar); Fam. 16, 17 *ego hinc perendie mane cogito* (proficisci); (cf. Att. 5, 3 *Beneventi cogitabam hodie* sc. esse; Q. fratr. 2, 7 *postridie in Laterio cogitabam* sc. manere); Sall. Jug. 100 *Dein Marius uti coeperat in hiberna* (proficiscitur); Cic. Fam. 9, 7 *Ego omnino magis arbitror per Siciliam* (eum venturum).

Creberrima est ellipsis verborum dicendi et sensuum quae dicuntur: Ann. 14, 8 *respicit ac, si ad visendum venisset, refotam nuntiaret* (dicit); Hist. 3, 13 *Ibi Vespasiani virtutem — extollit, transfugisse classem — atque omnia de Vitellio in deterius* (refert); Ann. 1, 31 *non unus haec* (dixit); cp. 65 *simul haec* (dicit) *et — scindit* (cf. Stat. Theb. 2, 659); Hist. 5, 4 *alii* (dicunt) *honorem eum Saturno haberi;* 4, 75 *ad ea Cerialis Civili et Classico nihil* (respondit); 5, 16 *Exhortatio ducum — ut quosque suorum advehebantur. Cerialis veterem Romani nominis gloriam, antiquas recentesque victorias* (extollebat); *ut perfidum, ignavum, victum hostem in aeternum exciderent* (suos exhortatus est), *ultione magis quam proelio opus esse* (dicens); Ann. 4, 70 *quidam regrediebantur — id ipsum paventes, quod timuissent; quem enim diem vacuum poena....* (dicebant); 12, 17 *servitii decem millia offerebant, quod adspernati sunt victores, quia trucidare deditos saevum, tantam multitudinem custodia cingere arduum: belli potius jure caderent*; cp. 65 *Haec atque talia dictitans amplecti Britannicum — modo ad deos modo ad ipsum tendere manus, adolesceret, patris inimicos depelleret*; 14, 7 *tum pavore exanimis et jam jamque adfore obtestans vindictae properam — quod contra subsidium sibi?* cf. Cic.

Brut. 92 *nimis multa videor de me* (dixisse), *ipse praesertim;* Att. 7, 2 *cupio ad omnes tuas epistolas* (respondere); Fam. 6, 2 *qui ad te haec* (scribo); Liv. 2, 29 *tum demum consules* (dicebant); Cf. Spald. et Frotscherum ad Quint. 10, 1, 38. — Agric. 33 *jamque agmina* (apparuere), *et armorum fulgores audentissimi cujusque procursu;* cp. 17 *Ubi Vespasianus Britanniam reciperavit, magni duces* (conspiciebantur); cp. 21 *inde etiam habitus nostri honor, et frequens toga* (conspiciebatur); Hist. 1. 82 *dejecti in terram militum vultus, ac plus tristitiae quam poenitentiae;* 4, 55 *Classicus nobilitate opibusque ante alios;* 2, 29 *ut vero deformis — processit, gaudium, miseratio, favor;* Ann. 1, 7 *ne laeti* (viderentur) *excessu principis, neu tristiores primordio, lacrimas, gaudium miscebant.*

Alia quaedam hujus generis sunt Ann. 11, 9 *vi militis Romani ad excidenda castellorum ardua* (sc. conversâ), *simul Ibero exercitu campos persultante;* 12, 33 *tunc montibus arduis* (castra posuit) *et si qua clementer accedi poterant, in modum valli saxa praestruit;* 2, 43 *liberos ejus ut multum infra* (se collocatos, minoris dignitatis) *despectare;* Hist. 1, 80 *pessimus quisque in occasionem praedarum* (intentus erat); Ann. 13, 43 *Ille, nihil ex his sponte susceptum, sed principi paruisse, defendebat* (contendebat ut se defenderet); cf. Cic. Att. 10, 9 *Melitam — capessamus, dum quid in Hispania* (geratur audiamus); Fam. 7, 31 *propter tuas res ita contractas, ut, quemadmodum scribis, nec caput nec pedes* (habeant); 16, 18 *tu nullosne tecum libellos* (habes)? 12, 30 *nemo ad te meas litteras* (perfert)? 9, 18 *satius est hic cruditate quam istic fame* (perire); Plin. Epist. 5, 6 *ut parva magnis* (conferam).

c) Ellipsis particularum nulli magis quam Tacito frequens quaecunque et linguae et perspicuitatis legibus salvis omitti possunt brevitatis studio repudianti. Praeter ea, quae suo loco in Lexico exhibuimus, hic adnotanda censuimus quae sequuntur. Creberrima est praepositionum omissa iteratio, e. c. Agric. 35 *simul in frontem simul et* (in) *latera;* Ann. 6, 51 *Quamquam mater in Liviam et mox Juliam familiam adoptionibus transierit.* Cf. Walch. ad locum priorem. — quia omissum Ann. 3, 30 *fato — an satias capit;* quod Ann. 6, 9 *causa offensionis Vestilio fuit seu composuerat quaedam in C. Caesarem — sive ficto habita fides;* cum Ann. 15, 62 *imaginem vitae suae relinquere testatur, cujus si memores essent, bonarum artium famam, tum constantis amicitiae laturos;* magis Ann. 13, 6 *pleraque in summa fortuna auspiciis et consiliis quam telis et manibus geri;* tantum Ann. 6, 19 *quantumque saevitia glisceret miseratio arcebatur;* tanto cp. 21 *quantum introspiceret, magis ac magis trepidus;* cf. in adjectivo comparationis varios modos et quae Lud. Roth. in synon. p. 41 attulit: „Tacitus ex rebus duabus comparatis alteram quae sequitur saepius omittit, ut Agric. 9 *saepius misericors* (quam poenae exactor); Germ. 22 *saepius calida* (quam frigida); Ann. 3, 33 *plura uxoribus objectari* (quam viris); Hist. 2, 69 *contra veterem disciplinam et instituta majorum, apud quos virtute* (potius) *quam pecunia res Romana melius* (quam nostra aetate) *steterat.*"

Alii, hinc, primum, modo omittuntur in priori membro Ann. 1, 63 *ut* (alii) *opus et alii proelium inciperent* (cf. Liv. 3, 37 *virgis caedi, alii securi subjici* et Drak. ad 4, 21, 9)*;* 3, 10 (hinc) *minas accusantium et hinc preces audit;* 1, 67 *ut* (primum)

hi, mox pedes, in hostem invaderent; 6, 32 (modo) *tardari metu, modo cupidine vindictae inardescere;* Hist. 3, 82 (modo) *hos, rursus illos — fovebat* (cf. Ruhnk. ad Vell. 2, 110). — ut omittitur post *orare, petere, perpellere, jubere, clamitare* et ubi ex animo cujusdam consilii ejus ratio additur praecedentibus: Ann. 2, 72 *oravit exueret ferociam;* 3, 10 *petitumque est a principe cognitionem exciperet;* Hist. 4, 20 *cunctantem legatum milites perpulerant fortunam proelii experiretur;* Ann. 13, 15 *jussit exsurgeret;* 11, 34 *clamitabantque audiret — matrem;* cp. 36 *clamitans adspiceret cet.;* 12, 41 *Britannicus in praetexta, Nero triumphali cum veste transvecti sunt. Spectaret populus hunc decore imperatorio, illum puerili habitu, ac perinde fortunam utriusque praesumeret.* — ita omittitur ante *ut* particulam, Terentii maxime more Hist. 2, 46 *ut nemo dubitet potuisse renovari bellum,* (contra Liv. *ut* omisit 24, 16 *Gracchus ita permisit: in publico epularentur omnes*); tamen desideratur post *quamquam* conjunctionem Hist. 4, 68 *ne quamquam egregii duces summam belli parum tolerarent;* cf. Ramsh. Gr. Lat. p. 690 et Tursell.; sed saepe omittitur, e. c. Agric. 37 *in fugam versi, non agminibus, ut prius, nec alius alium respectantes,* (sed) *rari et vitabundi invicem, longinqua atque avia petiere.* Vid. Hertel. ad h. l.

Eodem pertinet Tacito maxime usurpatum Asyndeton: Hist. 1, 3 *laeta, tristia, ambigua, manifesta;* Ann. 4, 46 *bellumque impeditum, arduum, cruentum minitabantur;* Hist. 1, 73 *apud Galbam, Othonem, Vitellium inlaesa;* Germ. 2 *Quis — Germaniam peteret, informem terris, asperam coelo, tristem cultu adspectuque;* — Ann. 6, 35 *pellerent, pellerentur;* 3, 26 *sine probro, scelere;* 4, 37 *am-*

bitiosum, superbum; cp. 43 *quodsi vatum, annalium ad testimonia vocentur;* Hist. 4, 75 *eum qui adtulerat,* (et) *ipsas epistolas ad Domitianum misit;* etiam participia sine copula componuntur, ut Dial. 3 *sedentem ipsum, quem pridie recitaverat librum intra manus habentem deprehendimus* ubi Osann. apte contulit Liv. 21, 25 *ibi — profectus, in insidias praecipitatus — emersit.* Cf. Drakenb. ad Liv. 6, 39, 9; Ruhnk. ad Vell. 2, 39; Walch. Emendd. Livv. p. 31. Sed vide etiam abundantiam quandam copulae s. v. et, et quae statim sequuntur.

Sunt sane multa in oratione Tacitea, quae, cum copiam quandam verborum prae se ferant, contra illam brevitatis legem pugnare videantur; sed re vera et ipsa vim alacritatemque orationis ita augent ut non minus quam ἓν διὰ δυοῖν figura, cujus supra exposuimus rationem, ad brachylogiae etiam exempla referri queant. Et primum quidem iis quae modo de Asyndeto diximus hujus generis adnectitur aptissime Anadiplosis sive adjectio quae vocatur (Quint. 9, 3, 28), id est ejusdem verbi, maxime particularum cum vi quadam iteratio et crebrior etiam repetitio; cujus ea est ratio, ut plerumque copulae omissae vice fungatur, sed ita ut plus valeat: Ann. 1, 7 *miles in forum, miles in curiam* (non solum — sed etiam); cp. 59 *arma in Segestem, arma in Caesarem poscens;* Hist. 1, 50 *mansisse C. Julio, mansisse Caesare Augusto victore imperium;* Ann. 2, 82 *statim credita, statim vulgata sunt;* Hist. 1, 9 *sine constantia, sine auctoritate;* cp. 10 *sed apud subjectos, apud proximos, apud conlegas variis inlecebris potens;* 15, 59 *dum auditur Milichus, dum dubitat Scevinus;* Agric. 9 *procul ab aemulatione, — procul a contentione;* cp. 15 *aeque discordiam praepositorum, aeque concordiam subjectis exitiosam,* ubi similia ex Horat.,

Ovid., Xenoph. et Platone affert Walch.; Ann. 1, 38 *non praefectum ab iis, sed Germanicum ducem, sed Tiberium imperatorem violari*; cp. 69 *potiorem jam apud exercitus Agrippinam quam legatos, quam duces*; Germ. 11 *rex vel princeps, prout aetas cuique, prout nobilitas, prout decus bellorum, prout facundia est, audiuntur*; cp. 16 *colunt discreti ac diversi, ut fons, ut campus, ut nemus placuit*; Dial. 40 *apud quos omnia populus, omnia imperiti, omnia, ut sic dixerim, omnes poterant. Nostra quoque civitas, donec erravit, donec se — confecit, donec nulla fuit in foro pax, nulla in senatu concordia, nulla in judiciis moderatio, nulla superiorum reverentia, nullus magistratuum modus, tulit sine dubio valentiorem eloquentiam*, qui locus optime probat, oratorem maxime Tacitum ita locutum esse, ut sunt plurima hujus generis exempla apud Ciceronem et Quintilianum, pauca tantum, si Livium rhetorico stilo gaudentem excipias, ap. rerum scriptores; cf. Liv. 1, 13 *dirimere* bis; cp. 28 *Mettus* ter; cp. 32 *haec* quater; 4, 28; 5, 39; Caes. B. G. 7, 28 52 *non* ter; Liv. 6, 4, 29 bis; 26, 48 quinquies; 9, 19 *nunquam* quinquies; 26, 44 *dum* ter; 38, 40 *prout* ter; Caes. B. G. 5, 6 *cupidum* bis; 6, 21 *ali* bis; 7, 32 *divisum* bis.

Multa porro abundarent in stilo Taciti, si idem plane significarent Synonyma quae vulgo dicuntur, quaeque satis multa e Taciti libris congessit Lud. Rothius in libello supra laudato. Sed ea quoque ita se habent, ut alterum alterius augeat, explicet, novaque sententia amplificet significationem. Plerumque substantiva in hunc modum composita inveniuntur; „est enim", ita recte sane Rothius, „scriptor nominum substantivorum cupidissimus, adeo, ut adjectiva (apposita Quint. 8, 6, 40) quasi nervos orationis suc-

cidentia reformidare videatur". Exempla sunt *seditio* et *turbae*, *fulgor* et *claritudo*, *dolor* et *ira*, *odium* et *invidia*, *modestia* et *pudor*, *sanguis* et *caedes*, *vires* et *robur*; adjectiorum, adverbiorum verborumque minor numerus: *incertum* et *ambiguum*, *immotum fixumque*, *gravia* et *saeva*, *divisus* et *discors*, *falsa* et *inania*, *emendata* et *correcta*, *cautus ac providus*, *pulchrum ac decorum*, — *turbide et seditiose*, *temere ac fortuito*, *occultare et abdere*, *profligare ac proruere*, *pollui foedarique*. Vide et haec et ceterorum turbam ap. Rothium.

Ea quae proprie pleonasmi exempla dixeris minus e Taciti ingenio quam e communi linguae usu profecta sunt aut in hujus similitudinem composita, nec quidquam detrahunt orationis brevitati, cum nemo veterum in iis quasi abundanter dictis offenderet. Multa vero etiam in his ejusmodi sunt, ut alterum alterius aliquid addat significationi. Cf. Ann. 1, 9 *mari Oceano*; Hist. 4, 12 *insulam occupavere quam mare Oceanum a fronte, Rhenus amnis tergum ac latera circumluit*, ubi *mare Oceanum* congruit cum vulgari *Rh. amnis*; Ann. 4, 53 *morbo corporis implicata* (opp. animi aegritudini, ut Cic. Tusc. 4, 10 *morbi corporum — animi morbi*; Mur. 40 *corporis morbus — animi dolor*); Hist. 2, 99 *e gravi corporis morbo tum primum adsurgentem*; Ann. 4, 6 *corporum verbera*; 12, 17 *veniam liberis corporibus orantes*; 5, 9 *id aetatis corpora in Gemonias abjecta* (cf. Cic. ad Q. p. reditum 5 *corporibus civium trucidatis*; Sall. Cat. 24 *stuprum corporis*; Jug. 113 *voltu corporis pariter atque animo varius*; Curt. 5, 6 *captivorum corpora*; Virg. Aen. 2, 565 *corpora saltu ad terram misere*); Ann. 14, 47 *aeger valetudine* (Plin. H. N. 20, 31, *valetudinis morbus*); 13, 10 *ut principium anni inciperet mense*

Decembri; Germ. 30 *initium sedis inchoant*; Ann. 13, 43 *publicae pecuniae peculatus* (Liv. 33, 47 *publicus peculatus*); Germ. 46 *pedum usu ac pernicitate gaudent* (Vell. 2, 34 *velocitate pernix*); Hist. 4, 81 *ni pede ac vestigio Caesaris calcaretur*; 2, 71 *luxu et saginae mancipatus emptusque*; Ann. 2, 14 *fucatus colore*; 4, 44 *admodum adolescentulus* (etiam aliis freq. locutio); Dial. 6 *homines veteres et senes*; cp. 17 *antiqui ac veteres oratores* (cf. Plin. Pan. 12 *ducem — ex illis veteribus et priscis*; Vell. 1, 16 *priscam illam et veterem tragoediam*; vid. ibi Ruhnk.); Ann. 12, 31 *citas cohortes rapit*; cp. 3 *crebro ventilando*; 15, 52 *crebro ventitabat*; 14, 52 *carmina crebrius factitare*; 11, 7 *ante praevidere*; Dial. 18 *si illud ante praedixero* (cf. Cic. Phil. 6, 3 *ante praedico*; a. b. Hisp. 4 *ante praemisit*; Liv. 40, 23 *ante praemeditatis quae ab Roma renunciaret*; Plin. epist. 10, 15 *ante praedixi*. Plura hujus generis vide in Handii Tursellino Vol. I. p. 385 et in indice ad Drakenb. Liv. s. v. *ante*); Dial. 18 *Num dubitamus inventos, qui prae Catone Appium Caecum magis mirarentur?*; cf. a. b. Afric. 54 *magis — quam pudoris — studiosiores*; Ann. 6, 1 *saxa rursum — repetiit* (cf. Nep. Alcib. 6 *rursus resacrare*; Pelop. 1 *adversus resistere*; Liv. 9, 27 *rursus revocare*; 22, 6; 9, 2 *retro repetere*; 27, 28 *retro remittere*; 23, 28 et Epit. 130 *retro redire*; Curt. 7, 6, 2 *rursus in montem recesserunt*; Suet. Caes. 2 *rursus repetitus*); Germ. 38 *capillum retro sequuntur, ac saepe in ipso solo vertice ligant* (*ἐν αὐτῷ μόνῳ*. v. Passov. ad h. l. et quae addit. Hess. etiam e Cicerone exemplo collato); Dial. 5 *non patiar Maternum societate plurium defendi*; *sed ipsum solum apud vos arguam*; Germ. 4 *nullis aliis aliarum nationum connubiis infectos*,

ubi vide Passovii doctam adnot. p. 90. — Ann. 15, 52 *nisi si* (εἰ μὴ εἰ) *cupido dominandi cunctis adfectibus flagrantior est*; 6, 25 *nisi si negatis alimentis adsimulatus est finis*; Germ. 2 *nisi si patria sit*; Agric. 32 *nisi si Gallos et Germanos — fide et adfectu teneri putatis* (ita Cic. de or. 2, 62. 81; pro Quint. 19; Fam. 5, 9; Catil. 2, 4; Att. 2, 12; Consol. ed. Bip. p. 339; Quintil. 1, 6, 2; 3, 10, 2; 4, 3, 5; 11, 3, 142; 12, 9, 11; Plin. H. N. 21, 18; 6, 34; 17, 35 (8); 18, 79. Cf. Walther observv. in Tacit. I. p. 10: *si* minime abundat, sed significat *forte*, nostrum etwa. ambiguitatemque verbis adjungit.); sed recte Hess. quoque monet ad Germ. 2, p. „Saepius tamen pleonastice invenitur, praesertim si sequatur *forte* Cic. Orat. 2, 58. Ovid. Heroid. 4, 111. ibiq. Heins. Parei Lex. crit. p. 792. Mantiss. p. 100. Ter. Eun. 4, 3, 20. Colum. 4, 10. Noster cum aliquid revera esse narrat, simplici *nisi* utitur Ann. 1, 2. 3. 7". Dial. 35 *nempe enim*; Hist. 1, 31 *incipiens adhuc et necdum adulta seditio*. Cf. *nempe enim* Plin. Pan. 62; Quint. 2, 13, 9; 8 prooem. 6; similia sunt Cic. Att. 6, 3 *quippe res enim*; Consol. ed. Bip. p. 393 *nempe igitur*; Liv. 28, 12; 1, 25; 3, 31; 9, 31; 39, 25 *itaque ergo*; Liv. 2, 10 *ita sic*; Cic. or. 52 *tum ad extremum*; Nep. Eum. 5 et Vell. 2, 23 *deinde post*; Cic. Tusc. 4, 1 *deinde postea*; Liv. 2, 8 et saepissime ap. Plin. maj. *tum deinde*; Liv. 24, 27 *tum inde*; Plaut. Amphitr. Prol. 30 *ego quoque etiam*; Plin. H. N. 14, 19 *et fruticum vero e genere*; 16, 50 *et caprifici autem*; 20, 13 *et sativi vero*. Quo pertinet *et — etiam* ap. Tacitum Germ. 10. 45 coll. Plin. Ep. 10, 97, 6 *etiam — quoque*. Bene super hac re Doederl. ad Agric. p. 64 monuit: „die Römer nehmen an Verbindungen sehr sinnverwandter Begriffe, besonders in rhetorischen Stellen,

nicht leicht Anstoß. Im schlimmsten Falle nannten sie das ubertas orationis was wir abundantia".

III. De poetico stili Tacitei colore.

Magnam intercessisse apud Graecos inter poetas et rerum scriptores antiquissimis temporibus similitudinem satis jam probat notissima illa, qua Homerum epici carminis auctorem Herodoti similem, hunc autem historiae Homerum vocare solemus, comparatio. Alia fuit apud Romanos rerum componendarum ratio, qui, cum a sola annalium confectione profecti et ita jam a principio plus ipsis rebus quam animo propriam cujusque in iis enarrandis ac dijudicandis indolem exprimenti tribuentes, Graecorum maxime exemplo permoti in historiae quoque conscribendae arte perfectiora adspirarent, oratoria magis quam poetica ornamenta sequebantur. Et ita quidem perfectissimum inter omnes Romanos rerum scriptores exemplar quodque maxime Romanam rerum componendarum reddat indolem jure dixeris Titum Livium, iis potissimum longe praestantem, qui, sicut Lucanus, Silius, alii, nihil prope aliud quam res gestas vincta oratione enarrantes imminuebant epici carminis dignitatem, atque ipsi historiae gravitati officiebant, poeticam dictionem, ut ornatum adstruerent rerum monumentis, frustra adtentantes. Unus inter omnes Tacitus dignus est qui cum Graecis illis comparetur non extrinsecus petito cultu poetico sed sua ingenii vi et innata ipsi animo poetica sublimitate validus. Atque ut Herodotus epici ita noster lyrici maxime et dramatici carminis imaginem reddit, omnia quae memoriae prodit in morem tragici poetae disponens, in omnibus exprimens sui ingenii impetum, sui animi vel intimos sensus. Sed haec res ejusmodi est, ut neque in regulas redigi neque exemplis exponi queat, et satis jam de ea dictum esse videtur ubi de

Taciti in conscribenda historia virtutibus egimus. Sunt vero multa, quae ad ceterorum scriptorum quandàm similitudinem referri possunt, atque ita expositionem qualis apta est huic loco admittunt.

Tacitum non dedita opera cum hexametro Annales suos coepisse *Urbem Romam a principio reges habuere*, non minus sane constat, quam ante eum jam Livium ab hexametri exordio de industria inchoasse praefationem ad historiarum libros viri docti negarunt. Et ad hujus quidem verba *Facturusne operae pretium sim* a Drakenborchio adnotata cum óptime refellant ineptas quorundam opiniones, Tacitum ejusmodi versus ex ipsis poetis deprompsisse, hic referantur, praesertim cum nemo, quod sciam, tam accurate ac tanta cum doctrina hanc rem tractaverit. „Cicero quidem scripsit in Orat. cap. 56 *Incidere vero omnes numeros in orationem, etiam ex hoc intelligi potest, quod versus saepe in oratione per imprudentiam dicimus: quod vehementer est vitiosum: sed non adtendimus, neque exaudimus nosmet ipsos. Senarios vero et Hipponacteos effugere vix possumus. Magnam enim partem ex Jambis nostra constat oratio, sed tamen eos versus facile agnoscit auditor, sunt enim usitatissimi. Inculcamus autem per imprudentiam saepe etiam minus usitatos, sed tamen versus; vitiosum genus, et longa animi provisione fugiendum.* Observandum tamen, hujusmodi versus, modo integros, modo dimidiatos, inprudentibus orationis prosaicae scriptoribus, etiam qui diligentissime stilo operam dederunt, nonnunquam excidisse. Tales occurrunt infra 4, 57, 7 *intra Moenia compulsis nec defendentibus agros;* 22, 50, 10 *Haec ubi dicta dedit, stringit gladium, cuneoque;* 23, 18, 2 *Moliri portas et claustra refringere.* — — Duos proximos suggessit Cl. Dukerus, alterum ex Liv. 7, 13, 11 *Ut signum daret, ut ca-*

capere arma juberet; alterum ex 21, 9, 3 *Arma: nec Hannibali tanto discrimine rerum.* — Plurima similia exempla ex omnis aevi scriptoribus diligentissime collegit Barthius 4 Adv. 13 libr. 41, 22 aliisque locis, observatis a celeberrimo Burmanno ad Quinct. 9, 4 p. 852, quibus adde (Gruter. ad Cic. 2 de inv. 1.) Muretum ad Cic. Orat. 1 Catil. 1, qui non tantum ex Cic., Sallust. et Caton. exempla congessit, sed et ex Liv. 7, 11, 6 *Pugnatum haud procul Porta Collina est totius viribus urbis.* et 7, 14, 9 *Ipse ubi illuxit, in radicibus montium extendere aciem coepit Sedulo, ut adversus montes consisteret hostis.* Adde etiam Gulielm. Forster. 1 Juris interpret. 7." Ex Taciti libris praeter Ann. 1, 1 contulit Ann. 15, 73 *Donec consensu patrum deterritus est, ne;* Germ. 39 *Auguriis patrum et prisca formidine sacram.* Adde e Pädagog. und Litterar. Mittheilung. v. Matthias Fasc. 3 p. 82 ejusdem libelli exempla cp. 18 *bellorum casus putet, ipsis incipientis;* cp. 32 *praecellunt, nec major apud Chattos peditum laus,* et cf. Hermanni Opusc. 1 p. 124, Passow. et Hess. ad Germ. 39; Hess. varr. lectt. in T. Germ. I p. 39; Cic. de or. 3, 47; Quintil. 9, 4, 74 sq.

Singulae voces locutionesque poeticae in ipso Lex. inspiciantur adhibito indice earum quem in Prolegomenis supra exhibuimus. Exempla sunt *eburnus* pro *eburneus; decor* pro *decus*; *densere* pro *densare;* creberrimus verbb. simpl. usus; adject. pro adverb. posita; Hist. 3, 53 *equestris procella* (ita et similiter saepissime Liv.); *mortales* pro *homines* coll. Ann. 15, 23 *ultra mortale gaudium accepit* (praeeuntibus Vellejo, Sallust., Livio, atque etiam Cicerone his locis: in Q. Caecil. 2; Cluent. 71; Sull. 9; Pis. 31. 40; Phil. 4, 3; Rep. 2, 10; non semper poeticam vim esse in hoc vocabulo, patet ex multis locis Sal-

lustii, Velleji et maxime Liv. 6, 16 *magnam partem plebis vestem mutasse, multos mortales capillum ac barbam promisisse*); Ann. 2, 73 *arbiter rerum*; 1, 65 *dira quies* (cf. Lucan. 7, 26 *dira quies et imagine maesta diurna*); 3, 74 *in limine belli*; cp. 33 *conjugem sex partus enixam*; cp. 39 *trucidati sunt sine nostro sanguine*; cp. 54 *vita populi Romani per incerta maris et tempestatum quotidie volvitur*; Germ. 36 *marcentem pacem nutrire*; cp. 20 *Sera juvenum Venus* pro concubitu, ut praeter poetas saepissime Plin. in hist. nat. loquitur. Saepe poeticus color eo additur stilo quod inanima pro animatis usurpantur; igitur non solum de animalibus Germ. 5 *ne armentis quidem suus honor aut gloria frontis* (vide ad h. l. Hess.), sed etiam Ann. 1, 79 *quin ipsum Tiberim nolle prorsus accolis fluviis orbatum minore gloria fluere*; 15, 15 *flumen vi equorum perrupere* (quasi hostium aciem); Germ. 40 *Est in insula Oceani castum nemus* (vid. ibi Hess); Ann. 11, 9 *distractis Orientis viribus et quonam inclinarent incertis*; 12, 16 *eductae altius turres facibus atque hastis turbabant hostes*; Hist. 5, 6 *praecipuum montium Libanum erigit* (Judaea), *mirum dictu, tantos inter ardores opacum fidumque nivibus*; Germ. 27 *sepulcrum caespes erigit* (ubi vide Hessii adnot.); Ann. 15, 62 *lacrimas eorum ad firmitudinem revocat*; Hist. 1, 17 *circumsteterat palatium exspectatio* (v. circumstare); 2, 70 *inhumana pars viae*; 3, 6 *viam hostibus abstulerunt*; 2, 71 *tanto corruptius iter*; Ann. 1, 31 *multa seditionis ora vocesque*; Hist. 1, 2 *opus adgredior opimum — discors*; 3, 86 *Domitianum miles frequens in paternos penates deduxit*; Ann. 15, 62 *lenta effugia sanguini praebebat*; Germ. 26 *Sola terrae seges imperatur* (ubi similia contulit ex aliis Hess.);

Ann. 1, 61 *moesti loci* et *infelix dextra.* Creberrima est temporis prosopopoeia: Ann. 6, 51 *morum quoque tempora illi diversa; egregium vita famaque* (tempus) *quoad privatus — fuit; occultum ac subdolum — donec Germanicus et Drusus superfuere*; Hist. 3, 86 *praecipiti in occasum die*; Ann. 1, 28 *noctem minacem*; 2, 40 *noctem incustoditam*; Hist. 1, 80 *nox abstulerat obsequia;* Germ. 30 *disponere diem, vallare noctem*; Ann. 2, 14 *nox eadem laetam Germanico quietem tulit*; 13, 17 *nox eadem necem Britannici et rogum conjunxit*; cp. 33 *idem annus plures reos habuit*; 4, 15 *idem annus alio quoque luctu Caesarem adficit, alterum ex geminis Drusi liberis exstinguendo*; 1, 54 *annus — accepit*; 4, 14 *annus — habuit*; 6, 45 *annus — adficit;* Agric. 22 *annus — aperuit;* (cf. Cic. Brut. 92 *Interim me quaestorem Siciliensis excepit annus*; Liv. 2, 44 *hic annus tribunum — habuit;* 3, 15 *nihil novi novus annus adtulerat;* 4, 20 *tertius — annus tribunum eum — habet;* ita praeterea cp. 44. 49. 61; 5, 8. 24. 38; 9, 44; Vell. 2, 65. 104. Plin. H. N. 2, 31. 106); Ann. 4, 31 *vidit — aetas;* 3, 59 *fessam aetatem — praetenderet;* 14, 33 *si quos fessa aetas — adtinuerat;* 15, 38 *fessa senum et rudis pueritiae aetas;* Hist. 1, 12 *fessa jam aetate Galbae;* 3, 67 *erat illi et fessâ aetate parens;* Ann. 15, 50 *qui fessis rebus succurreret;* 11, 24 *fesso imperio subventum est,* ubi Rupert. similes e Sil. et Plin. maj. locos affert.

Haud raro terrarum hominumque nominibus poetice junguntur verba, quae proprie ad appellativum pertinent cui secundo casu nomina illa addenda erant, vel certe ad homines referuntur verba, quae vulgo appellativis tantum et abstractis jungi solent: Ann. 2, 25 *Marsos inrumpit;*

cp. 56 *Cappadoces in formam provinciam redacti*; Agric. 22 *vastatis — nationibus;* Ann. 2, 25 *populatur, exscindit hostem;* 12, 58 *Apamenses terrae motu convulsi;* cp. 49 *dum socios magis quam hostes praedatur*; Hist. 2, 87 *ipsi cultores arvaque — ut hostile solum vastabantur*; Ann. 16, 13 *omne mortalium genus vis pestilentiae depopulabatur*; Hist. 5, 12 *expugnatis Iudaeis*; Agric. 41 *tot militares viri cum tot cohortibus expugnati et capti* (ubi collato Thucydideo ἐκπολιορκεῖν Walch. laud. Justin. 3, 4, 11 *expugnatis veteribus incolis*; Lucret. 4, 1008 *reges expugnare*; Exsuperant. 8 *expugnare Sertorium*; Liv. 23, 30 *obsessos fame expugnavit*; quibus adde Curt. 3, 1, 7 *se scire inexpugnabiles esse*; 9, 10, 7 *tria simul agmina populabantur Indos — maritimos Ptolemaeus, ceteros ipse rex et ab alia parte Leonnatus urebant*; Liv. 28, 5 *finitimos depopulabantur;* Epit. 47 *Illyrios — vastaverant*); — Ann. 12, 25 *se accingere juvene* et *nepotibus subnixus*; 3, 63 *Milesios Dario rege niti*; Hist. 2, 71 *Marinum distulit* (i. e. consulatum ejus); cp. 95 *misera civitas eodem anno Othonem Vitelliumque passa*; Hist. 4, 52 *amicos desinere* (i. e. amicorum studia, amicitias); Ann. 5, 10 *jam publicis studiis frequentabatur* (*juvenis*); 4, 42 *Merulam — albo senatorio erasit.* Cf. Quintil. 8, 6, 25 *hominem* (i. e. bona ejus) *devorari*; Plin. H. N. 6, 24 *regi — percontanti postea narravit Romanos et Caesarem;* 7, 2 *supra hos extrema in parte montium Trispithami Pygmaeique narrantur.* Atque ita priores quoque usurpant *narrare, loqui.*

Commodissime hic adnectuntur qui usitatissimi sunt Tacito Graecismi, cum eos quoque in latinum sermonem induxerit poetica scribendi ratio. Multa hujus generis exempla in ipso operis contextu adtigi-

mus, ut *obscurum noctis, incerta belli,* (cf. Ann. 4, 31 *his tam adsiduis tamque moestis modica laetitia interjicitur*); — *audita scriptaque senioribus*; *abolendae infamiae* sc. causa; *bellum invitis aut cupientibus erat*; *subsidia dominationi* (ut subsidia haberet dominationis; cf. Gron. Observv. 4, 17 p. 724 sq.); *contectus humeros*; *braccas indutus*; *falsa exterritus*; *manifestus dissentire*; *properus clarescere*; *peritus obsequi*; omissum *verendi* verbum ante *ne* particulam; *uxor* et sim. omissa in usu genitivi; infinitivus Graecorum more usurpatus; *dicitur* cum acc. c. inf. constr. vide infin. no. 3; cf. jactare; *septemviris simul*, omisso *cum*; *aderant semisomnos in barbaros*; *exsultare* Gr. ἐξορχεῖσθαι, et alia quaedam. Cf. praeterea Ann. 16, 34 *ut conjectare erat* (licebat); Germ. 5 *est videre apud illos argentea vasa;* Agric. 32 *est ulcisci* (ita saepissime Plin. maj. 8, 56; 9, 2. 48. 51; 11, 55; 14, 8; 17, 6; 20, 36. 76; 22, 7; sed Liv. etiam 42, 41 *quae verbo objecta verbo negare sit*, aliique quos laudat Hess. ad Germ. 5); Ann. 4, 9 *ut ferme amat* (solet) *posterior adulatio* (Horatio aliisque praeeuntibus; cf. Quintil. 9, 3, 17 *Ex Graeco vero translata vel Sallustii plurima, quale est „vulgo amat fieri“* Sall. Jug. 34 *quae ira fieri amat*); Ann. 16, 9 *donec a centurione vulneribus adversis tanquam in pugna caderet* (cf. Suet. Otho. 5 *ab hoste cadere;* Nep. de regibus 3, 3 *periit a morbo*, ubi vid. Brem. adnot.); Ann. 15, 14 *adjecisse deos dignum Arsacidarum* (Cic. Balb. 2 *mihi quidem dignum rei videtur*); Ann. 1, 27 *is ante alios* (aliis praestans) *aetate et gloria belli;* Hist. 2, 76 *tua ante omnes experientia*; 5, 12 *templum in modum arcis propriique muri, labore et opere ante alios*; (cf. similem Livii, Curtii, poetarum et recentiorum usum ap. Hand. in Tursell. Vol. 1 p. 386 sq.,

cujus sagacitatem ac diligentiam hanc Taciti consuetudinem ab illo propter verbum omissum longe recedentem subterfugisse demiror.); Germ. 25 *Libertini non multum supra servos sunt*; Agric. 25 *universae ultra gentes*; Ann. 13, 41 *cuncta extra — sole inlustria fuere* (cf. Liv. 23, 27 *omni circa agro potiuntur*; Sen. de ira 1, 16, 28 *sermone, conatu et omni extra* (externo) *paratu facient magnitudinis fidem*).

LEXICON TACITEUM.

A (AB) interdum minus usitata significatione usurpatur: 1) a principio, ut haud raro apud Ciceronem aliosque ab initio, non idem valet nonnullis locis atque inde a principio, sed majore tantum vi differt á simplici principio, i. q. statim principio. Ita Ann. 1, 1. *Urbem Romam a principio reges habuere;* simili modo Cic. fin. 5, 16 habet *a principio fuit is animi appetitus.* 2) i. q. post valet Ann. 1, 19. 26 *missio a sedecim annis;* 6, 50 *a summa spe novissima exspectabat.* cf. Liv. 33, 36 et 44, 34 *a prospera pugna;* Plin. H. N. 17, 9 *proximum deinde caprarum est stercus, ab hoc ovium, deinde boum, novissmum jumentorum.* Plura vide in Handii Tursellin. p. 45. sqq. 3) i. q. propter Hist. 4, 72 *Cerialis a metu infamiae — pressit iras;* cf. Liv. 40, 13. *Quo deinde modo, si te metu mortis credebam coenam evitasse meam, non ab eodem metu comissationem quoque evitaturum existimabam?* Curt. 5, 13 *vates quoque adhibere coepit a superstitione animi.* Sen. Clem. 20 *a duabus causis punire princeps solet.* Cf. Handii Tursellin. p. 26 4) i. q. secundum, Germ. 2 *ut omnes, primum a victore* (secundum v.) *ob metum, mox a se ipsis, invento nomine, Germani vocarentur.* Ita recte hunc locum explicat Walch. in Emendatt. Livv. p. 79. Similiter Graeci: *ἀπό τινος ὀνομάζεσθαι.* Minus huc pertinet locus Taciti Ann. 3, 69 ab Handio l. l. allatus; ibi enim *a legibus puniri delicta* prosopopoeïa est Tacito vulgaris. 5) ad denotandam patriam pro adjectivo posita est a particula Ann. 2, 47 *Magnetes a Sipylo proximi damno ac remedio habiti;* quare in nummis legitur *Μαγνησία ἀπὸ Σιπύλου,* ad dignoscendum id oppidum a Magnesia ad Maeandrum et in Thessalia sita. V. Ruperti ad locum Taciti quem Handius quoque attigit in Tursellin. p. 50. Eodem modo Livius 1, 50. *Turnus Herdonius ab Aricia* (i. e. ab Aricia oriundus, Aricinus civis) *ferociter in absentem Tarquinium erat invectus;* 2, 22 *obsides dant trecentos principum a Cora atque Pometia liberos.* Cf. Handii Tursellin., qui cum p. 19 apte moneat, non modo de patria terra, sed de quocumque loco, cui aliquis desumptus videatur, adhiberi hanc particulam, inter plu-

res alior. locos affert Tacit. Hist. 2, 92 ex emend. Pichenae *praeposuerat praetorianis P. Sabinum a praefectura cohortis* (i. e. qui erat in praefectura cohortis). 6) i. q. a parte, ut a fronte, a tergo, a Syria, a Sequanis dicitur, Ann. 4, 25 *ab Romanis confertus pedes, dispositae turmae, cuncta proelio provisa.* V. exempla e Cicerone, Livio, Caesare, aliis desumpta ap. Hand. in Tursell. p. 51 et Forcellin. auctum ab Hertelio et Voigtl. et Plin. H. N. 3, 9 *a Circejis palus Pomptina est,* quibus similia saepius apud hunc leguntur. 7) ut a metu pro simplici ablativo dicitur (v. supra), ita insolentius etiam abundat particula Ann. 6, 35: *quos super eques, et a propioribus vulneribus pedites adflictabant,* quasi dicat „*a propioribus locis* (Cf. Virg. Aen. 5, 168 *propiora tenentem*) *adfl. vulneribus.*" Vide similia in Prolegomenis ubi de Graecismis agitur *a morbo perire, a centurione, ab hoste cadere.* Ejusdem prope generis est Caesaris illud „*positis castris a millibus passuum quindecim*" B. G. 6, 7 et saepius. 8) ad munus designandum adhibetur, ut a Cicerone, saepius ab argenteae aetatis scriptoribus (v. Handii Tursell. p. 59 sq.) Ann. 15, 35 *eum nobiles habere, quos ab epistolis et libellis et rationibus adpellet.* — De ellipsi hujus particulae cf. ablativus; abusque vide suo loco.

ABDERE poetica, sed apud Ciceronem Tacitumque haud raro obvia vox, Ann. 1, 11 *ut sensus suos penitus abderet;* 3, 64 *idque ille credebatur, ut inferius majestate principis, gravi et dissimulata offensione abdidisse;* 5, 7 *gladio, quem sinu abdiderat, incubuit;* 6, 46 *non abdita ambage;* 13, 1 *abditis adhuc vitiis.* — De exsilio adhibetur, ut apud alium fortasse neminem praeter Tacitum Ann. 2, 85 *eaque in insulam Seriphon abdita est.* Cf. seponere et projicere.

ABLATIVUS eo maxime differt a genitivo, quod minus internam ac per se necessariam rerum rationem, quam externam atque extrinsecus petitam designat; atque ita non solum pretium, tempus, locum, materiam, instrumentum, sed etiam causam finemque, et ea quidem apud Tacitum saepius fortasse quam apud alios, exprimit. Ceterum eo quoque insignis est Taciteus sermo, quod brevitatis causa praepositiones cum abl. alias conjunctas haud raro spernit, solo contentus ablativo, quo etiam pro iis nonnunquam utitur praeposs., quae cum accusat. conjungi solent.

1) Abl. cum adject. relat. quomodo distet a genit., v. s. hac voce. Rarius in universum usurpatur, ut e. c. Ann.

1, 6 *firmatus animo centurio* (ap. Sallustium legitur: *firmatus animi*): Hist 1, 8 *Cluvius Rufus — bellis inexpertus*; Ann. 2, 66 *vetus stipendiis*; cp. 43 *ingenio violentus*; 6, 15 *mitis ingenio*; cp. 45 *commotus ingenio*; 1, 50 *sollers ingenio*; Hist. 1, 24 *mobilis ingenio*; 4, 38 *turbidus ingenio*; 3, 62 *absurdus ingenio*; Agric. 13 *velox ingenio*. — Notanda est hic etiam propria vis, qua differt ingenium ab animo; *animi* saepissime conjungitur cum istiusmodi adjectivis, nunquam fortasse ingenii, sed ingenio. Ita Hist. 4, 48 *turbidus animi* quo tum cum maxime in M. Silanum animo fuerit imperator, designat; sed cap. 38 *turbidus ingenio* ad ipsos mores spectat, ut Ann. 4, 23 *moribus turbidus*. De crebro usu ablatt. in u desinentium v. s. supino.

2) Abl. omissis praepp. a, ex, in, cum. Ann. 1, 1 *temporibus Augusti dicendis non defuere decora ingenia, donec gliscente adulatione* (non sunt abll. absol.) *deterrerentur*; 3, 3 *facilius crediderim Tiberio et Augusto, qui domo non excedebant, cohibitam*; cp. 20 *donec desertus suis caderet*; 2, 50 *ut propinquis suis — removeretur*; 14, 8 *respicit Anicetum trierarcho et centurione comitatum*; Germ. 14 *exigunt principis sui liberalitate illum bellatorem equum*; Agric. 18 *Monam insulam, cujus possessione revocatum Paulinum memoravi, redigere in potestatem*; cp. 13 *fatis monstratus Vespasianus* (v. similia e Livio, Horatio, Lucano petita ap. Walch. et Handii Tursell. p. 26) Hist. 1, 50 *captam totiens suis exercitibus urbem*; cp. 53 *vexillis inferioris Germaniae praeventus erat*; Ann 2, 46 *se duodecim legionibus petitum duce Tiberio*, (cf. quae de omissa cum praep. infra dicentur et Cic. Mil. 9 *servos — quibus silvas — depopulatus erat — deduxerat*; Verr. 5, 46 *oppressus praedonibus*; Vell. 2, 18 *ea urbs pertinacissime arma retinebat, exercituque Romano obsidebatur*; cp. 63 *Antonius — proruto vallo, militibus receptus est*). Hist. 4, 15 *Oceano inrumpit*; cp. 45 *Antonius Flamma Cyrenensibus damnatur* (cf. dativus). — Ann. 1, 12 *vultu — conjectaverat*; 4, 43 *neque Philippum potentiâ, sed ex vero statuisse*; 12, 38 *ni cito vicis et castellis proximis subventum foret*; Hist. 3, 15 *et Britanniâ Galliâque et Hispaniâ auxilia Vitellius acciverat.* — Ann. 12, 36 *stetere in armis praetoriae cohortes, campo, qui cet.* (apud poetas ita creberrime; *tota urbe, tota Asia* et similia vulgari etiam sermone. cf. Liv. 26, 28 *longe fortissimi equitum toto Punico exercitu erant*); 15, 40 *incendium — praediis Tigellini Aemilianis proruperat*; Hist. 1, 48 *Vinius pro-*

consulatu (proconsul) *Galliam Narbonensem severe integreque rexit;* Ag. 6 *tribunatus annum quiete et otio transiit;* Hist. 3, 16 *vacuum medio relinquit iter;* cp. 19 *posse coloniam plano sitam impetu capi;* cp. 38 *turrim vicino sitam;* (cf. Liv. 2, 1 *res pace belloque gestae;* Quint. 7, 4, 22 *quo tempore, bello an pace*). Huc pertinet etiam Ann. 3, 19 *is finis fuit ulciscenda Germanici morte.* — Ann. 6, 37 *multis millibus venit;* Hist. 3, 55 *magno senatorum agmine — in castra venit.* (cf. Cic. pro Caec. 31 *si quis te ex aedibus tuis vi, hominibus armatis dejecerit;* Liv. 26, 1 *ut reliqua belli perficeret eo exercitu;* 27, 12 *pugnatum totis copiis;* cp. 22 *ut eadem classe — provinciam haberet;* 1, 14 *egressus omnibus copiis;* 25, 27 *centum triginta navibus longis — profectus;* similia v. 1, 23; 2, 9; 5, 34; 9, 13; 25, 22 et apud Moeb. ad Caes. B. G. 2, 7).

3) Abl. exprimit *ob, propter, ad, in* Ann. 6, 42 *trecenti opibus aut sapientia delecti ut senatus* (eodem modo Plin. H. N. 6, 24 *eligi regem a populo senectâ clementiâque, liberos non habentem*); 12, 10 *non se foederis ignaros nec defectione a familia Arsacidarum venire;* 15, 33 *promptiores aditus erant laetitiâ spectaculi;* 1, 59 *aliis gentibus ignorantiâ imperii Romani inexperta esse supplicia;* cp. 69 *peritiâ morum Tiberii;* 13, 16 *postquam fervore aspernabatur.* Quorum pleraque per ellipsin participii v. subst. explicari posse demonstratur in Proleg. Huc pertinet eo usurpatum pro ideo Ann. 1, 50 *consultat ex duobus itineribus breve et solitum sequatur, an impeditius et intentatum eoque hostibus incautum.* Ita Ann. 2, 35; 6, 16; Hist. 2, 37. 56; Germ. 28. 41 et saepius (cf. Plaut. Aul. 2, 2, 65; Cic. de or. 3, 10; Verr. 3, 25; Fam. 6, 1; Att. 13, 48; 15, 22; Liv. 1, 11; 5, 16; 34, 31; 4, 37; 37, 23; 36, 36; Sall. Jug. 24; ep. ad Caes. de ord. rep. 1, 5; Caes. B. G. 4, 2; Vell. 2, 67. 115, nec raro apud Quint. ubi v. Spald. ad 4, 2, 80); eodem modo his pro ob haec, his permotus Ann. 14, 60 *his Nero, haudquaquam poenitentiâ flagitii, conjugem revocavit Octaviam.* Similiter participium omissum puta Agric. 19 *emere ultro frumenta ac vendere pretio* (sc. statuto) *cogebantur.* — Ann. 14, 4 *explendâ simulatione* = ad expl. s.; cp. 11 *Nero matrem publica fortuna exstinctam referebat* i. e. in p. fort. V. similia e Livio Plautoque deprompta apud Ramsh. in Gr. Lat. p. 256.

4) Ablativi qui non ejusdem sunt generis copulantur: Hist. 1, 63 *omni comitate exceptos subitus pavor exterruit, raptis repente armis ad caedem innoxiae civitatis,*

non ob praedam aut spoliandi cupidine, sed furore et rabie et causis incertis eoque difficilioribus remediis; Agric. 25 *mixti copiis et laetitia* et eodem loco *paratu magno, majore fama;* Germ. 25 *occidere solent, non disciplina et severitate, sed impetu et ira;* Hist. 2, 22 *molares ingenti pondere ac fragore provolvunt;* Ann. 15, 1 *ut ne duce quidem Romano incursarentur, sed temeritate obsidis.* V. in Proleg. quae de varietate sermonis Tacitei dicta sunt.

5) Genit. pro abl. An. 15, 14 *adjecisse deos dignum Arsacidarum* more Graecorum non modo apud poetas, sed apud Suetonium etiam atque ipsum Ciceronem (Balb. 2) nonnunquam usurpato. cf. Ruperti ad Taciti locum. — de verbo potiundi cum genit. conj. v. s. hoc casu; de fungendi ac vescendi verbis v. accusat. — Abl. pro genit. Ann. 3, 38 *proconsulem Cretae postulaverat repetundis* (i. e. repetundarum s. de repetundis); 12, 46 *castellum commeatu egenum* (apud Liv. aliosque genit. cum hac voce conj.)

ABNUERE saepius quam ab aliis a T. usurpata vox, rariore etiam detrectandi, ut apud Livium ac Virgilium nonnullis locis, et prohibendi (de rebus inanimis) ut apud Tibull. et Plin. maj., significatione: Ann. 1, 23 *servos — abnuere caedem;* 15, 21 *abnuentibus consulibus ea de re relatum* (esse); 6, 8 *fortunae — minus expediat adgnoscere crimen quam abnuere;* Hist. 3, 52 *media scriptitabat, ut ex eventu rerum adversa abnueret vel prospera adgnosceret;* cp. 54 *abnuenti vera esse quae adferret, inquit cet.* — Ann. 2, 22 *nihil abnuendo veniam omnium accepere;* 4, 26 *Dolabellae petenti abnuit triumphalia Tiberius;* 2, 78 *suscipiendum bellum abnuere;* 4, 56 *Lepidus ipse deligere* (eum) *per modestiam abnuebat;* 11, 12 *certo, si abnueret, exitio;* Hist. 4, 35 *aliis redire in castra abnuentibus.* — Ann. 6, 27 *egregium quemque — abnuere id munus;* 14, 37 *abnuerat — jussa ducis;* 11, 8 *solis Seleucensibus dominationem ejus abnuentibus;* 12, 46 *non abnuere pacem Iberos;* Agric. 21 *ut qui modo linguam Romanam abnuebant, eloquentiam concupiscerent.* — Hist. 5, 13 *quando impetus et subita belli locus abnueret, aggeribus vineisque certare studuit.*

ABOLITIO (Suet., Quintil., Seneca, Flor.) Ann. 6, 2 *abolitio sententiae;* 13, 50 *tributorum abolitio* cp. 51 *abolitio quadragesimae.* Etiam τοῦ abolere crebrior apud Tacitum quam apud alios usus. V. Forcell. lex. ab Hertelio auctum.

ABRUMPERE, ABRUPTUS 1) sign. propr. = perrumpere, praerumpere, praeruptus (ut Hist. 2, 41 *praeruptis utrimque fossis*) saepius quam apud alios: Ann. 2, 23 *insulas saxis abruptis — infestas; 15, 59 abruptis brachiorum venis;* eadem cp. 63 et 16, 9; Hist. 3, 25 *laxati ordines abrumpuntur;* Ann. 1, 66 *equus abruptis vinculis vagus.* (Similia e Livio, Curtio et maxime argenteae aetatis scriptoribus petita v. in Forcell. lex. ab Hertelio aucto). 2) translate ut apud solos fere poetas et argent. aet. scriptt. (cf. tamen Cic. Phil. 14, 12 *haec* (legio) *se prima latrocinio abrupit Antonii,* et quae Hertel. in lex. Forcell. affert e Liv. et Curt.). Ann. 4, 20 *inter abruptam contumaciam et deforme obsequium;* cp. 50 *abrumpendas pariter spes ac metus;* cp. 60 *inceptum sermonem abrumpere; 11, 26 abrumpi dissimulationem; 12, 50 patientiam abrumpunt; 16, 28 abrumperet vitam ab ea civitate cet;* Hist. 1, 48 *mox Galbae amicitia in abruptum tractus, audax, callidus promptus cet.* (cf. Vellej. 2, 2 *in praeruptum atque anceps periculum adduxit remp.*); 2, 53 *abruptis vitae blandimentis;* 3, 63 *abrupta undique spe;* 4, 60 *tanquam fidem per scelus abrumperent;* cp. 64 *abruptis voluptatibus;* Agric. 42 *plerique per abrupta* (contumaciter) — *ambitiosa morte inclaruerunt.* Cf. in lex. Forcellin. Herteliano omissos locos: Quintil. 10, 2, 19 *ne, cui tenue ingenium erit, sola velit fortia et abrupta;* Plin. Ep. 9, 26 *plerumque altis et excelsis adjacent abrupta.*

ABSCESSUS, US apud Cic. ac Virgilium i. q. recessus, abscessio (*solis, Rutulum*), apud solum, ut videtur, Tacitum significat et secessum et absentiam Ann. 6, 38 *continuo abscessu velut exsilium;* 4, 57 *causam abscessus* (*Tiberii*) — *ad Sejani artes rettuli.*

ABSISTERE v. adsistere.

ABSTRACTA pro concretis (cf. pluralis), poetice et multo saepius quam apud alios solutae orat. scriptt., haec fere inveniuntur: Auxilia = copiae auxiliares Ann. 6, 41 *cum IV millibus legionariorum et delectis auxiliis missus;* 13, 38 *socias cohortes et auxilia regum pro cornibus — constituit;* 15, 2 *adjectis Adiabenorum auxiliis;* Hist. 1, 67 *missi ad Raetica auxilia nuntii.* Ita vigiliae, stationes, custodiae usurpantur Ann. 1, 28 *vigiliis, stationibus, custodiis portarum se inserunt, spem offerunt, metum intendunt.*

Militiae = milites Hist. 3, 18 *quos* (*auxiliares*) *militiae legionariis quamquam raptim ductos aequabant.* Cf. Plin. H.

N. 4, 27 *Glessaria a succino militiae* (militibus nostris) *appellata, a barbaris Austraria.* Etiam e Cic., Livio, aliis exempla congessit Drakenb. ad Liv. 4, 26, 3.

Delectus = delecti milites Hist. 4, 71 *delectus per Galliam habitos in civitates remittit.*

Matrimonia = uxores Ann. 2, 13 *matrimonia ac pecunias hostium praedae destinare.* Cf. Suet. Caes. 51 *ne provincialibus quidem matrimoniis abstinuisse.* Alia exempla e Justino et Floro petita vide ap. Drak. ad Liv. 10, 23, 6; et hoc ipso loco recte se habere videtur lectio *convocatis plebejis matrimoniis;* quae contra monuit Drakenb. „non modo in ipso Livio, sed ne in aequalibus quidem scriptoribus simile exemplum occurrere," nihil paene valent ap. Livium quidem, certa mss. auctoritate. Cf. etiam Burm. ad locum Suet. supra laudatum; Duker. ad Flor. 1, 1; Graev. ad Justin. 41, 2.

Conjugium = conjux Ann. 12, 65 *quod conjugium principis devotionibus petivisset.* Ita Virg. Aen. 3, 296; Apulej. 9 de As. aur. p. 154 ed. Colv.

Necessitudines, adfinitates = necessarii, adfines. Hist. 1, 15 *non meae tantum necessitudines, quas tibi postposui;* Ann. 11, 24 *jam moribus, artibus, adfinitatibus nostris mixti (Galli).*

Amicitiae = amici Ann. 4, 40 *excessisse (te) jam pridem equestre fastigium longeque antisse patris mei amicitias non occulti ferunt;* 5, 2 *increpuit amicitias muliebres, Fufium consulem oblique perstringens.* Cf. 2, 27 *Firmius Catus senator ex intima Libonis amicitia;* cp. 77 *Domitius Celer, ex intima ejus amicitia.*

Dominationes = domini Ann. 12, 30 *regnum Vangio ac Sido inter se partivere, egregia adversus nos fide, subjectis, suone an servitii ingenio, dum adipiscerentur dominationes, multa caritate, et majore odio postquam adepti sunt;* 13, 1 *segnis et dominationibus aliis fastiditus.*

Nobilitates = nobiles An. 12, 20 *nobilitatibus externis mitis.* — Singulari numero nobilitas et apud Tacitum et apud Livium, Ciceronem Caesarem, Sallustium haud raro legitur hac sign.

Remigium = remiges Ann. 14, 39 *naves in littore remigiumque in iis amiserat;* 16, 2 *dantur triremes et delectum remigium* 3, 1 *non alacri, ut adsolet, remigio, sed cunctis ad tristitiam compositis.* Cf. obsidium suo loco.

Clientelae, servitium = clientes, servi Ann. 14, 61 *vitam ipsam in extremum adductam a clientelis et servitiis Octaviae;* 12, 36 *incedentibus regiis clientelis;* 13, 37 *Tiridates super proprias clientelas ope Vologesi — adjutus.* Cf. Cic. Fam. 15, 4; Vell. 2, 29.

Exsilium = exsul Hist. 1, 2 *plenum exsiliis mare.*

Antiquitas = antiqui Ann. 15, 13 *Validam quoque et laudatam antiquitatem, quotiens fortuna contra daret, saluti consuluisse.*

Consultationes = consultores Ann. 16, 14 *ventitare ad eum nuntios et consultationes.*

Mors = mortuus Hist. 2, 45 *nec quisquam adeo mali expers, ut non aliquam mortem maereret.*

Ingenia = homines ingenio insignes, ingenio aliquo praediti Ann. 1, 1 *decora ingenia;* Hist. 1, 1 *postquam bellatum apud Actium — magna illa ingenia cessere;* Dial. 1 *de ingeniis nostris* (oratoribus) *male existimandum;* cp. 2 *M. Aper et Julius Secundus celeberrima tum ingenia fori nostri;* Hist. 2, 92 *servilia ingenia;* Ann. 14, 49 *pavida ingenia;* Hist. 3, 49 *in tali ingenio;* Ann. 4, 35 *punitis ingeniis gliscit auctoritas;* Agric. 9 *credunt plerique, militaribus ingeniis* (viris) *subtilitatem deesse;* cp. 3 *ingenia studiaque oppresseris facilius quam revocaveris;* cp. 2 *monumenta clarissimorum ingeniorum;* Ann. 15, 41 *monumenta ingeniorum antiqua.* Cf. Curt. 4, 22, 11 *Graeci, ut sunt temporaria ingenia, decernunt cet.* Vell. 2, 36 *ingeniorum enumeratio;* 1, 16. 17. 18. 36; Quintil. 10, 1, 118. 122; 3, 7, 18; 1, 6, 32; Plin. Ep. 6, 21; 7, 6 et sic saepius apud hujus aevi scriptores, sed etiam apud priores Ter. Andr. 1, 1, 66 *qui cum ingeniis conflictatur ejusmodi;* Sall. Cat. 8 *praeclara ingenia;* cp. 51 *in magna civitate multa et varia ingenia sunt;* Liv. 1, 46 *duo violenta ingenia;* 2, 43 *adeo excellentibus ingeniis citius defuerit ars cet;* 22, 43 *ut transfugia impeditiora levibus ingeniis essent;* 28, 27 *adsueram militaribus ingeniis;* 40, 47 *epotis primis poculis iterum poposcerunt* (*legati Celtiberorum*), *magno risu circumstantium in tam rudibus et moris omnis ignaris ingeniis.* V. ingenium. Cf. etiam Sen. ad Helv. 17 *maximum adhuc solatium tuum tacueram, sororem tuam, illud fidelissimum* pectus *tibi — illum* animum *omnibus nobis maternum.*

Locum exprimunt perfugium, exsilium, secretum: Ann. 3, 62 *uti Dianae Leucophrynae perfugium in-*

violabile foret; Hist. 4, 44 *egressos exsilium;* secretum v. suo loco. Cf. etiam auditorium et conventiculum.

ABSTRUDERE praeter nonnullos apud Plautum, Ciceronem ac Virgilium locos, apud solum fortasse Tacitum: Ann. 4, 69 *tectum inter et laquearia tres senatores — sese abstrudunt;* 3, 6 *ut quondam divus Julius, amissa unica filia, ut divus Augustus, ereptis nepotibus, abstruserint tristitiam;* 1, 24 *abstrusum et tristissima quaeque maxime occultantem Tiberium;* 15, 5 *metu abstruso.* Cf. 2, 28 *iram condiderat;* 3, 64 *idque ille credebatur — gravi et dissimulata offensione abdidisse.*

ABSURDUS non raro quidem apud Ciceronem, Sallustium, Vellejum et alios quosdam legitur, sed saepissime apud Tacitum: Ann. 3, 47 *absurdam in adulationem progressus;* 4, 65 *haud fuerit absurdum tradere;* 6, 28 *cognitu non absurda;* 12, 9 *aetati utriusque non absurdum;* cp. 24 *initium condendi — noscere haud absurdum reor;* 13, 45 *sermo comis, nec absurdum ingenium* (ita Sall. Cat. 25); Hist. 3, 62 *neque absurdus ingenio;* 4, 48 *si pauca repetiero ab initio causisque talium facinorum non absurda;* Ann. 13, 14 *ferebatur — non absurde dixisse ire Pallantem ut ejuraret.* Cf. locum Velleji 2, 38 in lex. Forcell. Herteliano omissum.

ABUNDANTIA vide moderatio.

AC plerumque quidem consonanti, etiam c litterae praeponitur (ut Ann. 16, 17 *ac C. Petronius;* Agric. 31 *ac contumelias*); sed nonnunquam ut apud ceteros ita apud Tacitum quoque vocali et h litterae praemissa invenitur haec conjunctio. Cf. Tacit. Dial. 4 *ac assidua;* cp. 39 *ac alter;* cp. 40 *ac ullius,* et praeter eos locos, quos Ramshorn. (Gramm. lat. p. 515 sq.) in hanc rem attulit: Seneca de ira 3, 41 *ac aequalitas;* de vita beata 22 *ac amisso;* Caes. B. C. 3, 109 *ac interfici;* Cic. fragm. oratt. ed. Bip. p. 483 *ac eodem;* Plin. Pan. 77 *ac assidue;* Plin. H. N. 8, 10 *ac ita;* cp. 53 *ac herinaceorum;* 16, 83 *ac in;* 37, 54 *ac Ida;* Quintil. 12, 10, 77 *ac oratorem.* De variis super hac re virorum doctorum sententiis v. Handii Tursellin. p. 454 sqq. additis quae Hessius exhibet variar. lectt. in Germ. I p. 41. Cum nihil prorsus sit, quod huic per se repugnet consuetudini, cum vix ullum in ejusmodi rebus tam constantem usum inveniamus, a quo non singulis locis recesserint scriptores, haud sane ad solam in codicibus conferendis negligentiam omnes istos locos referendos esse censuerimus. — Eadem est hujus conjunctionis

in significatione varietas, quam in et particula apud Tacitum deprehendimus, quare ad hanc amandamus lectorem. Saepe transitionibus servit, poniturque pro et quidem, et ita, at, et tamen Ann. 14, 64 *ac puella cet;* 11, 29 *ac primo Callistus et Narcissus — agitavere;* 15, 54 *uxoris quoque consilium adsumpserat muliebre ac deterius* 1, 35 *saevum id malique moris etiam furentibus visum. Ac* (ita) *spatium fuit, quo Caesar ab amicis in tabernaculum raperetur;* Agric. 39 *inerat conscientia derisui fuisse nuper falsum e Germania triumphum —. ac* (at hercule) *nunc veram — victoriam — celebrari*; Ann. 6, 40 *Armenia quondam potitus ac tunc reus;* 12, 11 *ac tamen ferenda regum ingenia;* 3, 54 *nemo refert quod Italia externae opis indiget. — ac nisi provinciarum copiae — subvenerint, nostra nos scilicet nemora nostraeque villae tuebuntur.* De his ceterisque h. part. significatt. v. Handii Tursell. et infra atque.

ACCEDERE v. accusat.

ACCELERARE saepissime ap. Tac., et passive quidem apud alium praeter eum neminem: Ann. 1, 50 *delecta longiore via cetera accelerantur;* Hist. 2, 85 *accelerata interim Vespasiani coepta;* Agric. 43 *nullo credente sic accelerari quae tristis audiret.* — Ann. 3, 75 *consulatum ei acceleraverat Augustus;* Hist. 2, 100 *accelerare legiones Cremonam — jussae.* Cf. locos in Herteliana lex. Forcell. editione omissos Liv. 27, 47; 31, 29; 37, 20. 22; Plin. H. N. 17, 1. V. celerare.

ACCENDERE, ut ap. Livium ac Sallustium, saepius quam incendere usurpatur incitandi, excitandi, augendi sign. Ann. 1, 53 *traditam Tiberio pervicax adulter — in maritum accendebat;* cp. 69 *accendebat haec onerabatque Sejanus;* cp. 4 *trucem Agrippam et ignominia accensum;* 3, 4 *studia hominum accensa in Agrippinam;* 12, 34 *minuendo metu, accendenda spe;* cp. 54 *intempestivis remediis delicta accendebat;* 14, 7 *militem accenderet;* 15, 1 *accendebat dolorem eorum Monobazus;* cp. 4 *ira magis quam metu ceteros accenderant;* Hist. 1, 9 *furentes — ultro accendebantur;* cp. 66 *accensis — cupidinibus;* Agric. 15 *injurias — interpretando accendere.* Vide indicem ad Drakenb. Liv. s. hac v.

ACCINGERE, accinctus cum Livio saepissime usurpat Tacitus, praeter eos poetae et ~~aureae~~ argenteae aetatis scriptores: Ann. 6, 2 *ferro accincti;* cp. 32 *ornat Phrahaten accingitque paternum ad fastigium;* 11, 18 *militem, quia vallum non accinctus, atque alium, quia pugione tantum accinctus foderet,*

morte punitos; cp. 28 *majorem ad spem accingi* (simili modo Livius); cp. 31 *feminae pellibus accinctae*; 12, 25 *se quoque accingeret juvene partem curarum capessituro*; cp. 31 *turmas quoque peditum ad munia accingit*; cp. 44 *studio popularium accinctus*; 15, 51 *accingeretur modo navare operam cet*; Hist. 3, 66 *desperatione saltem in audaciam accingeretur*; 4, 68 *adsumuntur e civitate clarissimus quisque, et alii per ambitionem. simul Domitianus Mucianusque accingebatur cet*; cp. 79 *antequam hostes — ad spem vel ad ultionem accingerentur.*

ACCOLA vox poetica, sed praeter Tacitum apud Livium etiam, Ciceronem aliosque nonnullis locis obvia: Ann. 2, 68 *ad amnem Pyramum contendit, cujus pontes adcolae ruperant*; 4, 46 *adversum accolas belligerare*; 1, 79 *Tiberim nolle, prorsus accolis* (poetice pro vicinis) *fluviis orbatum, minore gloria fluere.*

ACCUSATIVUS poet. Ann. 12, 56 Lirin, alias Lirim et Lirem, ut Ann. 4, 50 *Turesim.* — Accusat. plur. in îs desinens apud Tacitum saepissime prioribus in libris Annalium legitur, praecipue participiorum, ut Ann. 1, 44 *ob* imminentis *Suevos*; cf. cp. 4. 20. 24. 36. 47. 49. 51. 56. 57. 60. 64. 65. 75. 76. 77. 80; tum adjectivorum, ut omnîs Ann. 1, 3 (cp. 62 omnes); plurîs cp. 67 (cp. 68 *plures*); complurîs Germ. 8; tenuîs Ann. 2, 14; militarîs cp. 12; enormîs cp. 14; ingentîs Dial. 10; hospitalîs Ann. 2, 65; hostilîs Ann. 3, 34. 53; rebellîs Ann. 1, 40; feralîs Ann. 2, 75; trîs (ut ap. Caes. saepius e. c. B. G. 6, 32) Ann. 15, 18; 16, 11; Hist. 2, 18; 3, 6. 78; sed tres etiam, e. g. Agric. 25; minus saepe substantivorum: aedîs Ann. 1, 75; ignîs Ann. 2, 47; navîs cp. 70; triremîs cp. 55; partîs Ann. 1, 60 et praeter vulgarem formam partes, etiam parteis Ann. 3, 62 ut Vell. 2, 97. V. Ruddim. ed Stallb. I p. 101. Syntaxis accusativi. Ut cum genitivo ablativus, ita cum dativo accusativus arctissimo similitudinis quam vi et significatione prae se ferunt vinculo conjunctus est. Siquidem dativus et accusativus in eo consentiunt, quod ad actionem aliquam referuntur, dum quietum rei statum exprimunt genitivus et ablativus. Sed eo differunt inter se, quod ad ipsam actionem spectat accusativus, qua ad rem vel personam quandam pertinet, dativus contra nihil exprimit proprie nisi rationem, quae inter actionem illam et rem personamve intercedit. Per se patet, non tantum id esse discri-

men, quod non tollere possit loquentis vel scribentis de ratione ista concepta cogitatio. Hinc apud Tacitum legitur, ut exempla afferantur, „*indulgere rem* et *rei, jubere aliquem* et *alicui.*" Atque inde cum ablativo etiam quaedam quasi cognatio accusativi sequitur. Nam quae illius vis est, ut adhaerere aliquid alicui rei, atque in ea esse extrinsecus petitum exprimat, ea nonnunquam sic etiam explicari potest, ut non solum referri sed transferri etiam dicamus inter se eas res, inter quas ea intercedit ratio. Quapropter saepissime Graeci, et qui inter Latinos scriptores maxime reddunt horum in exprimendis rebus vim atque *ἐνέργειαν*, poetae atque Tacitus, accusativo utuntur pro dativo et ablativo, ut apud illos quidem est *νικᾶν πάσας μάχας* pro *ἐν πάσαις μάχαις; πόδας ὠκύς; εὖ, κακῶς λέγειν τινά.* — Praepositionum usus, ut in ceteris omnibus, ita in accusativi etiam ratione haud per se necessarius, sed adventitius et a perspicuitatis demum studio profectus, cum a poetis tum a Tacito Graecorum more saepe negligitur (hinc apud nostrum *accedere locos, aliquid fremere, disserere bona libertatis*); sed adhibentur etiam praepositiones et cum accusativo quidem conjunctae, ubi vulgaris sermo, minorem oratorii quasi vigoris quam logicae perspicuitatis curam gerens, dativo vel ablativo aliove quo dicendi modo utitur, ut exempla sunt e Tacito petita „*adesse in barbaros; in custodiam habitus; tristia in bonos, laeta apud deteriores esse; in mortem adficere.*" His in universum praemissis singula expediemus.

1) Verba, quae motum exprimunt sine praeposit. usu eum accus. conjuncta: Accedere praeeuntibus Ennio, Livio, Cicerone (vulgo cum dat. vel ad et in praepositionibus constr.) simplici accusativo junctum: Ann. 2, 58 *ripam accedere;* 12, 31 *societatem nostram volentes accesserant;* cp. 33 *si qua clementer accedi poterant;* Hist. 3, 24 *ut quosque accesserat.*

Inrumpere (ut apud poetas, Caes. B. C. 1, 27; 2, 13 et Liv. 4, 49, 9 (ubi tamen Drakenb. praetulit *inrumpere in;* sed alia exempla affert) *oppidum inrumpere;* Sall. Iug. 25 *Cirtam inrumpere;* cp. 58 *portam inrumpit*) Ann. 1, 48 *inrumpere contubernia;* 2, 62 *regiam;* Hist. 4, 50 *domum proconsulis;* 3, 47 *Trapezuntem;* Ann. 2, 25 *Marsos;* 6, 33 *Armeniam;* Hist. 1, 61 *Italiam;* Hist. 4, 15 *hiberna;* 3, 9 *stationes;* 1, 82 *convivium;* Ann. 4, 67 *quietem alicujus* (i. e. interpellare q.); minus saepe cum in praep. Ann. 2, 11 *inr. in*

densissimos; 6, 16 *magna vis accusatorum in eos inrupit* (inde „*inruptio in Cattos*“ 2, 7); — sine exemplo, ut videtur: Hist. 1, 79 *inrumpere* ad *Moesiam* (vide tamen Handii Tursell. Vol. I p. 85, qui per *adversus* praepositionem explicat et hoc loco et aliis *ad* particulam, collato praeter alios aliorum etiam Ann. 2, 52 *legionem — ad hostem duxit*) — sine casu, ut Hist. 2, 15 *mox inrupere*, unde Ann. 3, 62 *Parthorum inruptio.*

Incursare (cf. Liv. 5, 31 *agros Romanos incursavere*) Ann. 13, 37 *avia Armeniae incursavit;* 11, 18 *incursare Germaniam;* 15, 1 *ut ne duce quidem Romano incursarentur, sed temeritate obsidis;* Hist. 4, 56 *inc. Canninefates;* 3, 18 *aciem — equitatus incursat;* Agric. 36 *equi — obvios incursabant.*

Involare (cf. Plin. H. N. 9, 85 *singulos involat verius quam capit;* Cic. Att. 1, 14 *hic tibi rostra Cato* advolat) Ann. 1, 49 *animos cupido involat;* Hist. 4, 33 *improvisi castra involavere.*

Advolvere (cf. Sall. fr. ap. Serv. ad Aen. 1, 311 *genua patrum advolvuntur*) Ann. 1, 13 *genua advolvi;* eadem 6, 49; 15, 71; Hist. 4, 81. Contra Liv. 8, 37 *genibus se omnium advolvens;* 28, 34 et Curt. 8, 1, 48 *advolutus genibus.* Cf. provolvere.

Incedere = ingredi, accedere ad: Ann. 1, 61 *incedunt moestos locos;* 14, 15 *scenam incedit Nero;* cp. 22 *fontem nando incesserat.* — Ita apud alios fortasse nusquam. Vulgari constr. Ann. 2, 20 *peditum aciem ita instruxit, ut pars aequo in silvam aditu incederet.*

Incidere apud solum Tacitum c. acc. Hist. 3, 29 *quos inciderat balista.*

Adventare Ann. 6, 44 *multa manu propinqua Seleuciae adventabat.* Ita suo plane modo Tacitus et qui eum imitatus est Ammianus; secundum vulg. structuram Ann. 14, 32 *in subsidium adventanti obvius;* 6, 33 *qui Parthis adventabant* (auxilio) *facile arcebantur;* Hist. 4, 13 *excidium adventabat reipublicae;* Ann. 16, 23 *Tiridates accipiendo Armeniae regno adventabat.*

Propinquare (ut in Sall. fragm.) Ann. 12, 13 *postquam campos propinquabant.* Ceteroquin ut apud Virgilium, Stat., Gellium: Ann. 15, 39 *non ante in domum regressus est, quam domui ejus ignis propinquaret;* Hist. 4, 70 *ubi duces exercitusque Romanus propinquabant;* cp. 85 *antequam Alpibus propinquarent.*

Penetrare v. suo loco.

Insultare Ann. 4, 59 *qui nunc patientiam senis et segnitiam juvenis juxta insultet.* — Ita sign. propria Ter. Eun. 2, 2, 54 *calcibus insultare forem.* Cf. Ann. 2, 8 *dum insultant aquis* i. e. dum persultant aq. cum lascivia quadam.

Eniti ut ap. Liv., Ann. 2, 20 *pars objectum aggerem eniteretur;* Hist. 1, 23 *cum — Pyrenaeum et Alpes et immensa viarum spatia aegre sub armis eniterentur.* — Vulgari struct. Ann. 1, 65 *enisae legiones in aperta et solida;* cp. 70 *Vitellius in editiora enisus;* 16, 5 *dum per angustias aditus et ingruentem multitudinem enituntur.*

Escendere ut ap. Cic., Liv. alios, Ann. 13, 5 *escendere suggestum imperatoris;* 15, 59 *rostra escendere.* Cf. 13, 39 *capta escensu munimenta.*

Evadere ut haud raro ap. Livium (2, 65; 7, 36; 21, 32; 38, 2; 45, 41. vide Drak. ad 2, 65, 3); Ann. 5, 10 *angustias Isthmi evadit;* 12, 35 *amnem haud difficulter evadit;* 3, 14 *si patrum sententias evasisset;* 6, 48 *quemadmodum evasurum imminentis* (principis) *juventam?* 15, 8 *mox Neronem — quasi minores evasere.* Et hac quidem metaph. sign. apud solos poetas et argenteae aet. scriptt.

Elabi ap. solum fortasse T. Ann. 1, 61 *pugnam aut vincula elapsi;* 4, 64 *statuam vim ignium bis elapsam;* Hist. 3, 59 *custodias Vitellii elapsus.* — Vulg. struct. Ann. 5, 10 *elapsus custodiae.*

Egredi ut singg. locis ap. Sall., Ovid., Stat., Quint., Plin. min., Ann. 1, 30 *egredi tentoria;* 15, 45 *cubiculum non egressus;* Hist. 4, 44 *egressos exsilium* (sed Hist. 3, 29 *in vallum egressus*). Alia sign. et vulgari quidem = migrare, superare fines (ita Caes. *egredi fines;* Cic. *egredi extra fines*) saepissime ap. Tacit. Ann. 3, 24 *clementiam majorum suasque ipse leges egrediebatur;* 2, 38 *egredi aliquando relationem;* cp. 73 *haud multum triginta annos egressum;* 3, 30 *vetus familia, neque tamen praeturam egressa;* 16, 10 *sexum egressa;* Hist. 4, 51 *tanquam terminos aetatis et concessa filio egrederetur;* Hist. 3, 30 *tecta — altitudinem moenium egressa.*

Exire = egredi et ita evitare, poetice Ann. 6, 49 *donec minor filius lubricum juventae exiret;* i. q. migrare cp. 43 *dedit spatium exeundi pacta.*

2) **Ejusdem fere generis est crebra praepositionum in terris denotandis ellipsis.** Sed ea cum sit poetica ratio, tamen apud prioris jam aevi scriptores, praecipue apud Livium deprehenditur. Cf. e. g. Ann. 2, 59 *Aegyp-*

Aegyptum proficiscitur cum Liv. 45, 10 *navigare Aegyptum pergit*; 36, 42 *Peloponnesum navigare.* — Saepius praep. omissa est ubi in insulas, majores etiam, profectus quis dicitur, ut Ann. 1, 5 *Planasiam vectus*; 2, 54 *tramisit Lesbum*; 4, 21 *Cretam amoveretur.* — Magis recedit a vulgari usu omissa in appositione praepositio, ut Hist. 4, 25 *Bonnam, hiberna primae legionis, ventum.* Qui mos apud poetas tantum et serioris aevi scriptt. obtinet.

3) Accusativus jungitur verbis, quae alias aut absolute aut cum alio casu et praepositionibus conjuncta aut alio quo modo usurpantur.

Jubere Hist. 4, 76 *Germanos — non juberi, non regi* (v. infra regnari). — Iubere tributum = imperare, imponere tr. Ann. 4, 72 *tributum iis Drusus jusserat modicum.* — Insolens etiam hujus v. cum dat. et ut particula conjunctio: Ann. 11, 32 *jussit ut Britannicus et Octavia in complexum patris pergerent*; 13, 15 *Britannico jussit exsurgeret*; cp. 40 *quibus jusserat ut instantibus cominus resisterent.* Cf. Ter. Andr. 2, 5, 1 *Erus me — jussit Pamphilum hodie observarem.* — Cum dativo Cic. etiam, Livius, alii nonnunquam hoc v. conjungunt.

Regnari = regio imperio teneri βασιλεύεσθαι: Ann. 13, 54 *qui nationem eam regebant, in quantum Germani regnantur*; Hist. 1, 16 *in ceteris gentibus quae regnantur*; Germ. 43 *Gotones regnantur paullo jam adductius quam ceterae Germanorum gentes*; cp. 25 *exceptis duntaxat iis gentibus, quae regnantur.* Cf. Plin. H.N. 6, 23 *gens — sola Indorum regnata feminis.* V. Drakenb. ad Liv. 1, 17, 3 et Hess. ad Germ. 43.

Praesidere sine alior. fortasse exemplo: Ann. 3, 39 *is proximum exercitum praesidebat*; 12, 14 *Medos tum praesidens*; cp. 29 *qui Pannoniam praesidebat.* — i. q. praesidio esse Ann. 4, 5 *Italiam — duae classes — praesidebant*; cp. 72 *sociorum manus littora Oceani praesidebat.* — e vulg. more cum dat. constr. 2, 86; 12, 37; 14, 58 cet. Ita insidere c. accusat. constr. Germ. 43 *vertices montium jugumque insederunt*, ubi Hess. laud. Duker. ad Flor. 3, 21, 7; Graev. ad 4, 7, 6. Cf. adsidere, inrepere.

Indulgere = concedere: Ann. 2, 38 *indulserint largitionem*; 11, 20 *insignia tamen triumphi indulsit Caesar.* Cf. Ter. Eun. 2, 1, 16 *nimis me indulgeo*; Heaut. 5, 2, 35 *te indulgebant, tibi dabant.* — Casaubono aliisque grammaticis au-

ctoribus indulgere originem traxit ab indurgere i. e. non urgere. Hinc ap. Iuvenal. 2, 165 *ardenti sese indulsisse* (permisisse) *tribuno* et passive ap. Gell. 20 cp. ult. *quando animus — laxari indulgerique* potuisset.

Poenitere apud Cic. etiam c. accus. conj. (*quod poenitere possit*) praecipue part. fut. pass. Liv. 1, 35 *sub haud poenitendo magistro;* cp. 40 *neque pudendum aut poenitendum eum regem Macedonibus;* Sen. Ep. 23 *poenitendae voluptates.* Ita Tacit. Ann. 6, 48 *sibi satis aetatis, neque aliud poenitendum, quam quod cet.* et sic. saepius.

Propugnare ap. veteres aut sine casu aut cum pro particula, ap. Apulej. c. dativo, ap. Tacit. et ejusdem aet. scriptores c. accus. conj. Ann. 13, 31 *quae libidine deliquerant, ambitu propugnant.*

Potiri v. s. Genitivo.

Fungi Ann. 3, 2 *munera fungi;* 4, 38 *officia fungi* (ita Terent. quoque, et Nep. Dat. 1 *militare munus fungens;* Cic. particip. duntaxat usus est hoc modo: „*ad suum munus fungendum*" ut „*ad agrum fruendum; quae utenda acceperis*)" sed etiam „*munere fungi*" Ann. 3, 17 et „*gaudio fungi*" Hist. 2, 55 et sic passim.

Vesci Agric. 28 *eo ad extremum inopiae venere, ut infirmissimos suorum — vescerentur.* — Eadem structura ap. Tibull., Phaedr., Plin. maj. invenitur, ut Plin. 11, 75 *absinthium vescuntur.*

Disserere (vulgari dicendi g. Ann. 1, 11 *varie d. de magnitudine imperii*) Ann. 1, 4 *bona libertatis incassum disserere;* 2, 27 *curatius disseram initium;* 12, 48 *tuta disserere* i. e. suadere; Hist. 2, 2 *haud fuerit longum, initia religionis, templi situm, formam deae — paucis disserere.* — Apud Cic. aliosque ita minus saepe. — Dicere est simpliciter (ut nonnunquam ap. Cic.) Ann. 5, 4 *disserebatque brevibus momentis summa verti posse;* 12, 35 *paria disserentes* i. e. suadentes (v. supra); 13, 41 *ut ne totum quidem annum supplicationibus sufficere disseruerit.* Cf. 12, 11 *ubi haec atque talia dissertavere.*

Fremere Ann. 13, 13 *Agrippina libertam aemulam — aliaque eundem in modum muliebriter fremere.* — Similis ratio est constr. c. acc. c. inf. omisso nonnunquam verbo (ut ap. Cic. aliosque) Hist. 2, 44 *praetorianus miles non virtute se, sed proditione victum fremebat;* cp. 69 *frementibus auxiliis tantum impunitatis — legionariis accessisse;* Agric. 27

penetrandam Caledoniam — fremebant; Hist. 4, 24 *neque enim ambigue fremebant emissas a Magontiaco Batavorum cohortes.* Cf. Liv. 2, 44 *fremebant aeternas opes esse Romanas;* Cic. Att. 2, 7 *Jam vero Arrius consulatum sibi ereptum fremit.* Inde *fremere aliquid* Liv. 3, 38. 62; 25, 28. — Vulg. modo absolute positum Hist. 1, 80 *fremit miles;* 2, 6 *fremere miles et vires suas circumspicere;* cp. 28 *fremere legiones.* Praeter Tacitum maxime frequentatur h. v. Livio; vide Drakenb. ad 8, 39, 10.

Nonnunquam vero Tacitus ut vim adderet orationi praepositionibus usus est, ubi vulgaris sermo acc. usurpat: Hist. 4, 48 *ea de caede quam verissime expediam;* Ann. 12, 22 *reticere de aliqua re,* ut Cic. Phil. 1, 12 *non possum de — errore reticere;* Hist. 2, 60 *Vitellius credidit de perfidia et fidem absolvit.* Germ. 34 *reverentius visum de actis deorum credere quam scire.* Cf. „*laus de Augusto*" s. v. de, ibique plura illius generis exempla.

4) Accusat. pronominum verbis jungitur loco praepositionum, ut e vulg. dicendi genere notissima sunt „*id laetor, id gratulor*" et similia. Insolentius Ter. Adelph. 5, 3, 48 sq. *attentiores sumus ad rem omnes quam sat est: quod illos sat aetas acuet.* Andr. 1, 1, 130 *id operam do ut — cet.* Ita Tacitus Hist. 2, 62 *id principes — vi perpulerant;* Ann. 1, 28 *quae pergerent* *); 12, 59 *quod patres — pervicere;* 14, 14 *ne utraque pervinceret, alterum concedere.*

5) Graecorum more Latini etiam, et cum poetis maxime Tacitus, Accusativo utuntur ut ad partem aliquam referant et restringant quasi orationem. Ann. 2, 13 *contectus humeros;* cp. 17 *oblitus faciem;* Germ. 17 *nudae brachia;* Hist. 1, 42 *utrumque latus transverberatus;* Ann. 15, 64 *frigidus jam artus;* Hist. 4, 81 *manum aeger;* 2, 20 *braccas indutus;* Ann. 6, 9 *clari genus;*

---

*) Ita recte haud dubie se habet huj. loci scriptura. Eodem jure dicitur aliquid pergere, quo aliquid festinare, properare. Hinc, iter pergere An. 3, 66; 4, 20; 15, 27; (Hist. 3, 68 ubi insolentius „*iter solum quod in sacram viam pergeret patebat*" i. e. quo ipse Vitellius in s. v. pergeret). Nihil est quo offendamus cum reputamus ex per et regere ortam esse h. vocem, ut porrigo ex pro et rego et sic arrigo, erigo, dirigo, corrigo, quae omnia accusat. recipiunt.

cp. 43 *adlevatur animum; 4, 28 falsa exterritus* (cf. adject.); *6, 5 arguitur pleraque — neque cuncta revincebatur;* 12, 3 *juvenem alia clarum; 4, 16 cetera promiscuo feminarum jure ageret; 6, 15 cetera equestri familia erat;* cp. 42 *cetera degenerem;* Germ. 17 *cetera intecti;* cp. 29. 45 *cetera similes;* Agric. 16 *cetera egregius.* — Cf. auct. belli Afr. 78 *pilo per cassidem caput ictus; 85 brachium gladio percussus;* Liv. 1, 32 *regnum cetera egregium* cf. cp. 35; 21, 8 *telum hastili abiegno et cetera tereti;* cp. 7 *adversum femur tragula graviter ictus;* Sall. Iug. 19 *cetera ignarus populi Romani;* ejusd. Hist. 4 p. 1009 ed. Cort. *sanctus alia;* Vell. 2, 46 *cetera sanctissimus;* Cic. Att. 14, 16 *o loca cetera quam valde expetenda.* Plura exempla apud prioris quidem aevi solutae orat. auctores vix repereris.

6) Eandem dicendi rationem saepius apud Tacitum exprimunt ad et in praepositiones. Magna inde enascitur orationi et perspicuitas et vis, cum hae voces rationes quae intercedunt inter aliquas res in adspectum quasi adducant, et velut ad actionem quandam referant, dum vulg. sermo dativo vel ablativo vel alio quo dicendi genere (saepe adverbiis) usus non ipsam, ut ita dixerim, vitam reddit, sed orationis tantum legibus obtemperat. Ceterum similia, quamvis rarius, apud priores aliosque fere omnes scriptores reperiuntur, paucis modo exceptis.

a) AD et relationem, ut hac voce utar, quamcunque exprimit, et occasionem, tempus, finem, eventum designat. Ann. 6, 14 *mollitia vitae amicus Sejano, nihil ad serium;* Hist. 2, 36 *laeto milite ad mutationem;* Ann. 2, 2 *laetantes, ut ferme ad nova imperia;* 1, 74 *ad quod exarsit adeo ut cet;* 12, 46 *cunctante ad ea Mithridate;* (cf. Liv. 34, 38 *ad clamores — motus;* 30, 18 *ad stridorem — territi*) 16, 23 *ut ad externa rumoribus intestinum scelus obscuraretur;* Hist. 2, 97 *prosperis Vitellii rebus certaturi ad obsequium;* Ann. 6, 8 *ad Caesaris amicitiam validus:* 15, 50 *particeps ad omne secretum Pisoni erat;* 14, 4 *facili — credulitate ad gaudia;* Hist. 4, 72 *ad externa modestiores;* Dial. 5 *vel ad utilitatem fructuosius vel ad dignitatem amplius* (cf. Cic. Catil. 1, 5 *ad severitatem lenius et ad communem salutem utilius*); Ann. 4, 50 *ne ad ambigua sonitus — casum insidiantibus aperirent;* 3, 49 *arguentibus ad perniciem plus fidei fuit;* Hist. 2, 17 *longa pax ad omne servitium fregerat;* Ann. 3, 49 *ceteris ad dicendum testimonium exterritis;* 2, 62 *corruptis primoribus ad*

societatem (v. Proleg. de praegnante dic. genere); 11, 37 *ad miserationem evicta;* 15, 22 *effigies — ad informe aes, liquefacta;* Hist. 2, 64 *dixisse — ad primas filii sui epistolas ferebatur cet;* Ann. 1, 40 *degener ad pericula* (cf. Cic. fin. 2, 20 *non timidus ad mortem*); cp. 43 *stabile ad poenitentiam;* cp. 64 *hastae ingentes ad vulnera facienda;* 12, 54 *aemulus ad deterrima;* 1, 8 (cf. 11, 6) *jactantia gloriaque ad posteros* cf. 6, 46 in *posteros fama et ambitio.* — V. Walch. Emendatt. Livv. p. 46. — Pro apud ad positum est Hist. 2, 87 *ad omnis municipiorum villarumque amoenitates resistens;* Germ. 20 *Sororum filiis idem apud avunculum qui ad patrem honor.* Cf. Curt. 4, 20 *Tyrus — fortunae varietate ad memoriam posteritatis insignis;* Liv. 29, 14 *clarior ad posteros pudicitia;* 24, 48 *ad regem remansit.* Cic. Att. 10, 16 *ad me bene mane Dionysius fuit.* Alia vide ap. Hess. ad Germ. 20 et in lex. Forcell. Herteliano. Ad hoc et ad haec, πρὸς τούτοις, ut ap. Sall. et Livium, haud raro etiam apud nostrum leguntur, ut Hist. 1, 6; Ann. 1, 44; 12, 37. Quaedam quae ad hanc particulam pertinent v. infra in sequentibus, nominatim sub η. Cf. etiam Handii Tursell. Vol. I. et ind. ad Liv. Drakenb.

b) In eodem paene modo adhibetur, sed saepius, praecipue a Tacito, cum major sit in hac quam in ad particula vis. Quare ibi etiam ea utitur, ubi e vulgari dicendi genere ad usurpandum erat, ut Hist. 4, 32 *paratus in res novas;* cp. 53 *in aliud destinato auro:* Ann. 1, 28 *novissimi in culpam;* Hist. 2, 56 *in omne fas nefasque avidi;* Agric. 10 *non in comparationem curae referam.* Jam cetera sic in ordinem quendam disponamus:

α) Agric. 9 *statim ad spem consulatus revocatus est comitante opinione Britanniam ei provinciam dari, nullis* in hoc *suis sermonibus, sed quia par videbatur.* — Ita Graeci εἰς τοῦτο, et inter veteres Latinos non solum poetae, sed Liv. etiam ac Vellejus. Cf. Liv. 28, 17 *in id modo fide ab rege accepta;* 37, 52 *omissâ in id verecundiâ;* Vellej. 2, 27 *a dispositis in id ipsum interemtus est;* cp. 41 *in hoc scilicet ne cet.;* cp. 114 *in hoc solum importatum instrumentum balinei.* — Sed ita ad etiam usurpat Tacitus, ut vulgaris fert consuetudo: Hist. 2, 22 *dispositos ad id ipsum molares provolvunt;* Ann. 1, 48 *ad hoc tantum majori fratri praelatus est, ut prior occideretur.* Cf. Liv. 21, 55 *velites ad id ipsum locati;* 22, 18 et saepius similiter.

β) Ann. 1, 28 *grati* in vulgus; 2, 59 *multaque in vulgus grata usurpavit*; 6, 45 *acceptius in vulgum* (cf. Hist. 3, 83 *spolia in vulgus cedebant*). Ita Cic. Att. 2, 22 *etiam in vulgus gratum esse sentimus*; 9, 5 *in vulgus ignotus dies*; Rep. 14 *nobilior in vulgus*; fin. 2, 5 *in vulgus pervagata res*, Liv. 2, 8 *gratae in vulgus leges*; 22, 3 *milite in vulgus laeto*.

γ) Ann. 11, 25 *laeta* in rempublicam *munia*; 2, 48 *magnificam* in publicum *largitionem*; 11, 17 *in publicum exitiosi*; 13, 56 *haec in publicum* (publice) *Ansibariis respondit*.

Ann. 6, 22 *tristia* in bonos, *laeta apud deteriores esse*; 12, 32 in reliquos *data venia*; 11, 8 *unde metus ejus* in ceteros; Hist. 3, 83 *sacrum etiam* in exteras gentes *legatorum jus*; Ann. 1, 78 *datumque* in omnes provincias *exemplum*; 12, 4 in nos *dehonestamento*; cp. 35 *plus vulnerum in nos et pleraeque caedes oriebantur*; Ann. 2, 47 in Sardianos *lues*; cp. 39 *formâ haud dissimili* in dominum *erat*; 12, 25 *adoptio* in Domitium *festinatur*; cp. 6 in fratrum filias *conjugia* (quatenus expetuntur). cfr. 1, 55 *dissidere hostem in Arminium ac Segestem*. V. Proleg. de brevitate stili Tacit.

δ) Hist. 2, 20 *famam* in cetera *fore*; cp. 16 *nihil* in summam *profutura temeritas*; Hist. 1, 89 in *unius* sollicitudinem — *bellaverat*; 4, 42 in spem = spe; Ann. 12, 69 *nullo* in diversum *auctore*; Germ. 18 in haec munera *uxor accipitur*; (ubi Hess. contulit Liv. 23, 31 *in has ferme leges — ictum foedus*; 42, 62 *foedus in easdem leges renovarunt*.) Ann. 4, 45 *is praetorem — uno vulnere* in mortem *adfecit*; cp. 62 *in mortem adflixerat*. (Cf. Vell. 2, 85 *in mortem dimicare*); Agric. 33 *ut superasse tantum itineris — pulchrum ac decorum* in frontem (i. e. fronti adversus hostem spectanti) *ita fugientibus periculosissima, quae hodie prosperrima sunt*.

ε) Vulgari dicendi consuetudini respondent et latius tantummodo patent: in melius v. deterius cadere, accipere, augere, credere, audire; in falsum augere; in prodigium accipere; in majus adtollere, accipere, celebrare, credere, audiri; in mollius referre; Hist. 5, 2 *aucto* in barbarum *cognomento*; Ann. 6, 42 *in barbarum conrupta civitas*. Cf. Liv. 4, 34 *in majus, ut fit, celebrantes*; 28, 31 *in majus aliquid verbis extollere*; 29, 3 *omnia in majus accipiebant*; Sall. Jug. 73 *Marii virtutem in majus celebrare*, ubi e Thucydide Cort. affert ἐπὶ τὸ μεῖζον κοσμεῖν; ib. Hist. 6 p. 1005 *vetustas cetera in majus componens*.

ζ) Huc pertinent, quae saepissime ap. Tacitum inveniuntur: in commune, in medium, in unum, in modum, in formam, in tantum: Ann. 1, 28 *tarda sunt* (i. e. tarde conceduntur) *quae* in commune (i. e. publice, pro omnibus) *expostulantur*; 15, 12 *in commune alacres*; cp. 63 *Ubi haec atque talia in commune disseruit*; Dial. 26 *in publicum et in commune laudare* (i. e. in universum); Germ. 27 *haec in commune de omnium Germanorum origine ac moribus accepimus; nunc singularum gentium instituta — expediam*; cp. 38 *propriis adhuc nationibus nominibusque discreti, quamquam in commune Suevi vocentur*; cp. 40 *nec quidquam notabile in singulis, nisi quod in commune Hertham — colunt*; Ann. 2, 38 *quod in commune conducat*; Hist. 2, 54 *in commune congredi*; 4, 67 *in commune consultare*; Agric. 12 *in c. consulere*. — Haec et similia apud ejusdem tantummodo et serioris aevi scriptores invenias. Cf. Quint. 5, prooem. 5 *quae in commune ad omnes quaestiones pertinent*; 6, 1, 7 *justa et in commune profutura*; Plin. H. N. 23, 22 *reliqua in commune dicentur*; 17, 1 *in universum et in commune*; 13, 7 et 16, 79 *in plenum dicere*; 10, 15 *in totum* i. e. omnino et plerumque cf. 11, 112. 30; 15, 13; 16, 19; 20, 9 et Spald. ad Quint. 3, 8, 58.

Hist. 2, 37 in medium *consultare*; cp. 5 *in medium consulere*. Sic centies apud ceteros paene omnes.

Hist. 4, 70 in unum *consulere*; Ann. 4, 47 *in unum conducere exercitum*; 6, 43 *oppressa cunctantium dubitatio et omnes in unum cedebant*. Cf. Liv. 26, 41 *coire eos in unum*; 31, 46 *conlectis in unum navibus*; Sall. Cat. 17, 2 *in unum omnis convocat* (ibi plura exhibet Cortius).

Ann. 1, 58 *verba ejus* in hunc modum *fuere*; 3, 52 *quarum sententia in hunc modum fuit*; 1, 44 *poenas — in hunc modum exercuit*. Ita priores etiam, nisi quod „esse *in aliquem modum*" insolentius dictum putemus.

Ann. 15, 24 *litteras* in eandem formam *adtulere*; 13, 41 *aliaque in eandem formam decernuntur*; Hist. 1, 6 *nec enim* ad *hanc formam cetera erant*. Cf. Cic. Catil. 3, 5 *recitatae sunt tabellae in eandem fere sententiam* (i. e. ejusdem argumenti); sic etiam Fam. 2, 4 et apud Liv. saepius, qui 30, 43 S. C. ait *in haec verba factum est*.

Germ. 45 in tantum *non modo a libertate sed etiam a servitute degenerant*; Dial. 2 *in quantum satis erat*; cp. 24 *cur in tantum ab eloquentia eorum recesserimus*. Cf. Liv.

22, 27 *in tantum — enituisse;* Vell. 1, 9 *in tantum laudandum;* 2, 79 *in tantum duravit odium;* cp. 120 *in quantum.* Saepius multo apud argenteae aet. scriptores, ut e. c. Plin. H. N. 5, 10 *in tantum erravere supra scripti;* Plin. Ep. 10, 75 *a me tamen in quantum potuerit, requirentur;* Quint. 2, 10, 4 *in quantum maxime potest;* 3, 8, 35 *non in tantum.* V. Ruhnk. ad Vell. 1, 9, qui e Virg. quoque et Ovidio locos similes contulit, et Hess. ad Germ. 45.

η) Tempori exprimendo saepissime inserviunt cum ad tum in particc. Ann. 11, 20 *unde tenuis fructus nec* in longum *fuit;* Hist. 4, 79 *nec in longum quies militi data;* Ann. 3, 71 *dumne saepius abesset quam bis* eundem in annum; 16, 35 in ea tempora *natus es quibus firmare animum expediat constantibus exemplis;* 15, 60 *is* — ad eum diem *ex Campania remeaverat;* 12, 38 *prosperis* ad id *rebus ejus, mox ambiguis;* cp. 11 *spectatae ad id modestiae* (vid. Handii Tursell. Vol. I. p. 125.) 1, 1 *dictaturae* ad tempus *sumebantur;* 6, 11 in tempus *deligebatur qui jus redderet.* — Alia ratio est sequentium, quae non certum aliquod tempus, sed praesens indicant εἰς τὸ παρόν. Ann. 4, 19 *dilato ad tempus Sabino;* 1, 37 *sensit miles in tempus conficta;* 4, 66 *suffugium in tempus erat* (cf. Cic. Off. 1, 8; Amic. 15; Liv. 33, 22); Ann. 4, 31 *quod aspere acceptum* ad praesens 16, 5 *dissimulatum ad praesens et mox redditum odium;* 14, 62 *occulta quidem ad praesens sed magna ei praemia — promittit;* 13, 22 *Plautus ad praesens silentio transmissus est;* Hist. 1, 44 *munimentum ad praesens, in posterum ultionem;* Ann. 4, 21 *quae* in praesens *Tiberius civiliter habuit;* 1, 4 *nulla in praesens formidine;* 15, 44 *repressa in praesens exitiabilis superstitio;* Hist. 2, 4 *pauca in praesens et solita respondens.* — Ita etiam priores locuti sunt, ut Liv. 25, 35; Sall. Cat. 16; Cic. ad Brut. 15 (Fam. 2, 10 *in praesenti;* Catil. 1, 9 *in praesens tempus;*; sed „*ad praesens*", argenteae tantum aetatis scriptt. habent. Vide Handii Tursell. Vol. I p. 128; cf. tamen Cic. Fam. 12, 8 ubi verba *ad praesens perfugium* aliter quidem juncta sunt, sed idem fere valent quod *ut ad praesens perfugium habeamus* — Ag. 31. 39 in praesentia, ut saepissime apud priores paene omnes, et duplici quidem significatione cum id ipsum quod nunc cum maxime agitur tempus indicans tum idem valens quod „*in praesens tempus.*" Nusquam vero, quod sciam, in praesentiam legitur, quod quidam in loco Agric. 31 praetule-

runt alteri scripturae „*in praesentia.*“ Simillimus locus est Livii. 6, 26 *pacem in praesentia, nec ita multo post civitatem etiam impetraverunt.* Vide s. v. praesentia. — Eandem vim habet ap. Tacitum et ejusdem aevi scriptt. in tempore, quod aurea aetate aut opportunitatem (ut Ann. 12, 50 *in tempore rebellaturos*) aut certam aliquam temporis rationem, maxime adversam temporis fortunam designat. Ann. 12, 46 *non abnuere pacem Iberos, quamquam in tempore validiores*; 11, 29; 15, 7. 39 *eo in tempore*; 13, 47 *in eo tempore.* Cf. Plin. H. N. 2, 51 *in utroque tempore*; 11, 19 *bis in mense*; 18, 17 *quinquies in die*, et saepissime *in anno*, ut jam apud Vell. 2, 24 *in priore anno.* — Huc denique pertinet in praesentiarum. Ann. 4, 59 *quid in praesentiarum conduceret* i. e. in praesentia rerum. Invenitur haec vox apud antiquissimos, apud Catonem, ut nominatim aliquem commemorem, dein apud Nepotem et alios quosdam, maxime apud serioris aevi scriptores. Petronius usurpat etiam „*de praesentiarum.*“ V. Schelleri Lex. Ramsh. Gramm. p. 290 et Doederl. Synon. I p. 139. sq.

ϑ) Zeugma inest in his Taciti locis, ubi in praepositio cum accus. conjuncta ablativum simul complectitur: Germ. 46 in medium relinquam i. e. in dubium vocatum relinquam in medio. Eadem leguntur in fragm. Claud. Quadrig. ap. Cort. p. 51 *nos in medium relinquemus.* V. Hess. ad Germ. 46 et ejusdem varr. lectt. in Germ. II p. 29. — Hist. 2, 45 *ceterum vulgus* super humum relictum; cp. 34 turris in extremam navim educta; 3, 7 in rem famamque videtur i. e. in rem facere et et ita e re esse videtur; Ann. 4, 25 aderant semisomnos in barbaros (Graecismus est; aderant et inruebant); Hist. 1, 87 in custodiam habiti (i. e. dati et in ea habiti). Cf. Ter. Andr. 3, 3, 14 *si in remst utrique*; Adelph. 4, 1, 12 *nilne in mentem est?* Cic. in Q. Caecil. 20 *quae (nationes) in amicitiam populi R. ditionemque essent*; Att. 15, 4 *quo die in Tusculanum essem futurus*; de legg. 3, 17 *optimam remp. esse duco — quae sit in potestatem optimorum*; Liv. 1, 14 *haerens in terga Romanus*; 2, 4 *fortuna — quae ne in potestatem quidem populi R. esset*; 22, 25 *M. Minucium — prope in custodiam habitum*; 33, 10 *parcere victis in animum habebat*; 26, 18 *in Hispaniam imperium accipere*; Sall. Jug. 112 *cum talem virum in potestatem haberet*; Curt. 7, 14 *militibus permissum in no-*

vam urbem considere; Sen. cons. ad Marciam 2 *a praeceptis incipere — in exempla desinere.*

ACER cum ap. Cic. tum apud Tacitum creberrima vox, translata maxime sign. et quidem innumeris paene modis usurpata. Ceterum a Ciceroniano non ita valde differt Taciteus vocabuli usus. Ut in aliis multis, in hoc quoque percensendo librorum capitumque ordinem secuti sumus, de significationum varietate consignanda minus solliciti, quae ex ipsis locis cuique patebit (cf. Doederl. Synon. III p. 248 sqq.): Ann. 1, 5 *acribus* (intentis, sedulis) *custodiis — vias sepserat*; cp. 33 *quorum causae acriores* (vehementiores) *quia iniquae*; 3, 28 *acriora ex eo vincla*; 4, 6 *plebes — acri annona fatigabatur*; cp. 73 *acri pugna*; 5, 10 *acri magis quam diuturno rumore*; 6, 17 *acribus, ut ferme talia, initiis, incurioso fine*; cp. 48 *prospectare jam se acrius servitium*; 11, 11 *acrior favor*; cp. 21 *acri ingenio*; cp. 29 *potentiam cautis quam acribus consiliis tutius haberi*; 12, 40 *acre proelium fecere*; 13, 50 *acri etiam populi Romani tum libertate*; 14, 28 *acriore ambitu exarserant*; 15, 3 *acriore in discrimine esse*; cp. 33 *acriore cupidine*; cp. 51 *militum acerrimos ducere in partes*; cp. 52 *acre ingenium*; cp. 68 *acrem memoriam sui relinquere* i. e. gravem (cf. Virg. Aen. 7, 291 *acer dolor*; apud Cic. Or. 2, 87 „*acri memoria esse*" firmam vegetamque designat memoriae vim); 16, 22 *Marcellum Eprium acri eloquentia*; Hist. 1, 15 *acrioribus stimulis*; cp. 21 *acrioris viri esse merito perire*; 2, 5 *Vespasianus acer militiae* (cf. Vell. 1, 3 *acer belli juvenis*); cp. 72 *acribus initiis coeptum mendacium*; cp. 76 *Augusti acerrima mens*; cp. 86 *acerrimam bello facem praetulit*; 3, 2 *acerrimus belli concitator*; cp. 51 *tanto acrior apud majores sicut virtutibus gloria ita flagitiis poenitentia fuit*; cp. 60 *esse adhuc Vitellio vires, ambiguas, si deliberarent, acres, si desperassent*; cp. 71 *inprovisa utraque vis* (*ignis*); *propior atque acrior per asylum ingruebat*; 4, 1 *duces — accendendo civili bello acres*; Germ. 6 *angusto et brevi ferro, sed ita acri et ad usum habili, ut cet.* (Doederl. l. l. commode conf. Ann. 15, 54 *pugionem — in mucronem* ardescere *jussit*), cp. 37 *regno Arsacis acrior est Germanorum libertas.*

ACRITER (eadem usus et significationis ratio est quam in adj. supra demonstravimus) Ann. 3, 51 *principis injurias acriter ulcisci*; 4, 54 *idque quo acrius experiretur, poma — sua manu tradidit*; 6, 45 *gratiam C. Caesaris — acrius indies fo-*

vebat; 12, 38 *acrius ad ultionem exarsere;* 13, 13 *acrius accendere;* cp. 25 *vi attentantem acriter reppulerat;* cp. 34 *bellum acriter sumitur;* Hist. 1, 13 *spem acrius rapere;* Agric. 4 *studium philosophiae acrius, ultra quam concessum Romano ac senatori, haurire;* Dial. 11 *acrius dicere et intento ore.*

ACTA 1) res gestae; ita saepissime dicuntur a poetis, singulis locis etiam a Cic., Sall. et Tacit. Germ. 34 *sanctius ac reverentius visum de actis deorum credere quam scire.* 2) ut de rebus gestis magistratuum maxime haec vox usurpatur, (hinc est „*in acta principum jurare.*" V. Lips. Exc. ad Ann. 16, 22) ita commentarios etiam designat, in quibus non solum magistratuum acta, sed omnes omnino res domi militiaeque gestae in aequalium posterorumque memoriam perscribebantur. Cf. Cic. Fam. 8, 7; 12, 23; Att. 6, 2; Catil. 3, 1. Haec sunt quae vocantur acta senatus et populi. Illa etiam patrum acta, commentarii senatus, haec diurna actorum scriptura, diurna urbis acta, diurna pop. Romani dicuntur, ut ex locis infra laudatis patet. Dio ea appellat *ὑπομνήματα, δημόσια* s. *κοινὰ ὑπομν.*, et *γράμματα δημόσια.* Quae loco annalium maximorum, qui usque ad saeculum U. C. septimum fere medium obtinuerant, Caesarem dictatorem instituisse Suetonius est auctor (Caes. 20): „*primus omnium instituit, ut tam senatus quam populi diurna acta confierent et publicarentur.*" Augustum deinde vetuisse ne acta senatus publicarentur apud eundem legimus (Oct. 36). Et de his quidem v. Ann. 2, 88 *reperio apud scriptores senatoresque* (i. e. in actis senatus, in quibus omnia, quae acta decretaque essent in senatu, perscripta erant) *eorundem temporum;* 15, 74 *reperio in commentariis senatus;* 5, 4 *fuit in senatu Junius Rusticus componendis patrum actis delectus a Caesare.* V. Lipsii Exc. ad h. l. quaeque ibi de iis disseruit qui erant ab actis senatus et de horum amanuensibus s. actuariis. Walchius recte Agricolae cp. 2 huc refert verba „*legimus, cum Aruleno Rustico Paetus Thrasea, Herennio Senecioni Priscus Helvidius laudati essent, capitale fuisse*" et accurate disputat de discrimine quod intercesserit inter acta senatus et acta diurna populi, in his etiam exposita nonnulla fuisse contendens quae ad senatus acta pertinuerint; eo enim spectare Ann. 16, 22 „*diurna populi Romani per provincias, per exercitus curatius leguntur, ut noscatur, quid Thrasea non fecerit*" et Plin. Ep. 7, 33 „*demonstro ergo, quamquam diligentiam tuam fugere non possit, cum*

sit in actis publicis." Nostris igitur ephemeridibus eos commentarios consimiles fuisse facile est perspectu, patetque etiam quod ad stilum attinet e loco Quintiliani a Walchio laudato (9, 3, 17)." *Ex Graeco vero translata vel Sallustii plurima, quale est* vulgus amat fieri — *et jam vulgatum actis quoque* saucius pectus." De actis populi cf. ap. Tac. praeter illos locos Ann. 3, 3 *matrem Antoniam non apud auctores rerum, non diurna actorum scriptura reperio ullo insigni officio functam;* 12, 24 *quos tum Claudius terminos posuerit facile cognitu et publicis actis perscriptum;* 13, 31 *cum ex dignitate populi Romani repertum sit, res inlustres annalibus, talia* (aedificationes) *diurnis urbis actis mandare.* — Aliorum scriptorum locos v. in Lips. Exc. ad Ann. 5, 4, in Exc. Ernestii ad Suet. Caes. 20 (cf. etiam Bremi ad h. l.) in Rupert. Prol. ad Taciti Ann. p. 16. sq. et in Lex. Forcell. Herteliano.

ACTITARE *mimos* Hist. 3, 62 ut *causas actitare* Cic. Brut. 70; *tragoedias actitare* Rep. 4, 35 fr. ap. Augustin. v. Lex. Forcell. Hertel.

ACTOR sign. argent. demum aetate usitata qua designat διοικητήν s. procuratorem: Ann. 2, 30 *mancipari* (vendi) *singulos actori publico* (v. Lips. ad h. l. et Pignor. p. 134) 3, 67 *actor publicus mancipio acceperat.* Cf. Plin. Ep. 7, 18 *agrum — actori publico mancipavi.* — A. publ. rem principum curabat, sed erat sine jurisdictione, quo differt a procuratore (v. Hert. Lex. Forc.) Erant etiam privati actores, servi plerumque vel libertini, qui praediis fundisque, procuratoris tamen s. villici auspiciis, praeerant. V. Plin. Ep. 3, 19 *praedia — sub eodem procuratore ac paene iisdem actoribus habere.*

ACTUS = actio i. e. ea hominis conditio qua rem agit, hujus aevi scriptt. usitata significatione, praeeunte tamen uno loco (legg. 1, 11) etiam Cicerone. Huc pertinet locus Taciti vexatissimus Hist. 1, 12 *quanto potentior eodem actu invisior* i. e. eadem potentiae et invidiae ejus ratio erat; ut potentia crevit ita cum invidia agebat indies majore. Simile quid apud nullum sane invenias scriptorem, et melius fortasse legitur *auctu* e conj. Lectii, sed libri omnes exhibent *actu.* cf. quod ab hoc verbo originem traxit actutum αὐτίκα.

AD v. s. accusativo.

ADAEQUARE = aequare, aequiparare, ut apud prioris aevi scr., sed saepius fortasse: Ann. 2, 73 *et erant qui for-*

mam, aetatem — magni Alexandri fatis adaequarent (comparando sc.); 12, 60 *cum Claudius libertos — sibique et legibus adaequaverit;* 15, 9 *hastae longius permeabant quam ut contrario sagittarum jactu adaequarentur*, cp. 19 *longa patrum vota adaequare*; Germ. 14 *virtutem principis non adaequare.* Cf. locum in Lex. F. Hertel. omissum Caes. B. G. 5, 8 *longarum navium cursum adaequarunt.*

ADCUMULATOR ap. solum Tacit. Ann. 3, 30 *opum adcumulator.*

ADCURSUS us (ap. Senec. in Hippol., Sil., Stat., Valer. Max.) Ann. 1, 27 *adcursu multitudinis; 4, 41 populi adcursûs;* Hist. 4, 25 *adcursu tot provinciarum.*

ADDICERE Ann. 2, 14 *addicentibus auspiciis* „nove dictum, nam proprie aves dicuntur addicere ut Liv, 1, 36 (*nisi aves addixissent*) et saepe.“ Ernest. Sed ad aves Tacitus etiam respicit. Ceterum apparet, ut Hertelii utar verbis, fuisse in h. v. simplicem assentiendi et concedendi notionem.

ADDUCTE v. seq.

ADDUCTUS = rigidus, severus opp. soluto, diffluenti Ann. 12, 7 *adductum et quasi virile servitium;* 14, 4 *familiaritate juvenili — et rursus adductus.* Cf. Quintil. 10, 3, 13 *adducta frons;* Sen. Ep. 57 *adducere vultum ad tristiam;* Plin. Ep. 1, 16 *in concionibus — pressior et — adductior.* Ita Cicero quoque „*adducere habenas,*“ Livius „*adducere lorum*“ dicunt, sed translata sign. argenteae modo aet. scriptt. has voces usurpasse videntur; „*adductum servitium*“ et similia praeter Tacitum nusquam facile inveneris, qui solus adverbio quoque utitur hac sign. Germ. 34 *Gotones regnantur paullo jam adductius;* Hist. 3, 7 *adductius quam civili bello imperitabat.* — Positivi nulla exempla esse videntur; Ausonius praeter Tacitum solus *adductius* habet, sed de jaculis contortis, ut de sagittis Virgilius *adducere* exhibet. V. Rup. ad Ann. 12, 7 et Lips. ad Hist. 3, 7 cf. restringere.

ADEMPTIO Ann. 2, 76 *ademptio provinciae*; 4, 6 *ademptiones bonorum.* Ita solus praeterea Cic. pro dom. 30 *ademptio civitatis.*

ADEO v. nedum.

ADESSE minus usitat. sign. 1) de rebus (de personis vulgo) quae in promptu sunt Ann. 1, 13 *non adesse caput rei publicae;* 3, 33 *si licentia adsit;* 4, 15 *aderant juveni modestia ac forma;* Agric. 32 *an eandem Romanis in bello virtutem quam in pace lasciviam adesse creditis?* — Similia e

Plauto, Terent., Cic., Vell. aliis v. in Lex. Forc. Hertel. 2) in malam partem dicitur, ad vim, ferociam, saevitiam indicandam Ann. 4, 25 *truci clamore aderant semisomnos in barbaros*; cp. 72 *rapti (a Frisiis) milites, qui tributo aderant*. V. Ern. ad. h. l.

ADFECTARE 1) vulg. sign. = adpetere e. g. Hist. 4, 17 *Galliarum societatem Civilis arte donisque adfectabat*; sed est etiam peculiari sign. infeliciter et sine eventu conari, adpetere, ut Hist. 2, 63 *famam clementiae*; Ann. 14, 16 *studium carminum*. Ita Quintil. et Suet. loquuntur. 2) i. q. vitiare adfligere est Ann. 6, 19 *corpora putrefacta adfectabantur, dum in Tiberim traherentur*. Cf. Liv. 29, 10 *se exercitumque suum gravi morbo adfectari*.

ADFECTATIO arg. aet. vox Germ. 28 *Nervii circa adfectationem Germanicae originis ultro ambitiosi sunt*.

ADFECTIO (et ADFECTUS Agric. 30) de studio et amore simpliciter (cf. opinio), ut est ap. Plin. maj. et seriores, Germ. 5 *argentum sequuntur nulla affectione animi*; Ann. 4, 15 *laetas inter audientium affectiones*.

ADFICERE minus usitatis juncturis ut Ann. 14, 63 *oculos misericordia adficere* (*in mortem* et *in diversum adficere* v. sub accusat.), tum absolute (ut ap. Liv. *adfecta res familiaris*) = debilitare, infringere, vitiare: Ann. 2, 5 *suum militem haud perinde vulneribus quam spatiis itinerum — adfici*; 4, 64 *ignis violentia urbem ultra solitum adfecit*; Hist. 2, 69 *adfectae opes*; 3, 65 *adfecta fides*. Cf. inficere.

ADFINITATES v. abstracta.

ADFLICTARE (Cic., Liv., Caes.) Ann. 2, 81 *semet adflictando — seditionem coeptabat*; 6, 35 *quos — vulneribus pedites adflictabant*; 13, 16 *comitiali morbo adflictari*; cp. 30 *quod — Italiam luxuriâ saevitiâque adflictavisset* 11, 17 *per laeta per adversa res Cheruscas adflictabat*; Hist. 3, 19 *memor laboris ac vulnerum, quibus — fortuna — equites equosque adflictaverat*; 4, 79 *ne — legio — adflictaret Batavos*.

ADFLUENS v. seq.

ADFLUERE transl. sign. saepius quam ap. prior. aet. scriptt. Ann. 2, 76 *adfluebant centuriones*; cp. 35 *adfluentis provincias*; 4, 41 *multitudo adfluentium*; cp. 62 *adfluxere avidi talium*; 6, 36 *adfluentibus paullatim qui — sustulerant animum*; 14, 8 *adfluere ingens multitudo cum luminibus*; Dial. 20 *adfluens et vagus auditor*; — Ann. 15, 54 *adfluentius solito convivium initum*; Hist. 1, 57 *quibus praesentia ex adfluenti*;

Ann. 2, 6 *Rhenus — ad Gallicam ripam latior et placidior et adfluens* *). Cf. ex adfluenti s. v. ex.

ADGERERE metaph. apud solum, ut videtur, Tacitum Ann. 2, 57 *intendere vera, adgerere falsa;* 3, 67 *multa adgerebantur etiam insontibus periculosa.* V. ingerere.

ADGESTUS ap. Tac. et Aurel. Vict. — Ann. 1, 35 *lignorum adgestûs;* Hist. 3. 60 *tuto copiarum adgestu.*

ADGNATUS ap. solos arg. aet. scriptores ea sign. qua adgnati, ut verba sunt corp. jur., ii proprie dicuntur, qui post familiam constitutam, ubi heres jam est, deinde nascuntur. Non ubique tamen urgenda est haec verbi vis, ut Hist. 5, 5 *necare quemquam ex adgnatis nefas;* Germ. 19 *numerum liberorum finire aut quemquam ex adgnatis necare flagitium habetur.* — Ibi *gnati, liberi* dicuntur, qui cum magnum ante jam natorum numerum augerent, Romanis, ut corruptissimi hujus aetatis mores erant, molesti videbantur. Cf. Ann. 3, 25 *nec ideo conjugia et educationes liberum frequentabantur, praevalida orbitate.* V. Passow. et Hess. ad Germ. 19. (Apud Varr. de re rust. 1, 2 et Colum. 1, 3 agnati cum gentilibus componuntur. Ita apud Cic. etiam. Hinc quidam Tacitum quoque propinquos, adfines vocasse adgnatos arbitrati sunt.) Ad illam vero sign. proxime accedit Varro de re rust. 3, 16 „*Cum examen (apum) exiturum est, quod fieri solet, cum adnatae prospere sunt multae, ac progeniem veteres emittere volunt in coloniam, ut olim crebro Sabini factitaverunt propter multitudinem liberorum.*

ADHUC 1) proprie ad hoc (sc. tempus, cf. tamen Handii Tursellin. Vol. 1. p. 156. sqq., ubi quaedam accuratius etiam de Taciti usu exposita invenies, cum nobis perfecto demum labore doctissimos V. Cl. de particulis commentarios in comparationem vocare licuerit) cum hûc antique diceretur pro

---

*) Lips. in ed. Antw. a. 1600, Ruperti, Weikert. et I. Beckerus ante adfl. omiserunt et, Wolfius forsan expungendum esse censuit. Est vero retinenda copula. Nam major inest vis in adjectivo quam in participio, hoc quidem loco. Cf. Cic. Orat. 24 *in orationis laudibus ornatum illud, suave et affluens,* Lael. 16 *ditior mihi et affluentior videtur esse vera amicitia;* Vitruv. 8, 1 *sub radicibus montium* — uberiores et affluentiores aquae *sunt.* In copula iterata non est quod offendamus, ap. Tacitum praesertim (cf. Hist. 2. 76 *e Iudaea et Syria et Aegypto*), et quod positivo usus est pro comparativo, quis nescit, eum libenter variare orationem.

hoc, sicut istuc pro istoc; quare Cic. Rep. 2, 20 *qui usque adhuc est retentus mos.* cf. Plin. Ep. 5, 6; 10, 30. Ita aurea aetate plerumque ipsum spectat tempus, quo cummaxime agit qui loquitur. Sed 2) ut jam ap. Ciceronem, saepius ap. Livium, ita Taciti potissimum aevo idem praeterea valet quod etiam nunc, etiam tunc, etiamnum, etiam tum. Cf. Cic. Fam. 9, 17 *me his temporibus adhuc de isto periculo nihil audisse* (nihildum); Liv. 9, 6 *non hiscere quemquam prae metu potuisse, tamquam ferentibus adhuc cervicibus jugum, sub quo emissi essent*; 21, 48 *quamquam gravis adhuc vulnere erat, tamen — castra movet;* 23, 33 *incertis adhuc viribus fluctuatus animo fuerat;* 45, 43 *haerente adhuc in animis — memoria Macedonici triumphi;* 28, 40 *cum vigerem adhuc viribus;* 33, 49 *regem fluctuantem adhuc animo;* 25, 37 *in castra avidos adhuc caedisque et sanguinis reduxit;* 24, 22 *filia Hieronis inflata adhuc regiis animis;* 36, 24 *vigilantes adhuc;* 26, 37 *manente adhuc Romae P. Cornelio.* Curt. 3, 12 *calidum adhuc corpus*; 4, 42 *manantibus adhuc lacrimis*; cp. 57 *calidis adhuc vulneribus*; cp. 63 *dubio adhuc pugnae eventu pro victore se gessit.* — Tacit. Ann. 1, 48 *dandum adhuc spatium ratus*; 2, 84 *recenti adhuc moestitia*; 4, 56 *stante adhuc Punica urbe;* Agric. 35 *adloquente adhuc Agricola*; et sic centies. Sed retinetur etiam vulgaris usus, (Plin. maj. saepius etiam usurpat etiamnum *) ut Ann. 1, 3 *integra etiam tum domo sua*; cp. 49 *truces etiam tum animos cupido involat eundi in hostem*; cp. 74 *manebant etiam tum vestigia morientis libertatis*; 2, 51 *etiam tum Romae erant*; cp. 52 *nullo etiam tum urbium cultu*; 11, 22 *quaestores regibus etiam tum imperantibus instituti sunt*; 15, 64 *cum etiam tum praedives et praepotens supremis suis consuleret*; Agric. 39 *etiam tum Agricola Britanniam obtinebat.* — Plerumque major inest vis in hoc dicendi genere, quapropter, ut haec etiam augeatur, tum etiam nonnunquam dicitur, ut Ann. 3, 61 *oleae, quae tum etiam maneat, adnisam, edidisse ea numina.* — Cf. Walch. ad Agric. 39 p. 393. — Prorsus e Ciceroniano usu est non adhuc pro nondum Ann. 15, 27 *non enim adhuc eo ventum, ut certamine extremo opus esset.* — 3) Sicut nostra linguā „noch" non solum ad tempus, sed ad rerum etiam incrementa refertur, ita Ciceronis jam

*) Digni sunt qui notentur loci Plin. H. N. 22, 16 *quoque num;* 25, 5 *eamque num feminarum scientiam praevalere.*

aetate

aetate obtinuit consuetudo adhuc pro insuper, praeterea usurpandi, latius multo patens Taciti aevo. Hic etiam recurrere licet ad vocis originem, cum ad hoc, ad haec saepissime idem valeant quod insuper, praeterea. Et hujus generis et simul illius quod temporis rationem exprimit adhuc est in loco Plin. Ep. 4, 13 *ipse pauculis adhuc diebus in Tusculano commorabor, ut opusculum, quod est in manibus, absolvam.* — Exempla e Cicerone, Horatio, Varrone, aliis petita v. in Walch. Emendatt. Livv. p. 190. Apud nostrum cf. Germ. 10 *si prohibuerunt, nulla de eadem re in eundem diem consultatio, sin permissum, auspiciorum adhuc fides exigitur;* cp. 38 *Suevorum non una gens; majorem enim Germaniae partem obtinent, propriis adhuc nationibus nominibusque discreti;* cp. 29 *cetera similes Batavis, nisi quod ipso adhuc terrae suae solo et coelo acrius animantur.* — Et hujus quidem loci ratio ea est, ut etiam ad eam consuetudinem referri queat, qua 4) comparativis additur adhuc ab argenteae seriorisque aetatis scriptoribus, (a Tacito praeter istum locum, etiam ejusd. libri cp. 19. V. adjectivum). Vix est quod in hoc usu vituperemus, cum ex illo, quo insuper designat adhuc, sponte enatus sit. Cf. Spald. ad Quintil. 1, 5, 22 et Frotscher ad 10, 1, 99. — Plin. maj. et pro insuper et pro etiam in comparativis usurpat quoque etiamnum. Cf. H. N. 21, 49; 14, 5; 21, 69; 22, 72 (*etiamnum magis*).

ADIABENUS adj. ap. solum Tacitum Ann. 15, 1. 14. — Ceteri habent Adiabenicus.

ADJACERE 1) de regionibus, ut ap. Liv., Nepot., alios, Ann. 1, 79 *Velinum lacum — in adjacentia erupturum.* 2) de gentibus, ut nonnullis locis Nepos et alii: Ann. 13, 55 *adjacentium populorum miseratione.* 3) de personis, ut Plin. maj., Colum., Ann. 4, 48 *cum pars (Thracum) munitionibus adjacerent;* 1, 65 *cum — ipsi (Romani) passim adjacerent vallo.* — Cf. situs. Ejusdem generis est Hist. 2, 93 *adjacente Tiberi* (cf. Ann. 1, 79 accolis *fluviis orbatus Tiberis.*)

ADJECTIO, ut ap. Liv. et alios nonnullis locis, Hist. 1, 78 *familiarum adjectiones* (v. Lips. ad h. l.) cf. Ann. 13, 31 *coloniae Capua atque Nuceria additis veteranis firmatae sunt.*

ADJECTIVUM. de adj. in bilis desinentium creberrimo apud Tacitum usu v. Prolegomena. Singula quaere suo loco.

Syntaxis adjectivi:

1) Adjectiva absolute posita apud scriptores hujus aevi, maxime ap. Tacitum, praeeuntibus tamen Sallustio, Horatio, aliis, haud raro inveniuntur. Latius omnino patet haec stili Tacitei proprietas, cum verba etiam ac nomina praegnanti et sensu et structura usurpentur (v. c. *mare exspectabant; jus legationis* (sc. violatum) *miseratur*). V. super hac re Prolegomena. Ita Agric. 22 „*per alios gesta* avidus *intercepit*" i. e., Walchio interprete, per aviditatem laudis et gloriae; Ann. 2, 46 *vecordem Arminium et rerum nescium alienam gloriam in se trahere, quoniam tres* vacuas *legiones et ducem fraudis ignarum perfidia deceperit* (v. vacuus suo loco). Ad utrumque locum explicandum Walchius confert Horat. Sat. 1, 4, 126 *avidos vicinum funus ut aegros exanimat;* Od. 1, 28, 18 *exitio est avidum mare nautis*; Sall. fragm. p. 288 Bip. *at Sertorius vacuus hieme augere copias;* Suet. Vesp. 16 *Vespasianum natura cupidissimum (pecuniae) ferunt.* Adde Taciti Ann. 1, 51 *Caesar avidas legiones, quo latior populatio foret, quattuor in cuneos dispertit.* Cf. praeter Wopk. in Actt. Traj. 2 p. 60; Passow ad Germ. 18.

2) Loco substantivorum ponuntur neutra adjectiv. maxime cum genitivo conjuncta (ut contra substantiva pro adj. nonnunquam usurpantur, e. g. *animus liberator, victor exercitus, bellator equus*) cum a Livio aliisque scriptoribus, tum vero a Tacito et poetis. V. Drakenb. ad Liv. 37, 58. Matthiae Gr. Gramm. §. 442, 4; Vechneri Hellenolex. 1, 2, 9 p. 202 sqq.

a) Sine genitivo: Ann. 1, 1 *Populi Romani* prospera *vel* adversa; 3, 40 seditiosa *disserebant;* 4, 13 *paternis* adversis (patris adv. fortunâ); cp. 65 *per* plana *etiam ac foro* propinqua; cp. 67 aperta, secreta *velut in annales referebat* (v. secretum); cp. 73 *ad* sua *tutanda digressis rebellibus;* Agric. 28 *sua defensantium;* Ann. 5, 4 *dum* imminentium *oblitus* incerta *pavet;* 11, 16 *infectum alimonio, servitio, cultu,* omnibus *externis;* cp. 15 *ritus — inter* ambigua *culti;* cp. 17 *per* laeta *per* adversa *res Cheruscas adflictabat;* cp. 26 *Silius* summa *adeptus;* cp. 37 *tantâ inter* extrema *superbiâ agebat;* 12, 14 *nulla huic* prospera *aut* adversa, *quîs memoraretur;* cp. 15. 76 hostilia *resumpserat;* cp. 32 *ne* nova *moliretur nisi* prioribus *firmatis;* cp. 40 *adversus nos* hostilia *induerat;* cp. 57 *vis aquarum prorumpens* proxima *trahebat convulsis* ulterioribus *aut fragore et sonitu exterritis* (simul homines designantur); 14, 15 deformia *meditari;* Hist. 2, 66 hostilia *loqui.* — Sic

saepius. — Cf. Liv. 36, 35 et Sall. Jug. 107 *hostilia facere;* Liv. 21, 16 *legati — retulerunt omnia hostilia;* 1, 59 *adversus hostilia ausos;* 26, 31 *pati hostilia;* cp. 40 *obaerati, capitalia ausi plerique;* Plin. H. N. 16, 30 *palustria, plana — montuosa;* cp. 31 *in campestribus;* 12, 61 *in sitientibus, siccis:* Plin. Ep. 4, 9 *homo laboriosus et adversis suis clarus.*

b) Cum genitivo conj. singularis adj. Ann. 1, 61 humido *paludum;* cp. 65 lubrico *paludum;* Hist. 1, 79 *lubrico itinerum;* 2, 88 *lubrico viae;* Ann. 6, 49 *lubricum juventae;* cp. 27 extremo *anni;* Hist. 5, 6 certo *anni;* 2, 14 obscurum *noctis;* 4, 50 *obscuro adhuc coeptae lucis;* Ann. 2, 39 *obscuro diei;* cp. 21 sero *diei;* 4, 67 celeberrimo (sc. loco, ut recte interpretatur Wopk.) *fori;* cp. 41 secreto *loci;* 3, 5 asperrimo *hiemis;* 13, 28 medio *temporis;* — et sic passim. — Cf. Liv. 10, 32 *ad multum diei;* 26, 20 *aestatis extremo;* 28, 37 *extremum auctumni;* 33, 43 *serum noctis;* 35, 11 *extremo ejus anni;* 39, 6 *extremo anni;* 10, 28 et 26, 3 *serum diei.*

c) Cum genitivo conj. plural. adj. Ann. 4, 23 incerta *belli;* 11, 20 *Oceani;* Hist. 1, 26 *noctis;* 2, 77 *proeliorum;* Ann. 3, 54 *maris et tempestatum;* 4, 50 ambigua *sonitus;* Hist 2, 77 dubia *proeliorum;* 4, 23 fortuita *belli;* 3, 76 intuta *moenium;* 4, 81 certa *maris;* — Ann. 13, 37 avia *Armeniae;* Hist. 4, 70 *Belgarum;* Ann. 2, 68 *saltuum;* cp. 15 *Oceani;* Hist. 4, 50 inaccessa *mapalium;* cp. 35 angusta *viarum;* 3, 82 *angusta et* lubrica *viarum;* 4, 70 ardua *Alpium;* Ann. 4, 6 asperis *maris;* cp. 46 editis *montium;* 1, 50 obstantia *silvarum;* 4, 24 opportuna *locorum;* Hist. 3, 76 amoena *littorum;* Ann. 3, 7 *Asiae;* 1, 76 plana *urbis;* Hist. 3, 42 *Umbriae;* Ann. 1, 65 subjecta *vallium;* 2, 23 aperta *Oceani;* Agric. 25 profunda *silvarum et montium;* Hist. 1, 85 secreta *domuum.* — Ann. 2, 26 adversa *maris;* Agric. 25 *adv. tempestatum ac fluctuum;* Ann. 3, 24 *inlustrium domuum;* 6, 36 *proeliorum;* 4, 67 saeva *ventorum;* Hist. 5, 13 subita *belli;* Ann. 1, 61 occulta *saltuum;* 15, 74 *conjurationis;* Hist. 3, 65 operta *offensarum;* Ann. 4, 5 idonea *provinciarum;* cp. 59 vana *rumoris;* Hist. 2, 69 inania *belli;* Ann. 2, 76 *famae;* 6, 45 falsa *suspicionum;* 4, 41 tacita *suspicionum.* — 3, 24 longinqua *imperii;* Hist. 3, 42 proxima *littorum;* Ann. 3, 1 *maris;* Hist. 3, 46 prima *rerum;* Ann. 2, 16 *silvarum;* 4, 74 extrema *imperii;* cp. 67 *ab extremis promontorii;* 1, 68 summa *valli;* 4, 40 praecipua *rerum;* Hist. 4, 51 reliqua *belli;* Ann. 4, 5 cetera *Africae;* 13, 6 *belli;* 3, 52 alia *sumptuum;* 1, 9 *honorum;* Germ. 43 pauca *campestrium;* Ann. 3, 55

multa *laudis et artium.* — Cf. Liv. 33, 11 *dura atque aspera belli;* 30, 2 *incerta belli;* cp. 5 *cui omnia hostium nota erant;* 31, 46 *trajicit in proxima continentis;* 36, 8 *proxima Macedoniae;* 33, 17 *ima urbis;* cp. 38 *proxima Thraciae;* 26, 25 *vastatis proximis Illyrici;* 27, 8 *tumuli obliqua;* 38, 7 *maritima Aetoliae;* Sall. Jug. 113 *occulta pectoris;* Curt. 5, 12 *montium prona;* Plin. H. N. 15, 7 *in Syriae maritimis.* Vide Drakenb. ad Liv. 7, 21, 8.

3) Saepius quam apud alios adjectiva cum substantivis conjuncta genitivorum aliarumve consructt. vice funguntur, maxime in exprimendis iis quae ad terras, urbes hominesve pertinent.

Ann. 3, 43 Trevericus *tumultus;* cp. 75 Philippensis *acies;* 4, 18 Sacrovirianum *bellum;* 11, 29 Appiana *caedes;* 15, 23 Actiaca *religio;* Hist. 4, 15 Cajanae (Caji imperatoris) *expeditiones;* cp. 20 Bonnense *proelium*; Ann. 2, 26 Romana *ultio;* Hist. 2, 21 municipale *vulgus;* Ann. 4, 3 *municipalis adulter;* Hist. 3, 57 *aemulatio;* Ann. 4, 62 *ambitio;* 6, 15 oppidanum *genus;* 1, 46 urbana *servitus;* 13, 43 *urbana crimina;* 4, 20 provincialia *uxorum crimina.* — Ann. 1, 6 novercalia *odia;* cp. 33 *novercales stimuli*; cp. 7 uxorius *ambitus*; senilis *adoptio;* 3, 34 *uxorium levamentum;* 2, 43 paterni *spiritus;* 1, 75 *paternae angustiae;* cp. 14 muliebre *fastigium;* cp. 33 *muliebres offensiones;* 2, 71 *mul. fraus;* 13, 3 pueriles *anni;* 4, 2 militares *animi;* 1, 32 *militaria* odia; cp. 23 *militares facetiae* (objective 3, 14 *neque ambitionem militarem — infitiari poterat*); 12, 4 serviles *fallaciae;* cp. 26 *servilia ministeria;* 13, 6 *jussa;* Hist. 2, 59 verniles *blanditiae;* principalis *paratus; principalis fortuna* (cf. cp. 81); Ann. 1, 46 *majestas* imperatoria (cf. 5, 4); 3, 72 hostiles *exuviae;* 12, 51 *ob metum hostilem* (objective); 14, 30 *cruor* captivus; Hist. 3, 46 *perfidia* socialis; Ann. 2, 44 externus *metus* (objective); Dial. 29 histrionalis *favor* (objective). — Ann. 6, 32 adulatorium *dedecus;* Agric. 22 hiberni *eventus;* Ann. 16, 4 ludicra *deformitas* (de Nerone in scenam prodeunte); 4, 9 posterior *adulatio;* Dial. 6 extemporalis *audacia;* Ann. 6, 16 foenebre *malum.* — Ann. 3, 69 *ambitio* aliena; Hist. 2, 34 *aliena stultitia;* — et ita haec quoque saepius quam apud alios inveniuntur. — Cf. Cic. Att. 6, 8 *terrores Caesariani;* Verr. 3, 9 *spiritus Sicilienses* (Verris); leg. man. 12 *Ostiense incommodum*; Fam. 2, 16 *Hispaniensis casus;* Att. 8, 3 *fuga et maritima opportunitas;* Caes. B. C. 2, 32 *Corfiniensis ignominia*; — objective: Cic. Verr.

Act. 1, 10 *consularis metus*; Fam. 2, 17 *metus Parthicus*; Liv. 3, 16 *terror servilis*; 35, 30 et Sall. Jug. 105 *hostilis metus*.

4) Adjectt., ut a poetis, Graecorum more, a Tacito saepissime usurpantur pro adverbiis, cum major inde vis adstruatur orationi. V. Oudend. ad Suet. p. 613. Wopk. Actt. Traj. 2, p. 81.

Ann. 2, 73 *ut quis misericordia in Germanicum et praesumpta suspicione aut favore in Pisonem pronior*, diversi *interpretabantur*; 4, 12 occulti *laetabantur*; cp. 40 *non occulti ferunt*; 12, 12 *si* citi *advenissent*; Hist. 2, 40 *aderat sane citus equo Numida*; Ann. 11, 1 *citis cum militibus — praetorii praefectum misit*; 12, 31 *citas cohortes rapit* (cf. Sall. Jug. 101 *speculatores citi sese ostendunt*); 5, 1 *aufert marito* (Liviam) *adeo* properus, *ut cet.*; 16, 11 *properique et singulis vestibus ad verecundiam velati balneis inferuntur*; Hist. 3, 47 *Trapezuntem* — subitus *inrupit*; Agric. 20 multus *in agmine laudare modestiam*; cp. 37 frequens *ubique Agricola*; Ann. 14, 10 *atque eum* — prima *centurionum tribunorumque adulatio ad spem firmavit*; Agric. 19 *a se suisque orsus primam domum suam coercuit*; cp. 24 *quinto expeditionum anno nave prima transgressus ignotas ad id tempus gentes — domuit* *); cp. 22 *nec Agricola umquam per alios gesta* avidus *intercepit*; Germ. 2 *adversus Oceanus* raris *ab orbe nostro navibus aditur*, ibique Hess.; Hist. 2, 10 recens (nuper) *Galbae principatu censuerant patres cet.*; 4, 83 *Alexandriae recens conditae moenia* (cf. Suet. Tib. 1 *Romam recens conditam* et Hess. ad Germ. 2, 6.) — Ann. 3, 26 *multos apud populos* aeternum *mansere dominationes*; 12, 28 *cum quis aeternum discordant*; 3, 52 *luxus* immensum *proruperat*; 4, 27 *multitudo familiarum gliscebat immensum*; cp. 40 et 6, 37 *immensum attolli*; Hist. 4, 14 *instare delectum, quo liberi a parentibus — velut* supremum *dividantur* (quasi in totum vitae spatium ad mortem usque); Ann. 4, 60 *Tiberius torvus aut* falsum *renidens vultu* (cf. Sil. 1, 398 „*saevum arridens*"; et quos alios locos Ruperti laudavit;) cp. 28 *innocentem Cornutum et* falsa *exterritum*. Cf. accusat., ind. ad Liv. Drakenb. s. v. adject. et Matthiae Gr. Gr. §. 446 et 554.

---

*) Hiberniam Romanis jam ante notam fuisse negotiatorum commercio sequentia docent; non igitur illa navis omnium prima erat, sed Agricola primum hoc anno navi transgressus est in eam insulam.

5) Summa est Taciteae orationis varietas in comparationis usu.

a) Vulg. structura: Germ. 20 *quo major adfinium numerus, tanto gratiosior senectus;* Ann. 2, 20 *quantoque conspicui magis propugnatores, tanto pluribus vulneribus dejecti;* Hist. 3, 62 *scite magis quam probe*; Ann. 15, 3 *compositius quam festinantius;* Hist. 2, 24 *avidius quam consultius;* 4, 40 *ambitiosius quam honestius.*

b) Positivus vel alia, quae vice ejus funguntur, pro comparativo usurpantur in eum fere modum, quo Agric. 4 „*vehementius quam caute*" dictum est. Quid intersit inter posit. et comparativum in hoc dicendi genere, exponunt Ramsh. in Gr. Lat. et Hertel. ad Agric. 4.

Ann. 1, 2 *ceteri nobilium* quanto *quis servitio* promptior, *opibus et honoribus* extollerentur; cp. 74 quantoque incautius *efferverat, poenitentiá* patiens *tulit.* (Cf. Liv. 1, 25 *Romani — Horatium accipiunt eo majore cum gaudio quo prope metum res fuerat);* Hist. 2, 11 *sed* quo plus virium *ac roboris, e fiducia* tarditas *inerat* (i. e. tanto plus tarditatis); Ann. 1, 68 quanto inopina, tanto majora; 3, 46 quanto *pecuniá* dites *et voluptatibus opulentos,* tanto magis imbelles *Aeduos evincite;* 6, 45 *millies sestertium eá munificentiá conlocatum,* tanto acceptius *in vulgum,* quanto modicus (erat) *privatis aedificationibus;* — Hist. 2, 99 quantum hebes — tanto promptior; Ann. 2, 5 quanto acriora *in eum studia militum* et aversa *patrui voluntas cet.;* 4, 48 tanto infensius *caesi,* quanto perfugae — incusabantur; — Ann. 4, 67 quanto intentus *olim* — tanto resolutus (cf. Liv. 21, 48 *Hannibal — quantum victoria equestri elatus — tantum anxius inopia).*

c) Tanto transpositum: Ann. 1, 81 *speciosa verbis — quantoque majore libertatis imagine, tanto eruptura ad infensius servitium.*

d) Tanto vel eo omissum in comparat. Ann. 2, 5 *quanto acriora in eum studia militum et aversa patrui voluntas, celerandae victoriae intentior;* Hist. 3, 58 *quanto quis clarior, minus fidus.* Cf. Liv. 25, 38 *quo audacius erat* (consilium), *magis placebat.*

e) Plura omissum: Ann. 3, 5 *tanto plura decora mox tribui par fuisse, quanto prima fors negavisset.*

f) Eodem actu pro tanto: Hist. 1, 12 *qui in dies quanto potentior, eodem actu invisior erat.* V. s. actu.

g) Quam positum sine magis v. potius: Hist. 3, 60 *praedae quam periculorum socius;* cp. 70 *cur fratris domum — quam Aventinum et penates uxoris petisset;* 4, 83 *ubi securitas rediit, voluptatum quam religionum adpetens;* Ann. 4, 61 *claris majoribus quam vetustis;* Germ. 6 *cedere loco, dummodo rursus instes, consilii quam formidinis arbitrantur;* Ann. 1, 58 *pacem quam bellum probabam;* 3, 17 *miseratio quam invidia augebatur.* — Cf. Plaut. Rud. 4, 4, 70 *Eo tacent, quia tacita bonast mulier semper, quam loquens;* Menaechm. 5, 1, 26 *Quin vidua vivam, quam tuos mores perferam;* Liv. 7, 8 *multiplex quam pro numero damnum est;* 23, 43 *ipsorum quam Hannibalis interesse capta an tradita Nola potiretur;* 28, 44 *Carthago praemium victoriae erit quam semiruta Bruttiorum castella;* Sall. Cat. 9 *beneficiis quam metu imperium agitabat;* cp. 48 *tanta vis hominis leniunda quam exagitanda videbatur;* Jug. 102 *amicos quam servos quaerere.* V. Corte ad Sall. Cat. 8, 1; Passow et Hess. ad Germ. 6.

h) Ann. 3, 8 *quem* haud *fratris interitu* trucem, quam — aequiorem *sibi sperabat* pro non tam — quam s. tantum abest ut — ut.

i) Ann. 4, 36 ut quis districtior *accusator* (pro *ut quisque*), *velut* sacrosanctus *erat;* cp. 23 ut quis *fortunae* inops, *moribus turbidus,* promptius *ruebant* (v. supra sub. b). Cf. Liv. 9, 6 *primi consules sub jugum missi; tum ut quisque gradu proximus erat ità ignominiae objectus.* V. Ramsh. Gr. p. 314 sq.; Walch. Emendatt. Liv. p. 51; Hess. varr. lectt. in T. Germ. I p. 11 sq.; II p. 9.

k) Malle cum abl. rei comparatae, poetico more ab arg. aet. scriptt. recepto: Ann. 12, 46 *ne dubitaret armis incruentas conditiones malle.*

l) Adhuc pro etiam (ἔτι) ad augendam comparat. vim, ut apud Plin. maj., Suet., Senec., Quintil., alios ejusd. aevi saepius quam apud Tacit., qui semel bisve hoc dicendi genere usus est. Germ. 19 *melius quidem adhuc eae civitates cet.* Alterum locum v. s. v. adhuc.

m) Tam cum superlat. Ann. 1, 53 *nec alia tam intima Tiberio causa, cur Rhodum abscederet.* Cf. Ter. Ad. 3, 4, 56 sq. *quam estis maxume potentes, dites, fortunati, nobiles, tam maxume vos aequo animo aequa noscere oportet;* Sall. Jug. 31 *quam quisque pessume fecit, tam maxume tutus est;* Cic. Phil. 12, 5 *nondum erat vestris tam gravissimis tamque multis judiciis ignominiisque concisus;* Verr. 2, 66 *qui maxime*

ab injuriis nostrorum magistratuum remotissimi consuerant esse. — Eodem modo comparativo usus est Virg. Aen. 7, 787 *tam magis illa fremens — quam magis effuso crudescunt sanguine pugnae.*

n) Vel praecipuus, tamquam c. superl. conjunctâ particulâ, praeeuntibus prior. aevi scriptoribus: Dial. 6 *extemporalis audaciae atque ipsius temeritatis vel praecipua jucunditas est.*

o) Numeralia distrib. pro cardin. usurpata more poetarum: Hist. 1, 2 *trina bella civilia; 3, 82 tripartito agmine incessit —; miles Vitellianus trinis et ipse praesidiis occurrit.*

ADJECTUS, a, um v. adjicere.

ADIGERE 1) = adducere, ut nonnullis ap. alios etiam locis, apud T. praecipue de navibus: Ann. 2, 7 *dum adiguntur naves;* 11, 18 *triremes alveo Rheni, ceteras navium — per aestuaria et fossas adegit;* Hist. 2, 83 *classem e Ponto Byzantium adigi jusserat;* 3, 47 *lectissimas Liburnicarum omnemque militem Byzantium adegerat.* Cf. Plaut. Bacch. 5, 2, 3 *Quis has huc oves adegit?* Varro R. R. 2, 5, 16 *lactentes cum matribus ne cubent — ad eas mane adigi oportet.* Alia v. in Lex. Forc. Hertel. 2) = impellere, infligere, ut ap. Liv., Caes., alios, maxime arg. aet. scriptores: Ann. 1, 61 *primum ubi vulnus Varo adactum;* 6, 35 *vulnus per galeam adegit;* Hist. 4, 23 *crates vineasque parantibus adactae tormentis ardentes hastae.* 3) = cogere, permovere, ut ap. Cic., Terent., alios, sed insolentius, more poetico, cum infinit. Ag. 28 *tres Liburnicas adactis per vim gubernatoribus adscendere* (v. alia exempla s. Infinit.) — Hist. 1, 55 *legiones — sacramento pro Galba adactae;* cp. 76 *Judaicum exercitum — sacramento Othonis adegere* (ita ap. Liv. „*jurejurando adigere,*" vulg. ad s. in jusj. s. sacramentum); Hist. 4, 61 *neque se neque quemquam Batavum in verba Galliarum adegit;* cp. 59 *Agrippinenses — in eadem verba adigit.* 2, 14 *provincia Narbon. in verba Vitellii adacta.* Ita Liv. quoque. — 4) Absolute ap. solum Tacitum Hist. 4, 15 *Magno cum adsensu auditus — universos adigit* (sc. sacramento); Ann. 15, 33 *acriore in dies cupidine adigebatur Nero promiscuas scenas frequentandi.*

ADJICERE = addere, adigere, minus usitatt. juncturis: Ann. 3, 6 *si modus adjiceretur;* 15, 55 *adjicit dictis constantiam;* Agric. 26 *adsultare tergis pugnantium jubet, mox ab universis adjici clamorem;* Hist. 1, 41 *pleraque vulnera — trunco jam corpori adjecta;* 2, 65 *Cluvius comitatu* (ui) *prin-*

cipis adjectus. — Absolute: Ann. 2, 33 *adjecerat et Tiberius, non id tempus censurae;* 4, 21 *adjecitque in domo ejus venenum esse;* cp. 70 *adjecto trepidam sibi vitam;* et sic saepius apud nostrum. V. similia in Lex. Forc. Herteliano iisque adde Curt. 7, 22 *ille — adjecit, non Dareo iniquos fuisse cet.* Cf. adnectere.

ADLEGARE = adferre aliquid probandi vel excusandi gratia, hac quidem sign. ap. argenteae modo aet. scriptt., Hist. 4, 84 *munera, preces, mandata regis sui Scydrothemidi adlegant.*

ADLOQUIUM saepissime ap. Liv. et Tacitum, sed nonnullis locis etiam ap. Horat. et alios. Semper fere exprimit comitatem quandam benevolumque colloquentis animum. Ann. 4, 8 *propinquorum adloquia; — firmatos adloquio adolescentulos;* Hist. 3, 36 *non adloquio exercitioque militem firmare;* 5, 1 *comitate et adloquiis officia provocans.* Cf. Liv. 1, 34 *benigno adloquio;* 9, 6 *vultus benigni et adloquia;* 25, 24 *ut adloquio leni perlicerent hostes;* 28, 3 *qui — adloquio animos tentarent.*

ADMISSUM = delictum, ut singulis locis ap. Ciceronem, Liv., Ovid. (v. Lex. Forcell. Hertel.) Ann. 11, 4 *de admissis Poppaeae;* cf. Dial. 12 *male admissa defendere.* Ita „*facinus, scelus, dedecus admissum*" apud Cic., Sall., alios.

ADMODUM = valde, satis, fere (v. Handii Tursell. Vol. I p. 168 sqq.) Tacito, ut videtur, priori tantum sign., apud ceteros etiam creberrima, maxime ad aetatem definiendam, usurpata particula: Ann. 1, 3 *sororis filium admodum adolescentem — extulit;* 2, 80 *castellum Ciliciae munitum admodum;* 4, 13 *hunc comitem exsilii, admodum infantem, pater — in insulam Cercinam tulerat;* 13, 39 *paucis admodum vulneratis;* Germ. 18 *exceptis admodum paucis;* Agric. 7 *admodum juvene Domitiano;* Dial. 1 *juvenis admodum audivi;* Hist. 2, 78 *summa claritudo juveni admodum Vespasiano promissa;* 4, 5 *ingenium inlustre altioribus studiis juvenis admodum dedit.*

ADMONERE 1) cum solo conjunctivo Ann. 13, 5 *nisi — Seneca admonuisset, venienti matri occurreret.* — Similia ex Nepote aliisque allata v. in Lex. Forcell. Hertel. 2) cum infinitivo Ann. 6, 7 *admonuit C. Cestium — dicere* (cf. 15, 67; v. Infinit.) ut ap. poetas, sed Livium quoque aliosque scriptores. 3) de rebus inanimis Ann. 3, 25 *ea res admonet ut de principiis juris — altius disseram;* 15, 45 *si sitis admonerei,*

profluente aqua vitam tolerat. Ita semel ap. Livium 5, 51: *adversae deinde res admonuerunt religionum.*

ADNECTERE ut ap. Cic., Liv., Sall., alios, sed saepius fortasse et nonnunquam peculiari constr. Ann. 2, 64 *quod incultum, ferox, adnexum* (i. e. vicinum) *hostibus*; 5, 1 *sanguini Augusti — adnexa*; 12, 52 *adnectebatur crimini Junia mater ejus.* — Absolute (cf. adjicere) = addere: Ann. 2, 26 *simul adnectebat, si foret adhuc bellandum, relinqueret materiem cet.*; 4, 28 *adnectebatque, Caecilium — ministravisse pecuniam.*

ADNEXUS us ap. solum Tac. Hist. 3, 34 *adnexu connubiisque gentium.*

ADNOTARE argenteae aetatis vox = observare et observata proloqui: Ann. 12, 25 *adnotabant periti*; Hist. 3, 73 *adnotabant periti, nunquam — alium suffectum*; Agric. 22 *adnotabant periti, non alium ducem opportunitates locorum sapientius legisse*; Ann. 13, 3 *adnotabant seniores*; cp. 35 *annotatusque miles — ita praeriguisse manus, ut . . .*; 14, 2 *jamque lasciva oscula — adnotantibus proximis*; 15, 23 *adnotatum est — Thrasceam — excepisse*; cp. 41 *fuere qui adnotarent, XIV Kal. Sextiles principium incendii hujus ortum.*

ADNUERE 1) ut vulgo c. dat. Ann. 12, 48 (coll. 15, 16) *ne tamen adnuisse facinori viderentur*; 15, 16 *an paci adnueret.* 2) ut apud Virg. aliosque poetas, cum accus. Ann. 14, 60 *falsa adnuere* i. e. adfirmare. 3) cum interrog. particula ap. solum, ut videtur, Tacitum Ann. 15, 58 *Flavio adsistenti adnuentique an — destringeret gladium, renuit.*

ADOLERE ut ap. Virg. aliosque poetas Ann. 14, 30 *captivo cruore adolere aras*; Hist. 2, 3 *igne puro altaria adolentur.* Cf. Oberl. ad h. l.

ADOLESCERE, ADULTUS. Praemittantur e Sallust. Cortiano Hist. 6 p. 1011 quae Servius ad Virg. Georg. dicit: „*Primo mense veris dicitur novum ver, secundo ver adultum, tertio praeceps, sicut etiam Sallustius dicit ubique nova aestas, adulta, praeceps.*“ Ita inter omnes saepissime Tacitus utitur hac voce, translata maxime sign. (Ann. 2, 3 *Artabanus apud Dahas adultus*; 11, 16 *Arminii filius hostili in solo adultus* soli sunt loci, qui a vulgari loquendi genere recedunt. Similia habet Justinus). Hist. 5, 7 *herbae — solitam in speciem adolevere*; Ann. 13, 36 *donec ver adolesceret*; 11, 31 *adulto auctumno*; 2, 33 *aestate jam adulta*; Hist. 3, 23 *nocte adulta* (i. e. media fere nocte); Ann. 15, 73 *coeptam adultamque*

et revictam conjurationem; 1, 46 *duorum adolescentium non-dum adulta auctoritas;* 2, 43 *suam aetatem vergere, Drusi nondum satis adolevisse;* Hist. 1, 31 *necdum adulta seditio;* Ann. 3, 53 *praevalida et adulta vitia;* 2, 33 *auctu imperii adolevisse etiam privatas opes;* cp. 50 *adolescebat interea lex majestatis;* Hist. 2, 38 *cupido — adolevit erupitque;* cp. 73 *quantum superbiae socordiaeque Vitellio adoleverit;* 3, 34 *Cremona — adolevit floruitque;* 4, 24 *neque Muciani ope Vespasianum magis adolevisse;* cp. 48 *legatorum vis adolevit diuturnitate officii;* cp. 61 *Veledae auctoritas adolevit;* 5, 8 *Parthis nondum adultis* (i. e. satis validis); Dial. 25 *adulta eloquentia.* — Cf. Liv. 2, 1 *res nondum adultae* (Romanorum); Sall. Jug. 18 *res Persarum brevi adolevit;* Vell. 2, 110 *adulta viribus Delmatia.*

ADPELLITARE Ann. 4, 65 *montem Caelium adpellitatum a Caele Vibenna.* Ita praeter Tacitum Apulejus.

ADPETERE impersonaliter = instare, prope adesse, de tempore maxime, ut apud Liv. saepissime: Ann. 4, 51 *adpetente jam luce;* Hist. 2, 19 *nox adpetebat;* cf. Curt. 10, 5 *fatum, cujus inevitabilis sors est, adpetebat;* Caes. B. G. 6, 35; 7, 82; Liv. 10, 20. 21. 42; 22, 1; 41, 28; 37, 47; 39, 6; 25, 2; 29, 38; 27, 30; 34, 13; 36, 45; 37, 32; 38, 40.

ADPRIMERE (Plin. maj.; cf. Lex. Forcell. Hertel.) Ann. 2, 21 *scutum pectori adpressum.* — Participio solus T. usus esse videtur.

ADPUGNARE ap. unum Tacitum: Ann. 2, 81 *classem — adpugnare frustra tentavit;* 4, 48 *castra Romana adpugnarent;* 15, 13 *castellum adpugnare.*

ADREPERE translate, ut singulis locis ap. Ciceronem et Horatium, Ann. 1, 74 *saevitiae principis adrepit;* 3, 50 *muliercularum animis adrepit.* — Eodem modo inrepere usurpat cum Cicerone Tacitus: Ann. 4, 2 *inrepere paullatim militares animos adeundo, adpellando;* (cp. 8 *deligit venenum, quo paullatim inrepente fortuitus morbus adsimularetur*); 13, 12 *penitus inrepserat* (in gratiam principis); Hist. 2, 63 *inrepentibus dominationis magistris.* Cf. Cic. Harusp. resp. 24 *in opinionem gratiae inrepere;* Balb. 2 *non inrepsisse in censum dicitur;* Planc. 7 et Pis. 1 obrepere *ad honorem.*

ADRECTUS v. erectus.

ADROGANTIA 1) ut vulgo, in malam partem, Ann. 13, 2 *Pallas tristi adrogantia modum liberti egressus taedium sui moverat.* 2) severitas, quae non illicita, sed debita, ea vero

acerrimo, nihilque remittente studio sibi vindicat, ut Cic. in Verr. Act. 1, 6 *proponit inania mihi nobilitatis, id est nomina hominum arrogantium*: Agric. 9 *adrogantiam et avaritiam exuerat*; Ann. 2, 72 *visuque et auditu juxta venerabilis, cum magnitudinem et gravitatem summae fortunae retineret, invidiam et adrogantiam effugerat*; Agric. 42 *Domitianus — in adrogantiam compositus et audiit preces excusantis, et cum adnuisset agi sibi gratias passus est, nec erubuit beneficii invidia*. — Ita Walchius ad Agric. 9, minus apte adjuncto ejusdem libri loco cp. 16: *hic cum egregius cetera adroganter in deditos et — durius consuleret cet.*

ADSCISCERE e vulgari loquendi modo, nonnunquam tamen minus usit. junct. Ann. 1, 60 *in commilitium adsciti sunt*; Hist. 2, 53 *in senatum nuper adscitus*; 4, 24 *adsciri in societatem Germanos*; Germ. 22 *de adsciscendis principibus — in conviviis consultant*; Agric. 9 *revertentem inter patricios adscivit*. Dial. 5 *tueri amicitias, adsciscere necessitudines*. V. Osann. ad h. l. — Insolentius, ut ap. Sueton., Ann. 1, 31 *in suum cognomentum adscisci imperatores*: 3, 30 *Crispum — C. Sallustius — sororis nepotem in nomen adscivit*.

ADSEVERARE sicut ADSEVERATIO saepius varieque magis quam ap. alios: Ann. 4, 55 *Halicarnassii — adseveraverant*; 6, 28 *sunt qui adseverent*; 11, 23 *adseverantium, non adeo aegram Italiam cet*; 12, 42 *adseverante uxore*; 13, 18 *viros gravitatem adseverantes* (die sich sehr ernsthaft den Schein — gaben); 14, 16 *ut contraria adseverantium discordiae eruerentur*; 15, 63 *illa contra sibi quoque destinatam mortem adseverat*; 16, 3 *dum hunc vel illum locum promissi specus adseverat*; cp. 24 *expurgaturum adseverans*; Hist. 1, 18 *ultro adseverat*; 2, 80 *adseverabat Mucianus statuisse Vitellium, ut cet.*; cp. 96 *nec ullum civilis belli metum adseverabat*; 3, 22 *ordinem agminis — adseverare non ausim*; 4, 49 *adseveravitque mandata — centurioni data*; Agric. 11 *magni artus Germanicam originem adseverant*. — Ann. 2, 31 *accusatio tamen apud patres* adseveratione *eadem peracta*; 3, 35 *respondit — non eadem adseveratione*; 4, 15 *magna cum adseveratione principis*; cp. 19 *multa adseveratione, quasi — legibus cum Silio ageretur*; cp. 42 *studio probandi — magna adseveratione nititur*; cp. 52 *secuta adseveratione Caesaris*; 6, 2 *adseveratione multa censebant*. Quintil. 4, 2, 94 cum perseverantia hanc vocem componit; Cic. Att. 13, 23 ait: „*omni tibi adseveratione adfirmo*.“

ADSIDERE 1) vulg. constr. c. dat., ut Agric. 45 *adsidere valetudini alicujus.* 2) more poetico c. accus. Ann. 4, 58 *saepe moenia urbis adsidens*, praecipue ubi idem est quod obsidere Ann. 6, 43 *adsidendo castellum.* Cf. Sall. fr. apud Priscian. 8 p. 830 Putsch. *Amisum adsideri sine proeliis audiebat.* Minime vero huc pertinet locus Livii (26, 22) a Forcell. allatus; nam ibi absolute positum est adsidere: *vixdum requiesse aures a strepitu et tumultu hostili, quo paucos ante menses adsederint prope moenia Romana*, ut cp. 20 *adsidendo diutius artiorem annonam — faciebat.* Alias c. dat. Liv. quoque conjungit h. v. ut 21, 25 *cum — segnis intactis adsideret muris.* Cf. praesidere.

ADSIGNARE 1) = transferre, ut ap. Cic. saepius: Dial. 36 *hinc accusationes potentium reorum et adsignatae etiam domibus inimicitiae;* hinc imputare, tribuere est (ita etiam frequentius ap. Cic. aliosque) Hist. 2, 60 *pleraque fortuita fraudi suae adsignantes.* 2) = dare, attribuere, ut plerumque ap. argent. aet. scriptt. Hist. 1, 30 *transfugae — imperium adsignabunt?* Germ. 13 *magna patrum merita principis dignationem etiam adolescentulis adsignant.*

ADSIMULARE ap. poetas et arg. aet. scriptores, maxime ap. Tacitum, saepius quam apud priores 1) = comparare, in similitudinem alicujus rei effingere, qua sign. rectius fortasse scribitur adsimilare (cf. Passow. ad Germ. 9 et Walch. ad Agric. 10) Ann. 1, 28 *suis laboribus defectionem sideris adsimulans;* 15, 39 *praesentia mala vetustis cladibus adsimulantem;* Agric. 10 *formam totius Britanniae — bipenni adsimulavere;* Ann. 11, 11 *fabulosa et externis miraculis adsimulata;* Germ. 9 *deos in humani oris speciem adsimulare.* 2) = falsam speciem alicuj. rei praebere Ann. 4, 8 *fortuitus morbus adsimularetur;* cp. 59 *adsimulabatque indicis partes;* 6, 25 *adsimulatus est finis qui videretur sponte sumptus;* 16, 17 *adsimulatis Lucani litteris.*

ADSISTERE praeter vulg. usum, peculiari prorsus, ut videtur, sign., quam apud ceteros exprimit consistere sensu militari „antreten" (ut Hist. 4, 78 *consistunt per cohortes et manipulos*) Ann. 2, 16 *ut ordo — adsisteret;* cp. 17 *qui campis adstiterant;* cp. 19 *hic pedes adstitit;* Hist. 2, 80 *solito adsistentes ordine ut legatum salutaturi;* 3, 82 *pars ut adstiterat — incessit;* 4, 46 *Germanicum Britannicumque militem — separatim adsistere jubet;* 5, 16 *Civilis haud porrecto agmine, sed cuneis adstitit.* — Similia sunt Cic. Legg. 2, 4 *ut contra*

omnes hostium copias in ponte unus adsisteret; Sall. Cat. 59 *ipse — propter aquilam adsistit.* Eadem ap. Tacitum ratio est τοῦ absistere Ann. 2, 31 *miles abstitit* (trat ab).

ADSPECTARE translate (ap. Cic., Terent., Plaut. proprie) Ann. 1, 4 *omnes exuta aequalitate jussa principis adspectare* (majore cum vi quam respicere, observare. Similiter ap. Lucret. „*illum aspectari*" i. e. suspici.); 12, 32 *haud procul mari quod Hiberniam insulam adspectat.* Ita Virg. „*collis adspectat desuper arces.*" De voce *adspicere* pro conspicere Tacito frequentata vide Hess. ad Germ. 13.

ADSTREPERE v. obstrepere.

ADSTRUERE (propie ap. Caes. aliosque) translate ap. Vell. et arg. aet. scriptores: Hist. 1, 78 *tamquam nobilitatem ac decus adstruerent;* Agric. 44 *quid aliud adstruere fortuna poterat?* Cf. Vell. 1, 17 *ut Livium quoque priorum aetati adstruas; 2, 55 victus ab eo Pharnaces vix quicquam gloriae ejus adstruxit.*

ADSUETUDO = consuetudo, ut apud Liv. 44, 5 et aliis nonnullis locis, etiam Ovid., Gell., al., Ann. 1, 11; 2, 44; 4, 16; Hist. 2, 62.

ADSULTARE apud ceteros ejusd. aetatis scriptores de feris plerumque, ap. Tacitum de hostili impetu Ann. 2, 13 *adsultatum est castris;* 1, 51 *latera et frontem modice adsultantes;* Agric. 26 *velocissimos — adsultare tergis pugnantium jubet.*

ADTERERE translate, ut singulis locis Sall., Curt., Quintil., al. huj. aet. Hist. 1, 89 *quae motu Vindicis haud perinde plebem adtriverant;* Germ. 29 *nec tributis contemnuntur, nec publicanus adterit;* Agric. 9 *procul a contentione adversus procuratores, et vincere inglorium et adteri sordidum arbitrabatur,* ubi Walch. scite comparat Horatianum illud „*insignem virum attenuat*" et Graecum v. ἐλασσοῦσθαι; Ann. 15, 16 *pabulo adtrito relicturos oppugnationem;* Hist. 1, 10 *adtritis opibus;* 2, 56 *adtritis Italiae rebus;* Dial. 18 *Calvum quidem Ciceroni visum exsanguem et adtritum* (oratorem).

ADTINERE = retinere, tenere, obtinere, sed magna harum significationum varietate: Ann. 1, 35 *ferrum — deferebat in pectus, ni proximi prensam dextram vi adtinuissent;* cp. 50 *post discordiis adtinemur;* 2, 10 *ni Stertinius — Flavium adtinuisset;* cp. 52 *ut — armatos castris adtineret;* 3, 36 *convictam adtineri publica custodia jussit;* cp. 71 *qui flaminem — adtinuisset;* 4, 5 *ripam Danubii legionum duae in Panno-*

nia — adtinebant; 6, 17 *argentum — aerario adtinebatur;* cp. 19 *qui carcere adtinebantur;* cp. 23 *in palatio adtinebatur;* cp. 27 *Arruntium ne in Hispaniam pergeret, decimum jam annum adtineri;* 13, 15 *cujus (tribuni) curâ adtinebatur damnata veneficii nomine Locusta;* cp. 27 *velut vinculo servitutis adtineri;* cp. 50 *impetum ejus — adtinuere senatores;* cp. 53 *ne tamen segnem militem adtinerent;* 14, 56 *rarus per urbem quasi valetudine infensa aut sapientiae studiis adtineretur* (quominus in urbem veniret); cp. 57 *Nero recordatus Volusii Proculi indicio Epicharin adtineri;* Hist. 2, 14 *ni victorem exercitum adtinuisset obscurum noctis.* — Rarius est retinere, ut Ann. 15, 50 *nisi impunitatis cupido retinuisset.* Cf. Sall. Hist. 1 or. Phil. 16 *nos in sollicitudine attineas.* Similiter Cic. in loco veteris poetae. Ceteri nihil paene usurpant nisi „*quod attinet ad; ad me attinet; nihil, quid attinet, i. e. refert*“ et huj. generis plura. Curtius habet attinere pro pertingere (*Scythae ad Tanaim adtinent*) Plaut. pro admovere (*cultros attinere*).

ADTRECTARE et ap. prioris et ap. arg. aet. scriptores rara vox Ann. 1, 62 *adtrectare feralia;* 3, 52 *indecorum adtrectare* (inchoare) *quod non obtineret.*

ADULATORIUS ap. solum Tacitum Ann. 6, 32 *familiaritate Claudii turpe in servitium mutatus exemplar apud posteros adulatorii dedecoris habetur.* — Adulatorie Augustinus exhibet.

ADULTUS v. adolescere.

ADUMBRATUS a. Cicerone etiam haud raro usurpatur ad umbram s. speciem, non ipsam rem, exprimendam; plane idem valet ac fictus, ut ap. Ammianum, Ann. 4, 31 *nec occultum est quando ex veritate, quando adumbratâ laetitiâ facta imperatorum celebrentur.*

ADVECTUS, us apud solum Tacitum Hist. 4, 84 *haec de origine et advectu dei celeberrima.* Cf. Germ. 9 *signum ipsum — docet advectam religionem.* V. Ern. ad illum l.

ADVENTARE v. Accusat.

ADVERBIA v. suo quaeque loco et s. v. esse.

ADVERTERE 1) = animadvertere s. animum advertere (ut Ann. 13, 49 *qui animum etiam levissimis adverterent,* ubi minus vulgaris est cum dat. constr.) ut singulis locis etiam ap. Cic., Terent., Virg., Caes., Hirt., saepius ap. Plin. maj. Ann. 4, 54 *donec advertit Tiberius;* 12, 51 *spirantem — advertere pastores;* 13, 54 *advertere quosdam cultu externo in se-*

dibus senatorum; (14, 43 rectius legitur *avertit*); 15, 30 *quotiens novum aliquid adverterat.* Cf. Caes. B. C. 1, 81 *adverso vitio castrorum;* Hirt. b. Alex. 30 *haec cum adverteret.* 2) = convertere animum, oculos ad aliq. rem (raro ap. alios, ut Liv. 1, 12 *adverterat ea res etiam Sabinos tanti periculo viri*) Ann. 1, 41 *gemitus ac planctus etiam militum aures oraque advertere;* 2, 17 *octo aquilae — imperatorem advertere;* 4, 21 *recentia veteraque odia advertit* (i. e. in se convertit); 6, 44 *ut vulgum miseratione adverteret.* — Inde est monere, ut ap. Sen. Ep. 94, Hist. 3, 48 *advertit ea res Vespasiani animum, ut vexillarios — deligeret.* 3) = punire (ut vulgo animadvertere in aliquem, quod idem Tacitus Ann. 13, 28; Hist. 1, 46. 68. 85; 4, 49; Germ. 7 et saepius usurpat) sine ullo, ut videtur, apud al. scriptorem exemplo: Ann. 2, 32 *in P. Marcium consules extra portam Exquilinam — more prisco advertere;* 5, 9 *ut in reliquos Sejani liberos adverteretur;* 4, 35 absolute: *si quis advertit, dictis dicta ultus est;* 3, 52 *ne princeps antiquae parcimoniae durius adverteret.* — Minime hic cum Oberlinio, Forcell. et Hertel. ad *parcimoniae* trahenda est vox.

ADVOCATIO officium quodcumque patroni, ut ap. Cic. et alios, saepius ap. arg. aet. scriptores Dial. 4 *desidiam advocationum objicis.*

ADVOCATUS = patronus, causidicus, qua sign. inferiore demum aevo usurpari hanc vocem Manut. jam monuit ad Cic. Fam. 7, 10: Ann 11, 5 *advocatorum perfidia;* cp. 6 *ut, quomodo vis morborum pretia medentibus, sic fori tabes pecuniam advocatis ferat;* Dial. 1 *horum temporum diserti causidici et advocati et patroni et quidvis potius quam oratores vocantur.* — Ita saepissime Quintil.

ADVOLVERE v. accusat.

AEGRESCERE (sign. propia ap. Lucret. et Plin. maj.) translate, ut ap. poetas, Ann. 15, 25 *ne tam promptus in pavorem longiore sollicitudine aegresceret.*

AEMULATUS = aemulatio cum invidia conjuncta, ap. solum T. Ann. 13, 46 *ne in urbe aemulatûs ageret;* Hist. 3, 66 *exstincto aemulatu.*

AEQUABILIS translate ap. Cic. aliosque ad jus, orationem et alias ejus generis res refertur, ap. Tacitum ad personas etiam. Ann. 4, 20 *cum aequabili auctoritate et gratia apud Tiberium viguerit.* — 6, 31 *aequabilis in suos;* Hist. 4, 5 *cunctis vitae officiis aequabilis.* Cf. Ern. ad Ann. 6, 31 „ae-

quabilis

quabilis interdum est aequalis, inde justus et aequus, hinc civilis, lenis, mitis." — Adv., ut ap. Cic., Sall., alios Ann. 15, 21 *aequabilius atque constantius provinciae regentur.*

AEQUALIS proprie de loco plano, ut ap. Sall., Plin. maj., Ovid., Ann. 4, 47 *montem occupat angustum et aequali dorso continuum usque ad proximum castellum.*

AEQUALITAS transl., ut ap. Cic. „*consensus in aequalitate fraterna*" Ann. 1, 32 *praecipuum indicium — implacabilis motus quod — pariter ardescerent, pariter silerent, tanta aequalitate* (i. e. consensu), *ut regi crederes;* sed etiam ad reip. statum, quo eodem omnes jure utuntur, spectat ap. Tacit. Ann. 1, 4 *omnes exuta aequalitate jussa principis adspectare;* 3, 26 *postquam exui aequalitas, et pro modestia ac pudore ambitio et vis incedebat;* cp. 74 *erant plures simul imperatores nec super ceterorum aequalitatem.*

AEQUALITER = aequabiliter, ut quibusdam locis ap. Cic. et alios Hist. 2, 27 *reverentius et aequalius duci parebant.* Cf. aequabilis.

AEQUE — quam, si Liv. excipis, rara ap. priores locutio pro vulgari *aeque — et, ac, atque, ac si* (Hist. 4, 5) Ann. 14, 38 *nihil aeque quam fames adfligebat — incuriosos;* Hist. 2, 10 *contra ap. alios nihil aeque reo proderat quam nimia potentia adcusatoris;* 4, 52 *Vespasianus, haud aeque Domitiano mitigatus quam Titi pietate gaudens.* Praeeunte Horatio Epist. 1, 1, 25 *aeque pauperibus prodest locupletibus aeque;* Tacitus quoque usurp. *aeque — aeque* Agric. 15 *aeque discordiam praepositorum, aeque concordiam subjectis exitiosam.* Vide interpretes ad utrumque l. et Handii Tursell. Vol. 1. p. 194.

AEQUITAS minus usitata sign. qua designat incuriam (Gleichgültigkeit) cum saepius sit tranquillitas, remissus animi status (Gelassenheit), ut Cic. Pis. 12 *quo in spectaculo mira populi R. aequitas erat* i. e. nullam spectaculi curam gerebat. Ita Ann. 16, 33 *exutus omnibus fortunis et in exsilium actus, aequitate deum erga bona malaque documenta.*

AEQUUS 1) de loco plano, ut vulgo, Ann. 2, 80 *dum Romanae cohortes in aequum eniterentur;* Hist. 4, 23 *pars castrorum in collem leniter exsurgens, pars aequo adibatur;* Agric. 18 *in aequum degredi Ordovices non audebant;* cp. 35 *ut primum agmen aequo, ceteri per acclive jugum connexi velut insurgerent;* cp. 36 *stratis qui in aequo obstiterant erigere in colles aciem coepere.* 2) translate, ita quoque e vulg.

dic. consuetudine, = aequalis, justus Ann. 2, 42 *regibus aequa nedum infima insolita sunt*, cp. 82 *populum R. aequo jure complecti*; — insolentius Graeco more c. genit.: Ann. 6, 36 *posse Parthos absentium aequos, praesentibus mobiles, ad poenitentiam mutari.* 3) Notandae sunt locutiones ap. Tacitum frequentes, praeter eum ap. ejusdem aevi scriptt., apud poetas et Livium obviae in aequo, ex aequo (ἀπὸ τοῦ ἴσου, ἐξ ἴσου) Hist. 2, 20 *modum fortunae a nullis magis exigere quam quos in aequo videre* (eodem statu, aequales); Ann. 2, 44 *vis nationum, virtus ducum in aequo* (aequalis); 12, 12 *militares artes per otium ignotae, industriosque aut ignavos pax in aequo tenet*; — Germ. 36 *Tracti ruina Cheruscorum et Fosi, — adversarum rerum ex aequo socii, cum in secundis minores fuissent*; Hist. 4, 64 *sincerus et integer et servitutis oblitus populus, aut ex aequo agetis* (i. e. vestri juris eritis, liberi sicut ceteri) *aut aliis imperitabitis*; Ann. 15, 13 *pacem ex aequo* (i. e. aequis conditionibus utrique constitutis) *utilem*; Hist. 3, 9 *tentatis levi proelio animis ex aequo discessum* (cf. Ann. 1, 63 *manibus aequis abscessum*); Agric. 20 *quibus rebus multae civitates, quae in illum diem ex aequo egerant, datis obsidibus, iram posuere* i. e. quae sui juris fuerant et ideo sane libertatem defenderant. Sed argutias quaerere videtur Walchius, discrimen intercedere statuens inter hunc locum et ceteros ejusdem generis supra laudatos. Cf. Liv. 7, 30 *tunc enim, ut qui ex aequo nos venisse in amicitiam meminissemus, amici forsitan pariter ac nunc, subjecti atque obnoxii vobis minus essemus*; Plin. H. N. 6, 19 *multitudo populorum innumera et quae cum Parthis ex aequo degat*; cp. 29 *pertinent ad Scythas, cum quibus ex aequo degunt.*

AERARIUM militare Ann. 1, 78 *Centesimam rerum venalium post bella civilia institutam deprecante populo, edixit Tiberius militare aerarium eo subsidio niti.* Cf. Suet. Oct. 49 *utque perpetuo ac sine difficultate sumptus ad tuendos eos (milites) prosequendosque suppeteret, aerarium militare cum vectigalibus novis instituit.* Secundum Dionem (55, 25) vicesima quoque hereditatum et legatorum in hoc aerarium conferebatur, quod peculiaris magistratus curasse videtur Ann. 5, 8 *P. Vitellium — arguebant claustra aerarii, cui praefectus erat, et militarem pecuniam rebus novis obtulisse.* V. fiscus.

AESTIMARE v. censere.

AETERNUM adv. v. accusat.

AGERE minus usitatis signiff. apud Tacitum, cui omnino frequentissimus est h. vocis usus. 1) = vivere, degere, esse, poetico et Sallustiano more, βίον ἄγειν et ἄγειν ap. Graecos: Ann. 15, 74 *agere inter homines desinere*; 13, 32 *post Juliam interfectam — non animo nisi moesto egit*; 6, 27 *qui corruptis moribus inlustri tamen fortuna egere*; Hist. 3, 44 *quod illic secundae legioni a Claudio praepositus et bello clarus egerat*; Ann. 2, 73 *uno matrimonio agere*; Germ. 19 *septâ pudicitiâ agunt*; cp. 46 *agunt ut Germani*; Ann. 3, 19 *homines qui tum agebant*; 2, 17 *quidam agnitum a Chaucis, inter auxilia Romana agentibus, emissumque tradiderunt* (ubi simpliciter pro partic. verbi subst. sumsetis). Cf. Liv. 9, 20 *qui se sine legibus certis, sine magistratibus agere querebantur*; cp. 25 *incerta pace agere*; 23, 37 *circa muros — neglegenter agentes*; et quos e Sall. Hertel. in lex. Forcell. adtulit locos. — Vulgo cum accus. conjunctum agere exprimere solet hunc sensum, ut ap. Curt. 4, 48 *noctem metu egerunt*; ita noster quoque passim, ut Hist. 2, 2 *agere adolescentiam laetam*; Ann. 3, 32 *nobilitatem sine probro actam*. — Saepe, quod idem congruit cum vulgari loquendi genere, adverbium adjungitur, ut Hist. 1, 9 *innocentius egerunt*; 2, 27 *superbe agere*; Agric. 7 *seditiose agere*; in eo tamen haud raro recedit a ceteris, quod pro adverbio utitur adjectivo aut ablativo substantivi: Ann. 6, 40 *impunita agebat*; 13, 24 *ut incorruptior ageret*; 15, 37 *nihil flagitii reliquerat, quo corruptior ageret*; 3, 38 *Thracia discors agebat* Ann. 11, 37 *agebat superbia*; 2, 64 *primo subdola concordia egere*; 1, 68 *Germanus spe, cupidine et diversis ducum sententiis agebat*; 13, 32 *cultu lugubri — animo moesto agere*; Hist. 2, 58 *Albinus — haud spernendis viribus agebat*. (Cf. Liv. 2, 45 „*clamoribus agunt*" sed ibi agunt alio sensu sumendum, i. est q. expostulant, transigunt). 2) = personam aliquam agere, speciem alicujus rei prae se ferre, sed etiam re vera esse (ut apud nostrates etiam hoc duplici sensu dicitur eine Rolle spielen) Hist. 1, 30 *vitia, quibus solis gloriatur, evertere imperium, etiam cum amicum imperatoris ageret*; Ann. 13, 14 *demovet Pallantem cura rerum, quis a Claudio impositus velut arbitrum regni agebat*; Hist. 4, 2 *agere filium principis* (i. e. sic se gerere; cf. 3, 2 *quanto ferocius ante se egerint*) Ann. 1, 4 *ne iis quidem annis, quibus Rhodi specie secessus exsulem egerit cet.* i. e. exsul fuerit (fuit enim re vera; cf. Ann. 1, 53; Suet. Tib. 10-14; Vellej. 2, 99. 100.

103; Dio 55, 9). Cf. Liv. 45, 25 *Cato asper ingenio, tum lenem mitemque senatorem egit* (i. e. se praebuit, erat); Epit. 52 *Mummius abstinentissimum virum egit;* Vellej. 2, 124 *agere principem;* Plin. Ep. 1, 17 *agere — amicum;* Pan. 76 *consulem;* cp. 85 *amicum ex imperatore agis.* 3) Hist. 1, 2 agerent verterent *cuncta odio et terrore,* quae vera est haud dubie lectio (v. Gron. Observ. 3, 22 et contra eum Oberlin. ad h. l.; praeterea quos laudavit Hertel. in lex. Forcell. s. h. v.) abhorret sane a vulgari dicendi genere (*ferre agere; ferre et agere; ferri agique*) ideo etiam quod non proprie, sed translate usurpata est haec locutio, ut Dial. 8 *nunc principes in Caesaris amicitia agunt feruntque cuncta;* sed quis talia apud Tacitum ferre nolit? 4) Notissimum est dicendi genus res agere de senatus consultationibus opp. res proferre, ut opposita sunt actus rerum et prolatio s. dilatio rerum (cf. Suet. Oct. 32). Durius sane res omittitur Ann. 2, 35 *ob id magis agendas censebat,* unde quod vulgo legitur agendum a Beckero etiam receptum est. Sed cum libri agendas exhibeant, et res in capitis initio ac fine satis illustret ellipsin, vix est quod recedamus a prisca scriptura, cum praesertim res agere sollennis formula fuisse videatur.

AGGER vox ideo tantummodo hic attingenda, quod duplici sensu Tacitus dixit petere aggerem 1) Ann. 1, 65 *petendus agger* i. e. comportanda materia, ut Caes. B. G. 2, 20 *qui paullo longius aggeris petendi causa processerant;* B. C. 1, 42 *longius erat agger petendus.* 2) Ann. 2, 81 *petere aggerem* est adgredi aggerem, ut patet e narrationis serie, quidquid contra dicant cum Freinshemio interpretes.

AGGERARE = congerere (Ann. 1, 18 *congerunt cespites*) Ann. 1, 61 *aggerata ossa;* cp. 63 *trames vastas inter paludes aggeratur* (cf. Curt. 4, 2, 16 ed. Schmied. *ut illud spatium aggeraretur* i. e. aggere expleretur); 6, 19 *jacuit immensa strages — dispersi aut aggerati* i. e. coacervati. Ceterum poetis modo frequentata vox est, ap. Virg. etiam translata sign. „*aggerare iras;*“ sensu rustico eam usurpat Colum.; inter sequioris aevi scriptt. *aggeratus* exhibet Apulej.

AGITARE vox ap. Tacitum creberrima (cf. agere), in universum tamen vulgari sermoni accommodata, nisi quod nonnunquam insolentius cum infinitivo et interrog. particulis construitur et quibusdam locis idem valet quod degere, esse 1) = animo volvere, moliri, reputare, consultare Ann. 1, 12

agitare plus quam civilia; 15, 36 *provincias orientis, maxime Aegyptum, secretis imaginationibus agitans*; 11, 23 *cum de supplendo senatu agitaretur*; 4, 41 *extollens laudibus quietem et solitudinem, queis abesse taedia et offensiones, ac praecipua rerum maxime agitari*; Hist. 4, 59 *de supremis agitare* (de morte sponte sumenda); Ann. 11, 29 *agitavere num — depellerent*; 13, 41 *an expeditis legionibus — pergeret — agitavit*; 2, 4 *quod ludibrium ut effugere agitaverit Vonones*, in loco reddemus. 2) = e x e r c e r e (utrumque conjunctum invenis Ann. 6, 16 „*fenus exercere*" et „*agitare*") Ann. 12, 27 *agitare latrocinia*; Germ. 26 *fenus agitare*; Ann. 4, 6 *frumenta et pecuniae vectigales, cetera publicorum fructuum, societatibus equitum R. agitabantur*; 11, 18 *stationes, diurna nocturnaque munia in armis agitabantur*; 2, 36 *agitare honorem per quinquennium*; 3, 32 *agitare odium*; 1, 38 *praesidium agitantes vexillarii*; Hist. 3, 12 *a Rufino praesidium illic agitante*. 3) = e x a g i t a r e Dial. 4 *agitare et insequi poetas*; Hist. 1, 5 *miles — scelere Sabini — agitatur* (ad seditionem concitatur). Wopkens. in Obs. misc. Vol. VII, 3. p. 382 conf. Flor. 1, 8, 7 et Sall. Cat. 38. 4) = d e g e r e, a g e r e Ann. 11, 21 *vacuis porticibus secretus agitat*; 1, 50 *laeti neque procul Germani agitabant*; 4, 46 *Thracum gentes — montium editis inculti atque eo ferocius agitabant*. Cf. Sall. Hist. 3. p. 966 *nunc malis fructibus ipsa vix agitat* i. e. vitam tolerat. V. Cort. ad Sall. Cat. 2.

AGNATUS v. a d g n a t u s.

ALIAS 1) sicut apud priores saepissime, ad t e m p u s refertur, et ad futurum (opp. n u n c), et ad praeteritum (ut o l i m), et ad praesens (maxime iteratâ particulâ a l i a s — a l i a s), ut Ann. 1, 55 *Segestes parari rebellionem saepe alias et supremo convivio — aperuit*; cf. 2, 46; 12, 55; Hist. 1, 89; 3, 46. 2) ad l o c u m nusquam a Tacito relatum esse videtur, ut Cic. Att. 16, 11 *alii sunt alias*; Liv. 36, 43 *Cyclades fretis alias majoribus alias minoribus divisae*; Plin. H. N. 24, 14 *Idaeus rubus appellatus est, quoniam in Ida, non alias nascitur*; Justin. 4, 1, 8 *nusquam alias tam torrens fretum*. 3) ut apud Curtium, Quintilianum, Sueton. et maj. Plinium (vide lex. Forcell. Hertelianum) idem fere valet quod a l i o q u i n Ann. 16, 1 *ne — reges Numidarum, et alias infensi, cupidine auri ad bellum accenderentur*. Cf. Quint. 12, 10, 30 *utilis, alias supervacua littera*; Plin. 7, 31 *Platoni — Dionysius tyrannus, alias saevitiae natus, vittatam navem misit.*

4) causam exprimit insolentius Ann. 3, 73 *non alias* (non aliam ob rem) *magis sua populique R. contumelia indoluisse Caesarem ferunt, quam quod desertor et praedo hostium more ageret.* In comparationem vocavit Hand. in Tursell. Vol. 1. p. 226 Curt. 8, 1, 24 *debilitatum vulnere, quod in ea consternatione acceperat, jacuisse non alias* (non alia re) *quam simulatione mortis tutiorem.*

ALIENARE, ALIENATIO, ALIENUS e vulgari dicendi more usurpata, sed varie, nonnunquam insolentius constr. ut Ann. 2, 43 *Germanico alienatio patrui*; Hist. 2, 74 *Muciani animus nec Vespasiano alienus et in Titum pronior.* Cf. Ann. 2, 28; Hist. 4, 49; 2, 60; alienus v. in adj.

ALIMONIUM, ut ap. Varr. (alimonia, ae habent Plaut., Suet., Gell., Apulej.) Ann. 11, 16 *infectum* (*filium*) *alimonio, servitio, cultu, omnibus externis* (i. e. apud externos nutritus et educatus).

ALIOQUIN 1) i. q. ceterum, ut ap. Liv., Hor., Quint., Curt., Plin. maj. Ann. 4, 37; 13, 20. 2) i. q. praeterea, sonst noch, ut ap. Curt. et Quintil. Hist. 3, 32; 3) i. q. in universum, überhaupt, quae v. sign. maxime placuit Apulejo, sed praeter nostrum etiam Plin. min. et Quintil. Ann. 4, 37. 4) i. q. praeterea, ubi design. außerdem, ut ap. Cels. et Quintil. Ann. 4, 11; 11, 6; Hist. 2, 27. 5) i. q. alio modo, anderen Falls, sonst, Ann. 2, 38, ut ap. al. arg. aet. scriptt. Quae omnia desumpsimus ex Handii Tursell. q. vide.

ALIQUIS = alius quis, unde enata est illa vox, v. in pronomine.

ALII = ceterii, reliqui Ann. 1, 30 *aliorum discessione*; 4, 48 *alii — adpugnarent*; 5, 3 *aliis a primoribus — trepidabatur*; 6, 33 *cum alios incessus hostis clausisset; unum reliquum cet.* Cf. Liv. 2, 23 *primo se agro paterno avitoque exuisse, deinde fortunis aliis*; 7, 19 *delecti nobilissimus quisque qui Romam mitterentur*; *vulgus aliud trucidatum.* Contra *alter* pro *alio* invenitur Agric. 17 *cum Cerialis quidem alterius* (alius) *successoris curam famamque obruisset cet.* — De omissa voce alii v. in Prolegomenis de ellipsi particul.

ALTISSUMUS et OPTUMUS sola, ut videtur, ap. Tacitum hujus scripturae exempla Ann. 4, 38 „*optumos quippe mortalium altissuma cupere.*" Sallustius amantissimus est huj. formae, et Caesar quoque saepissime habet finitumus, maritumus, faciundum, gerundum.

ALTUS, ALTITUDO ap. Tacitum et ejusdem aevi scriptores saepius ad profunditatem quam ad excelsitatem referuntur 1) de excelsitate, sublimitate usurp. **altus** Dial. 14 *altior sermo*; Hist. 3, 66 *nisi forte Vespasianus altiores spiritus gerat.* (Ita omnes loquuntur; cf. insolentius dictum ap. Vell. 2, 35 *virtutem — altissime illuminare*); **altitudo** Germ. 38 *in altitudinem quandam et terrorem — ornantur Suevi.* 2) de profunditate, etiam profunda dissimulatione et taciturnitate, qua quidem signif. minus saepe ap. priores legitur, Ann. 16, 29 *altior pavor*; Hist. 2, 91 *altiorem iracundiam ejus verebantur; 4, 14 occultato interim altiore consilio*; Ann. 13, 16 *altior intellectus.* (Ita haud raro quidem veteres habent „*altus somnus, animus; alta mens; altum consilium; alte s. ex alto petere s. repetere; altius perspicere*" sed haec et horum similia sola fere sunt et ap. poetas magis obvia. V. tamen exempla ap. Forcell. ab Hertelio auctum. Cf. quae huc maxime pertinent Quintil. 6 prooem. §. 7 *placida et alta mens: ne, si irascamur — in morositatem inutilem et odiosam incidamus*; Vopisc. Numerian. 14 ed. Bip. II. p. 249 *ut erat altus risit et tacuit*). **Adverb.** Hist. 4, 12 *id bellum quibus causis ortum — altius expediam* (ita Virgil. Cf. 2, 27 *seditio exarserat, quam altiore initio — repetam*); Dial. 12 *introspicere altius; Ann. 4, 54 Sejanus moerentem altius perculit; 1, 32 altius conjectantibus; 2, 82 altius animis moerebant;* cp. 36 *sententiam altius penetrare; 3, 28 sed altius penetrabant* (delatores); 16, 21 *eaque offensio altius penetrabat; 4, 41 altius metuens.* **Subst.** Dial. 21 *in quibus nitorem et altitudinem horum temporum adgnoscimus;* cp. 31 *altitudo Platonis.* — Ann. 3, 44 Tiberio tribuitur „*altitudo animi*" i. e. profunda et taciturna dissimulatio; ita Hist. 4, 86 *Domitianus — simplicitatis ac modestiae imagine in altitudinem conditus.* Cf. Sall. Jug. 95, 3 de Sulla „*ad simulanda negotia altitudo ingenii incredibilis;*" Cic. Att. 4, 6 et 5, 10 *βαθύτης.* Ad hanc sign. proxime accedit ea, qua *altitudo* designat animi tranquillitatem et constantiam: Cic. Off. 1, 25, 88 *in liberis vero populis et in juris aequabilitate exercenda etiam est facilitas et altitudo animi quae dicitur;* Orat. Partit. c. 27 *altitudo animi in capiendis incommodis et maxime injuriis.*

ALVEUS v. **uterus**.

AMBEDERE (Plaut., Virg. *ambesus*) Ann. 15, 5 *vis locustarum ambederat quidquid herbidum.*

AMBIGERE 1) sign. peculiari Ann. 6, 15 *deviis plerumque itineribus ambigens patriam et declinans*, ubi idem est quod circumire, cujus similem sign. et ad rem et translate animi ambiguitatem spectantem v. suo loco. Cf. cp. 1 *ambiguus an urbem intraret*. V. etiam ambitio. 2) translate e vulgari more, nisi quod Tacitus saepius utitur h. v. et crebro variat constr. Ann. 1, 16 *quaenam post Augustum militiae conditio ambigentes*; 4, 55 *ambigentes quanam in civitate templum statueretur*; 6, 28 *adspici aliquando in Aegypto eam volucrem non ambigitur*; 11, 4 *illud haud ambigitur*; 12, 65 *ne quis ambigat — cuncta regno viliora habere*; 16, 20 *ambigenti Neroni, quonam modo — notescerent*; Hist. 1, 24 *de parte finium cum vicino ambigenti*. Ita cum accus. et de particula Liv. 35, 32; 8, 37; 40, 15.

AMBIGUUS cum Genit. apud solum fortasse Tacitum, ut Hist. 3, 43 *futuri ambiguus* (v. plura exempla s. Genit.) et in reliquis etiam constr. saepius multo ac magis varie quam ap. ceteros omnes 1) = inter aliquas res medius ideoque incertus, et cujus dubius est eventus, cujus dubia fides: Ann. 2, 24 *ambiguas hominum et belluarum formas*; cp. 40 *ambiguus pudoris ac metus*; cp. 88 *proeliis ambiguus* i. e. cujus ambigua s. anceps est in proeliis fortuna; 12, 40 *proelium cujus initio ambiguo finis laetior fuit*; 6, 1 *ambiguus an urbem intraret* (v. ambigere); 11, 10 *ambiguos quis — in regnum acciperetur*; cp. 8 *discordare Parthos, summaque imperii ambigua*; Hist. 3, 60 *vires ambiguae — vires acres*; Ann. 13, 12 *penitus inrepserat* (in gratiam Neronis) *per luxum et ambigua secreta* i. e. ea quae ad res ambiguas et dubii eventus pertinebant. — 12, 16 *ambiguos popularium animos*; Hist. 2, 45 *ambigua voluntas* (fides); cp. 39 *tribuni centurionesque ambigui* sc. erant; Ann. 13, 34 *Armenii ambigua fide utraque arma invitabant*; 2, 56 *ambigua gens ea (Armenii) antiquitus hominum ingeniis et situ terrarum*; 14, 38 *quodque nationum ambiguum aut adversum fuerat igni atque ferro vastatur*. Similiter *dubius* usurpatur Ann. 3, 44 *dubiae Hispaniae*; Germ. 6 *corpora suorum etiam in dubiis proeliis referunt*, ubi vid. Hess. 2) simpliciter de rebus adversis Ann. 1, 64 *secundarum ambiguarumque rerum sciens*; 11, 15 *ne ritus sacrorum inter ambigua culti per prospera oblitterarentur*; 12, 33 *quem multa ambigua, multa prospera extulerant*; cp. 38 *prosperis ad id rebus ejus, mox ambiguis*; Agric. 5 *non sane alias exercitatior magisque in ambiguo*

Britannia fuit. — Adverb. Hist. 3, 35 *ne manente adhuc civili bello ambigue agerent;* Ann. 2, 21 *equites ambigue certavere;* Hist. 4, 66 *pugnabatur in angustiis ambigue;* 5, 11 *eques — ambigue certavit.*

AMBIRE 1) ≐ circuire circumdare Ann. 1, 68 *ut vallum armis ambirent; 4, 5 quantum ingenti terrarum sinu ambitur;* Germ. 1 *Cetera Oceanus ambit;* Ann. 15, 43 *propriis quaeque (aedificia) muris ambirentur.* — Similia exhibent poetae, Curtius, Vellejus, Sueton., Plin. uterque, sed Cicero etiam. Cf. Att. 4, 3 *Clodius — vicatim ambire, servis aperte spem libertatis ostendere;* de Univ. 9 *ut terram lunae cursus proxime ambiret.* Vide Hess. ad Germ. 1. 2) ≐ honores appetere, sed etiam, ut ap. Virgil., matrimonium, gratiam: Germ. 18 *qui non libidine, sed ob nobilitatem pluribus nuptiis ambiuntur;* Hist. 4, 51 *aderant legati regis Vologesi XV Parthorum equitum millia offerentes. Magnificum laetumque tantis sociorum auxiliis ambiri neque indigere.* — Hinc simpliciter est orare cum inf. conj. Ann. 2, 43 *petitione honorum abstinuit, donec ultro ambiretur delatum ab Augusto consulatum accipere* (v. infin.; cf. Stat. silv. 1, 252 *hunc — ambissent* (i. e. cupissent) *laudare diem.*

AMBITIO reip. temporibus erat honestum gratiae studium; ita ap. Tacit. etiam quibusdam locis, ut Ann. 12, 24 *regum in eo (pomoerio augendo) ambitio vel gloria varie vulgata;* 15, 16 *decesserat certamen virtutis et ambitio gloriae, felicium hominum adfectus.* Sed Ciceronis jam aetate in malam partem nonnunquam ea vox usurpabatur. Cf. Cic. Off. 1, 26 *miserrima est ambitio honorumque contentio.* Declam. in Sall. 2 *non hanc dico popularem ambitionem, cujus me principem confiteor, sed illam perniciosam contra leges* V. Cort. ad Sall. Cat. 4 et 11. et Drakenb. ad Liv. 3, 47, 4. atque eam vim apud Tacitum et ejusdem aevi scriptores h. v. plerumque obtinet, unde Quint. 1, 2, 22 *ambitionem* simpliciter *vitium* appellat (V. Spald. ad h. l.): Hist. 4, 1 *ambitionem* (i. e. libidinem adsentandi) *scriptoris facile adverseris, obtrectatio et livor pronis auribus accipiuntur;* Agric. 1, 1 *apud priores — celeberrimus quisque ingenio ad prodendam virtutis memoriam sine gratia aut ambitione bonae tantum conscientiae pretio ducebatur;* Ann. 6, 46 *illi non perinde curae gratia praesentium quam in posteros ambitio;* 15, 21 *ut metu repetundarum infracta avaritia est, ita vetita gratiarum actione ambitio cohibebitur;* Hist. 1, 88 *ambitione (ostenta-*

tione) stolida conspicua arma — mercari; Ann. 3, 69 *neque expedire ut ambitione aliena* (aliorum) *trahatur* (*princeps*); 16, 22 *crimini dabatur amicitia Plauti et ambitio conciliandae provinciae ad spes novas.* — Etiam de comitatu et pompa ad honorem ac favorem captandum, propria igitur vocis significatione, cum illa, cujus modo mentionem fecimus, arctius conjuncta (v. ambigere): Germ. 27 *funerum nulla ambitio;* Agric. 40 *uno aut altero amicorum comitatus: adeo ut plerique, quibus magnos viros per ambitionem aestimare mos est, viso adspectoque Agricola quaererent famam, pauci interpretarentur.* Cf. praeter locos a Forcellin. e Nepote, Sall., Gellio allatos, Plin. Paneg. 83, 8 quem locum etiam ab Hertelio additum video, *an cum videat, quam te nullus terror, nulla comitetur ambitio, non et ipsa cum silentio incedat?*

AMBITIOSUS non recedit quidem a vulgari usu, sed latius patet ap. Tacitum: Agric. 30 *si locuples hostis est, avari, si pauper, ambitiosi* (i. e. superbia et arrogantia gloriam honoremque captant); Ann. 3, 33 *non imbecillum tantum et imparem laboribus sexum, sed, si licentia adsit, saevum, ambitiosum, potestatis avidum* (utrumque hunc locum Forcellinus perperam ad aliam vocis significationem trahit, qua, Gellio auctore, de eo usurpatur qui ambitur; neque etiam ea quae ex Ovidio et Justino attulit, alio quam vulgari sensu capienda sunt; nam ap. Ovidium *turba ambitiosa* dicuntur dii, quia se coli volunt, (eademque ratio est loci ab Hertelio additi ex eod. poeta), apud Justinum *scortum ambitiosae pulchritudinis* non est ejus pulchrit., quae ab omnibus ambiebatur, sed quae omnium studium libidinis excitandae causa captabat, coquettirende Schönheit); Hist. 2, 12 *Suedius Clemens ambitioso imperio regebat*; cp. 57 *foedum mancipium et malis artibus ambitiosum*; cp. 92 *abditis pecuniis per occultos aut ambitiosos sinus* (v. sinus); 1, 12 *prout quis amicus vel cliens hunc vel illum ambitiosis rumoribus destinabant* (i. e. quibus gratiam patroni captaret); cp. 83 *seditionibus et ambitioso imperio laeti* (i. e. aurae popularis studioso); Agric. 42 *in nullum reipublicae usum ambitiosa morte inclaruerunt* (i. e. quam ipsi sibi consciverunt, ut fortitudinis et constantiae apud posteros gloria fruerentur); Hist. 2, 49 *ambitiosis id precibus* (i. e. enixe) *petierat, ne amputaretur caput ludibrio futurum.* V. Ernest. ad h. l. — Similis ratio est adverbii, quod et ipsum saepius ap. nostrum quam ap. alios legitur, nisi forte Ciceronem excipere velis.

AMBITUS praeter sign. propr., qua idem est quod circuitus, eodem fere quo ambitio usurpatur modo (sed plerumque ipsum ambiendi actum, non animi affectum indicat) nec minus late patet ap. Tacitum: Ann. 4, 2 *neque senatorio ambitu abstinebat clientes suos honoribus aut provinciis ornandi;* 12, 42 *distrahi cohortes ambitu duorum;* cp. 59 *Tarquitius — curia exactus est: quod patres odio delatoris contra ambitum Agrippinae pervicere;* 13, 6 *si pecuniosum et gratia subnixum per ambitum deligeret;* Hist. 1, 20 *legati quoque — foedâ inconstantiâ nominati, excusati, substituti, ambitu remanendi aut eundi, ut quemque metus vel spes impulerat;* Ann. 13, 29 *ambitu suffragiorum suspecto sorte ducebantur ex numero praetorum qui praeessent;* 1, 7 *ut electus potius videretur quam per uxorium ambitum et senili adoptione inrepsisse;* 12, 1 *nec minore ambitu feminae exarserant* (Claudio ut nuberent); 14, 28 *quod acriore ambitu exarserant comitia;* 1, 2 *invalido legum auxilio, quae vi, ambitu — turbabantur.*

AMBURERE = comburere, ut ap. Plin. maj., Hist. 5, 12 *magna vis frumenti ambusta.* Propria et transl. sign. etiam ap. priores haud rara vox.

AMICITIAE v. abstracta.

AMITA v. gener.

AMITTERE = omittere Ann. 2, 71 *juravere — spiritum ante quam ultionem amissuros;* 13, 46 *nec posse* (se) *matrimonium amittere;* 14, 26 *abire procul et spem belli amittere;* Dial. 5 *amittit studium* (J. Beckerus cum Rhenano recepit *omitt.* causa idonea nulla cogente); cf. Plaut. Poen. 1, 2, 191 *tibi hanc amittam noxiam unam* Ter. Eun. 3, 5, 58 *an ego occasionem — tam insperatam amitterem?* Ita Liv. quoque *occasionem amittere* dicit, et similiter alii; vide Drakenb. ad Liv. 7, 34, 9.

AMOENUS (AMOENITAS) Varrone auctore i. q. amunis, Doederl. in Synon. III p. 36 melius explicante: „animo laxando idoneus" per Syncop. ex animoenus, ut Camoenae e Canimoenae, in universum omnia ea exprimit quae otium oblectant 1) de regionibus, hortis, fluminibus et ejusdem generis rebus, ut apud priores, sed saepius: Ann. 3, 7 *vagus interim per amoena Asiae atque Achajae adroganti et subdola mora;* 14, 31 *dum amoenitati* (coloniae) *prius quam usui consulitur;* 15, 40 *porticus amoenitati dicatae* (i. e. otio oblectando); Hist. 3, 76 *noctu dieque fluxi et amoena littorum personantes;* cp. 30 *amoenissimis extra*

urbem aedificiis; 1, 67 *locus amoeno salubrium aquarum usu frequens.* — Sed hic locus ad eos jam referendus est, quibus 2) a vulgari usu recedit amoenitatis vox, dum ad vitam, artes, studia, animum, ingenium ipsosque homines spectat: Ann. 15, 55 *vitam amoenam — struxisse;* 5, 2 *nihil mutata amoenitate vitae;* 14, 18 *nihil amoenum et molle adfluentiâ putat, nisi quod ei Petronius adprobavisset* (eadem fere exprimit Liv. 4, 44 *cultu amoeniore*); 2, 64 *amoenum et mite ingenium* (opponitur ingenio atroci, avido et societatis impatienti); 13, 3 *fuit illi viro (Senecae) ingenium amoenum et temporis ejus auribus accommodatum.* Cf. Quintil. 5, 8, 1; 12, 10, 60 *amoeniores loci* (sensu rhetorico); Plin. maj. praefat. 6 *studiorum amoenitates quaerere;* 35, 10 *pictura parietum amoenissima;* Sen. de ira 3, 9 *amoenae artes;* Aurel. Vict. Epit. 1 *quod est laeti vel amoeni animi, oblectabatur omni genere spectaculorum;* Gell. 7, 8 *puer delphino amoenus;* 19, 11 *amoeni homines* (Gellius ita saepissime); et, vix credas, Cicero etiam in fragm. ap. Augustinum ed. Bip. T. XII p. 314 *homini ditissimo, amoenissimo, delicatissimo,* nisi forte haec ex suo ingenio prompsit Augustinus. Cf. tamen notissimum Plauti ὑποκοριστικόν mea amoenitas = mea vita, meus ocellus, et similia ap. Doederl. l. l. p. 37, qui in universum recte existimat, Tacitum in malam partem adhibere h. v.

AMOR insolentius conjunct. Ann. 2, 83 *Honores, ut quis amore in Germanicum aut ingenio validus, reperti decretique,* non est σύλληψις proprie, ut vult Ernest. Nam si non amore validus, at simillima saltem apud Tacitum aliosque reperiuntur. Cf. Ann. 3, 55 *aemulandi amor validior;* cp. 10 *Tiberius spernendis rumoribus validus;* 12, 51 *violentia amoris;* Cic. Arch. 11; Hor. Ep. 11, 2; Virg. Aen. 1, 721 ubi „*acer, gravis, vivus amor*" ejusdem fere sunt generis. — De loco Ann. 14, 52 *postquam Neroni amor carminum venisset,* (ubi *amor* poetico paene more *cupidinem* designat, ut est Virgilianum illud „*si tantus amor casus cognoscere nostros*)" v. s. venire.

AMOVERE ap. Tacitum, et ap. eum quidem solum, idem valet quod relegare Ann. 4, 31 *P. Suilium — amovendum in insulam censuit;* cp. 21 *ut judicio jurati senatus Cretam amoveretur;* (cf. 13, 9 *Vologeses — ut aemulationis suspectos per nomen obsidum amoveret, tradit nobilissimos ex familia Arsacidarum*); 1, 53 *amotus Cercinam — exsilium toleravit;*

2, 58 *Vonones Pompejopolim — amotus est;* 14, 57 *Plautum in Asiam, Sullam in Galliam — nuper amotos;* 16, 9 *Silanus — Ostiam amotus.* Cf. Terentianum „*te hinc amove*" i. e. recede. Insolentius etiam amotus idem valet quod absens Ann. 3, 31 *ut amoto patre Drusus munia consulatus solus impleret.*

AMPLIARE apud priores est forensis vox = procrastinare; Taciti aevo praeeunte Horatio idem valet quod augere: Hist. 2, 78 *prolatare agros — ampliare servitia;* cf. Hor. Sat. 1, 4, 32 *ne quid summa deperdat aut ampliet ut rem.*

AN v. sive.

ANADIPLOSIS v. in Proleg. de brevitate stili Tacitei.

ANNALES apud priores, ut Nep. Hannib. 13, etiam singulari numero: Ann. 2, 88 *Graecorum annales;* 3, 65 *praecipuum munus annalium reor, ne virtutes sileantur cet.;* 4, 34 *Cremutii Cordi annales;* cp. 43 *quod — Lacedaemonii firmabant annalium memoriâ vatumque carminibus;* cp. 67 *quis additus miles nuntios, introitus, aperta, secreta, velut in annales referebat:* — De Taciti annalibus v. Proleg.

ANNONA (propr. anni proventus) ut apud priores significat 1) frumentum, et anni proventum et in annum sufficientem e. c. Hist. 1, 11 (*Aegyptus*) *annonae fecunda provincia,* 2) pretium hujus frumenti Ann. 4, 6 *annonae acris plebem fatigat,* unde vilitas et caritas, et ap. Tacit. etiam saevitia annonae dicitur (v. saevitia) 3) nonnunquam absolute et praegnanti sensu tanquam vox media aut copiam et vilitatem aut inopiam et caritatem frumenti designat. Ann. 1, 2 *populum annonâ — pellexit* i. e. imminuto frumenti pretio, et largitionibus. Cf. Suet. Oct. 40. 41. Cic. Dom. 6 *commutatam annonam dicebant.* — Agric. 31 rectius legitur „*bona fortunasque in tributum egerunt,* annos *in frumentum*" (v. annus).

ANNUS minus vulgari significatione, qua poetico more (ap. Juvenal., Stat., Silium; Lucan., Petron. v. Ruhnk. praef. ad Schell. lex.) proventum anni designat, legitur Germ. 14 *nec arare terram aut exspectare annum tam facile persuaseris quam vocare hostes et vulnera mereri;* Agric. 31 *bona fortunasque in tributum egerunt, annos in frumentum.* Quae optime Walch. in Emendatt. Livv. p. 107 ita explicat „bona fortunasque exhauriunt tributo imposito, proventum annorum frumento imperato" nam frumentum ita saepius praegnanti sensuu surpat Tacitus, ut Ann. 4, 6 *frumenta et pecuniae vectigales — societatibus equitum R. agitabantur* (Getreidelieferungen); cf. etiam Hess. ad Germ. 14.

De poetico dicendi genere *annus accepit, habuit, attulit* et ejus generis plura v. in Proleg.

ANTE cum verbis ap. Tacitum saepissime compositum, ut sequentia docent. de praemisso ante particulae accusativo temporis cf. colloc. verbb. „*Tua ante omnes experientia*“ et similia v. in Proleg. ubi de Graecismis agitur. „*Ante hoc* dixerunt Lucan. 6, 116 et Tacitus Germ. 13, 3 *ante hoc domus pars videntur, mox reipublicae*“ Hand. in Tursell. Vol. I p. 368.

ANTECAPERE ut singulis etiam ap. Sallustium, Liv. et alios quosdam locis Hist. 4, 66 *fretus loco, quia pontem Mosae fluminis anteceperat;* Ann. 15, 2 *Medos Pacorus anteceperat;* hoc tamen loco ut aliis quibusdam, Livii maxime, divisim nonnulli exhibent ante capere.

ANTEFERRE 1) sign. propria ut ap. Virgil. „*anteferre gradum*“ Ann. 1, 8 *ut legum latarum tituli, victarum ab eo gentium vocabula anteferrentur;* 3, 71 *viginti clarissimarum familiarum imagines antelatae sunt.* 2) translate = praeferre, ut ap. Cic. haud raro, Agric. 21 *ingenia Britannorum studiis Gallorum anteferre.*

ANTEFIXUS (Liv., Vitruv.) Ann. 1, 61 *truncis arborum antefixa ora.*

ANTEHABERE ap. solum Tacitum Ann. 1, 58 *quieta turbidis antehabeo;* 4, 11 *ne divulgata atque incredibilia — veris — antehabeant.*

ANTEIRE creberrima ap. Tacit. vox, cujus tamen maximam partem cum vulg. sermone congruit usus 1) sign. propria (Cic., alii) Ann. 1, 64 *donec saucii — anteirent;* 4, 71 *avebat animus anteire;* 3, 69 *si anteissent delicta, poenae sequerentur.* 2) = antevertere, praevenire (Terent. Liviumque addit Hertel.) Ann. 6, 29 *damnationem anteit;* 15, 38 *incendium — anteiit remedia velocitate mali;* 5, 6 *antibo periculum;* cp. 10 *quo vera seu falsa anteiret;* Hist. 2, 101 *ne ab aliis apud Vitellium anteiretur* (ita pass. Cic. etiam utitur). 3) = superare, superiorem locum tenere (Cic.) Hist. 4, 13 *Julius Paullus et Claudius Civilis, regia stirpe, multo ceteros anteibant;* Ann. 2, 43 *claritudine materni generis anteibat;* 12, 6 *claritudine generis anteiret;* 4, 40 *te — longe antisse patris mei amicitias;* 14, 11 *Neronis immanitas omnium questus anteibat;* 15, 50 *in animo principis anteibat;* 3, 1 *comitatum Agrippinae longo moerore fessum obvii et recentes in dolore anteibant.* — Absolute ap. solum

Tacitum posita esse videtur vox, hac quidem significatione. 4) non observatos, migratos fines rei peculiari significatione indicat Ann. 15, 18 *qui gravitate sumptuum justos reditus anteisscnt.* 5) Taciti proprio sensu adhibetur etiam Ann. 5, 3 *neque Sejanus audebat auctoritati parentis anteire* i. e. obviam ire, se opponere. — Apud solum Tacitum leguntur: antibo, antisse (similiter contraxit Ovid. anteat).

ANTEPONERE 1) sign. propria, ut similiter de cibis alicui adpositis Plautus: Ann. 1, 50 *non antepositis vigiliis*; 12, 56 *antepositis propugnaculis;* 15, 32 *Equitum Romanorum locos sedilibus plebis anteposuit apud circum.* 2) translate = praeferre, ut ap. Cic., Nepot., alios Ann. 1, 58 *proditores etiam iis quos anteponunt invisi sunt;* 12, 69 *antepositus filius privigno;* cp. 25 *Domitium filio anteponit.*

ANTEVENIRE sicut ap. Plaut. et Sallustium 1) sign. propria Ann. 1, 63 *onustum sarcinis militem cum antevenisset* 2) transl. = praecellere Ann. 4, 18 *ubi multum antevenere (beneficia) pro gratia odium redditur.*

ANTEVERTERE (ap. Cic., Caes., Terent, Plaut. saepius) = praevenire Ann. 13, 30 *damnationem antevertit.*

ANTIQUARIUS i. e. antiquitatis, praecipue in verbis studiosus Dial. 21 *nec quemquam adeo antiquarium puto, ut Coelium ex ea parte laudet qua antiquus est.* — Ita Suet. Oct. 86 *Cacozelos et antiquarios, ut diverso genere vitiosos, pari fastidio sprevit.*

ANTIQUITAS v. abstracta.

ANTIQUITUS ap. Tacit. saepissime, haud raro ap. Livium et Caes., minus saepe ap. ceteros legitur. Ann. 4, 5 *praetoriae cohortes Etruria ferme Umbriaque delectae aut vetere Latio et coloniis antiquitus Romanis;* cp. 65 *montem eum antiquitus Querquetulanum cognomento fuisse;* 11, 5 *lex qua cavetur antiquitus cet;* cp. 11 *conlegio quindecimvirum antiquitus ea cura;* 12, 42 *qui mos sacerdotibus — antiquitus concessus;* 15, 33 *antiquitus sacras coronas adeptus*; Hist. 1, 18 *observatum id antiquitus;* 2, 91 *antiquitus infausto die;* 3, 71 *erant antiquitus porticus in latere clivi;* 4, 8 *cur antiquitus instituta exolescant.* — Cf. Liv. 9, 29. 30; 22, 61; 32, 34; 34, 27; 39, 25; 40, 45; Caes. B. C. 1, 34; 2, 2. 22; 3, 33; B. G. 2, 4. 17; 6, 4. 11. 12; 7, 32; Nepos. Att. 13; — Plin. Ep. 8, 14; Pan. 31. 82; Plin. H. N. 4, 11; 16, 4; Quintil. 1, 10, 12. 18. 30; 12, 2, 29.

ANTIQUUS v. vetus.

ANTISTARE (antestare) ut singulis locis ap. Cic., Nep., Lucret., Gell., Ann. 2, 30 *ut locis, ordinibus, dignationibus antistent.*

APERIRE transl. = pervium, vacuum facere, notum facere, explicare. Passow. ad Germ. 1 p. 85 bene explicat hunc usum „Frequentatur Livio. Burm. ad Lucan. 1, 465 et Burm. Sec. ad Anthol. Lat. 2, 88 T. 1 p. 233 sq. Rarior hic verbi ἀνοιγνύναι usus apud Graecos: Soph. Oed. Col. 515 μή, πρὸς ξενίας, ἀνοίξῃς, τᾶς σᾶς. Schol. μὴ ἀναπτύξῃς μου τὰ ἀναιδῆ ἔργα. Eurip. Jon. 1560 ἀνῴχθη πρᾶγμα μηνυθὲν τόδε et plenius Med. 658 καθαρὰς ἀνοίξαντο κλῇδα φρενῶν." Saepius etiam quam Livius usurpat eam vocem Tacitus hoc sensu (rarius Cic. aliique) Ann. 2, 70 *si mors Germanici Syriam aperuisset;* 4, 50 *ne — casum* (occasionem) *insidiantibus aperirent;* 11, 34 *instabat — Narcissus aperire ambages et veri copiam facere;* Hist. 2, 71 *ut Valenti et Caecinae vacuos honoris menses aperiret;* cp. 78 *has ambages et statim exceperat fama et tunc aperiebat;* 4, 29 *sic exhausta nocte, novam aciem dies aperuit;* cp. 64 *omnes terras fortibus viris natura aperuit;* Germ. 1 *nuper cognitis quibusdam gentibus ac regibus, quos bellum aperuit;* Agirc. 22 *tertius expeditionum annus novas gentes aperuit;* cp. 38 *proximus dies faciem victoriae latius aperuit.* Vide indicem ad Drakenb. Liv. s. hac v.

APERTUS, in aperto esse v. s. v. in.

APISCI = adipisci v. Syncope.

APUD praeter vulg. usum, cui etiam adnumerandus est locus Hist. 2, 51 *ut legatione apud Caecinam et Valentem fungeretur,* i. e. legatus Caecinae adjunctus esse vellet, ut bene explicat Hand. in Tursel. Vol. I p. 407 collato Cic. pr. Sext. 4, 9. 1) = in de loco (v. Walch. Emendd. Livv. p. 25) ut Terent. Andr. 1, 5, 20 *apud forum* (Soph. Trach. 371 πρὸς μέσῃ ἀγορᾷ cf. 423 ἐν μέσῃ ἀγορᾷ). Apud Tacitum, qui multus est in hoc usu, inde fortasse explicari potest haec praepositionis vis, quod saepe populorum nominibus utitur pro terris. — Ann. 4, 18 *apud Germaniam;* 1, 34 et Hist. 1, 49 *apud Germanias;* Ann. 16, 15 *apud Britanniam;* 13, 8 *ut — apud provinciam Syriam et legatum ejus — remaneret;* 3, 12 *apud Orientem;* cp. 71 *donum apud Antium statuitur;* 4, 13 *apud Asiam — apud Achajam;* cp. 14 *apud cunctas insulas et urbes;* 6, 32 *apud Syriam;* cp. 20 *apud Rhodum otium habuit;* cp. 11 *apud Romam et Italiam;* (4, 62 „coepto apud

Fidenam

Fidenam amphitheatro" huc non pertinet, cum ex narrationis serie pateat, in vicinitate urbis exstructum fuisse amphith.) 1, 5 *neque satis compertum est, spirantem adhuc Augustum apud urbem Nolam an exanimem repererit* (cf. cp. 9 *Nolae;* Suet. Oct. 98 *Nolae succubuit*); 3, 48 *ortus apud municipium;* cp. 59 *auspicia — gentile apud solum inciperet;* cp. 72 *effigies apud theatrum Pompeji locaretur;* 4, 43 *aedes Veneris montem apud Erycum;* cp. 64 *statuam — majores apud aedem matris deum consecravisse;* 16, 6 *laudavit ipse apud rostra* (pro rostris) *formam ejus;* 15, 74 *ipse eum pugionem apud Capitolium sacravit;* cp. 32 *apud circum;* 11, 8 *Bactrianos apud campos castra contulit.* — Similia sunt Ann. 11, 27 *sacrificasse apud deos* i. e. diis, proprie in templis deorum; 13, 22 *validiore apud libidines principis Paride.* 2) = sub, de tempore quo aliquis vixit Hist. 1, 73 *Galvia — apud Galbam — illaesa;* Ann. 2, 33 *aliam apud Fabricios, aliam apud Scipiones pecuniam.* Cf. Terent. Eun. 2, 2, 15 *olim isti fuit generi quondam quaestus apud saeclum prius.* 3) = a de personis, vel opinionem potius sententiamque earum exprimit. Ann. 4, 72 *id aliis quoque nationibus arduum, apud Germanos difficilius tolerabatur;* 1, 9 *apud prudentes vita ejus varie extollebatur arguebaturve;* 12, 69 *nec dubitatum est apud provincias* Agric. 22 *apud quosdam acerbior in conviciis narrabatur.* 4) proprium Taciti est etiam „*apud aures alicujus*" Hist. 1, 26 *apud Galbae aures;* Ann. 4, 29 *apud aures superbas;* Agric. 44 *apud nostras aures ominabatur.* Sed similia sunt *apud milites concionari, apud judicem accusare,* et alia multa, quae congessit Hand. l. l. — De praep. casui suo postposita v. Collocatio verborum.

ARCANUS, ut singulis locis apud Cic., Liv., alios, saepius ap. poetas, qui iidem cum Tacito saepissime arcanum substantive usurpant. Ann. 12, 47 *id foedus arcanum habetur, quasi mutuo cruore sacratum;* 2, 54 *haustâ fontis arcani aquâ;* Germ. 40 *arcanus hinc terror sanctaque ignorantia.* — Ann. 6, 21 *ne index arcani exsisteret;* 2, 36 *arcana imperii tutari;* cp. 59 *inter alia dominationis arcana;* Hist. 1, 4 *evulgato imperii arcano;* Dial. 2 *ut — arcana semotae dictionis penitus exciperem.* — Cf. de subst. apud Liv. 24, 24; 39, 13; 40, 21. 23; 41, 24; apud Curtium 4, 25; 6, 37; apud Plin. Pan. 83.

ARCESSERE c. genit. v. sub hoc casu.

ARCTUS v. artus.

ARDESCERE poetica vox, praeter Tacit. ab aliis argenteae aet. scriptoribus usurpata; priores habent exardescere et ardere, cujus etiam ap. Tacit. frequens est usus. Ann. 3, 54 *aeger et flagrans animus haud levioribus remediis restinguendus est quam libidinibus ardescit*; cp. 17 *matris preces obtendens, in quam optimi cujusque secreti questus magis ardescebant*; 11, 25 *ut deinde ardesceret in nuptias incestas*; 16, 29 *cum per haec — ut erat torvus et minax, voce, vultu, oculis ardesceret*; (Hist. 2, 66 *proelium atrox arsisset*, i. e. exarsisset); Hist. 5, 18 *ardescente pugna*. — Ann. 15, 54 *pugionem — vetustate obtusum increpans, asperari saxo et in mucronem ardescere jussit*. Cf. Lucan. 7, 139 *cotibus asper Exarsit mucro*. V. flagrans.

ARDUUS 1) proprie e vulg. consuet. Ann. 2, 80 *colle arduo et derupto*; 11, 9 *castellorum ardua*; 12, 33 *montibus arduis*; Hist. 3, 30 *ardua urbis moenia*; 5, 11 *Hierosolyma — urbs ardua situ*. 2) transl. δυσχερὲς, χαλεπόν, saepius poetis et Tacito quam Ciceroni et aliis ejus aet. scriptt. frequentatum. Ann. 1, 11 *quam arduum, quam subjectum fortunae regendi cuncta onus*; 4, 7 *primas dominandi spes in arduo*; 12, 15 *nec fuit in arduo societas* (v. in); Hist. 1, 85 *arduus rerum omnium modus, ne contumax silentium, ne suspecta libertas*; 3, 26 *incipere oppugnationem fesso — exercitu arduum*; 2, 76 *aut promptum effectu, aut certe non arduum*; Ann. 4, 46 *bellum arduum*; 12, 3 *nihil arduum videbatur in animo principis*; 14, 3 *ministros tentare arduum videbatur*. Cf. Sall. Cat. 3 *imprimis arduum videtur res gestas scribere*; Gell. 4, 15 arduum *Sallustius non pro* difficili *tantum, sed pro eo quoque ponit, quod Graeci δυσχερὲς aut χαλεπὸν appellant, quod est cum difficile tum molestum quoque et incommodum et intractabile*. V. Doederl. Synon. II p. 104 sq.

ARMA insolentius 1) pro bello, ut ap. Cic., aliosque nonnullis locis (adde a Forcell. congestis Plin. H. N. 19, 7 *ante Poenorum arma*, et cf. Drakenb. ad Liv. 42, 8, 8). Ann. 1, 9 *ad arma, civilia actum* (*Augustum*); cp. 49 *diversa omnium quae umquam* accidere (quam juncturam nullibi repereris praeter Tacit.) *civilium armorum facies*; 13, 46 *Lusitaniae praeficitur, ubi usque ad civilia arma — integre sancteque egit*; 12, 46 *ne dubitaret armis incruentas conditiones malle*; 4, 46 *arma incipere*; cp. 25 *finis armis impositus*; 15, 6 *dilata arma*; cp. 74 *post arma Julii Vindicis*; 6, 23 *si arma ab Sejano tentarentur*; Hist. 4, 32 *ut absisteret bello neve ex-*

terna armis falsis velaret; 2, 74 *bellum — armaque — circumspectabat;* 3, 9 *victa arma tractare;* 2, 1 *aderant qui arma Vitellii bellumque adfirmarent;* cp. 6 *olim validissima inter se civium arma in Italia Galliave viribus occidentis coepta;* cp. 11 *per civilia arma* i. e. temporibus civil. bellorum; 4, 61 *post coepta adversus Romanos arma;* Ann. 1, 27 *causa discordiae et initium armorum* (i. e. seditionis). — Ita bellum etiam pro armis positum Hist. 2, 38 *nedum exercitus sponte posituri bellum fuerint.* 2) pro vi armorum, exercitu, quo ex supra allatis jam trahi possunt loci quidam; cf. praeter eos Ann. 1, 1 *arma in Augustum cessere;* cp. 2 *nulla jam publica arma* (i. e. reip. exercitus); v. Cic. pro dom. 30 *quamdiu illa Sullani temporis arma valuerunt;* Liv. 26, 25 *Romana — arma ingruere.* 3) pro armatis, militibus Ann. 1, 68 *vallum armis ambirent;* cp. 7 *excubiae, arma, cetera aulae* (cf. Hist. 4, 11 *stipatus armatis*); Hist. 2, 32 *Hispanias armis non ita redundare.*

ARROGANTIA v. adrog.

ARS 1) cum priorum vulgari usu consentiunt Ann. 12, 12 *militares artes per otium ignotae;* Agric. 39 *studia fori et civilium artium decus;* et sic plura. 2) saepius multo poetarum more a Livio ac Sallustio nonnunquam observato spectat ad ingenii facultates, ad mores et agendi rationem, nonnunquam occultam et subdolam, ut Liv. 42, 47 *Romanae artes;* Sall. Cat. 2 *imperium facile his artibus retinetur, quibus initio partum est;* Liv. 1, 15 *viribus nulla arte adjutis — vicit;* 2, 51 *capti deinde eadem arte sunt qua ceperant Fabios.* — Ann. 1, 3 *Agrippa Postumus — rudis bonarum artium;* cp. 28 *bonis artibus grati in vulgus* (i. e. vacationibus gratuitis, ope et consiliis promptis, ut recte explicat Freinshemius); cp. 13 *artibus egregiis et pari fama publice;* cp. 9 *arma civilia quae neque parari possent neque haberi per bonas artes;* cp. 73 *quanta Tiberii arte gravissimum exitium inrepserit;* cp. 26 *easdem artes* (i. e. fraudem) *Drusum retulisse;* 2, 2 *hostium artibus infectus;* 3, 8 *cum incallidus alioqui — senilibus tum artibus uteretur;* cp. 66 *Brutidius artibus honestis copiosus;* cp. 75 *iisdem artibus praecellens;* cp. 73 *Tacfarinatis artes* (strategemata); 4, 58 *mox patuit breve confinium artis et falsi;* 5, 1 *Livia — cum artibus mariti, simulatione filii bene composita;* 6, 7 *sanctissimis Arruntii artibus;* cp. 39 *provinciis impositus — nullam ob eximiam artem;* cp. 41 *Romanae artes;* 11, 24 *jam moribus, artibus, ad-*

finitatibus nostris mixti; 13, 2 *Burrus et Seneca — diversa arte ex aequo pollebant;* 14, 55 *plerique haudquaquam artibus tuis (Senecae) pares plura tenuerunt;* cp. 57 *malas artes, quibus solis pollebat, gratiores ratus;* 15, 45 *Graecâ doctrinâ ore tenus exercitus, animum bonis artibus non induerat;* Hist. 1, 10 *luxuriâ, industriâ, comitate, adrogantiâ, malis bonisque artibus mixtus;* cp. 45 *industriae ejus innocentiaeque quasi malis artibus infensi;* Agric. 27 *Britanni non virtute sed occasione et arte usos rati.*

ARTUS s. arctus latius patet, transl. maxime sign., quam apud Cic., Livium, ceterosque scriptores, poetarum magis usui congruens: Hist. 4, 50 *artae Leptitanis res;* 3, 69 *artas res nuntiare* (ita Florus); 4, 26 *arti commeatus;* 3, 13 *in arto commeatum esse;* Ann. 4, 32 *nobis in arto et inglorius labor;* 3, 74 *arta et infensa hostibus cuncta fecerat;* (proprie 12, 63 *artissimo inter Europam Asiamque divortio;* 4, 49 *contrahere claustra artaque circumdare;* 14, 34 *deligit locum artis faucibus et a tergo silvâ clausum;* 15, 38 *artis itineribus*) Hist. 1, 88 *arta custodia;* Ann. 13, 38 *artus numerus;* 4, 58 *profectio arto comitatu fuit;* cp. 68 *speciem artae amicitiae facere;* 14, 4 *artius oculis et pectori haerens;* 13, 28 *cohibita artius et aedilium potestas.* Cf. locos a Forcellino omissos Liv. 26, 39 *in arto stipatae erant naves;* 34, 15 *in arto haerentes;* 37, 28 *artum ostium;* Curt. 3, 1, 8 *omnia sibi in dies artiora esse viderunt.*

ASPER, ASPERE, ASPERITAS, in universum Tacito ad vulg. usum congruenter usurpata, nisi quod aspera maris (Ann. 4, 6; Liv. 37, 16 habet *mare asperum*), asperrimum hiemis Ann. 3, 5; Vell. 2, 113 *asperrima hiems*) et aliquid aspere accipere (Ann. 4, 31; Hist. 3, 56; sed ipse Cicero habet *aspere dicere, loqui, accusare, tractare.* v. infra atrociter accipere) ex ipsius ingenio profecta esse videntur. Ann. 15, 68 *asperae facetiae* (cf. Cic. Planc. 14 *M. Antonii voluntatem asperioribus facetiis saepe perstrinxit impune*); 13, 1 *aspera custodia* (cf. Vell. 1, 10 *aspera censura*). — Difficilia, ardua ea v. exprimuntur haud secus quam ap. priores Ann. 1, 29 *promptum ad asperiora ingenium Druso erat;* 2, 80 *hinc militum, inde locorum asperitas* (per Zeugma dictum, cum et ad loci difficultatem, et ad militum virtutem et horribilem adspectum pertineat. Cf. Virg. Aen. 1, 14 *Carthago — studiis asperrima belli*).

ASPERARE = acuere et exasperare 1) propria sign. ut ap. Varronem Ann. 15, 54 *pugionem — asperari saxo et in*

mucronem ardescere jussit; Germ. 46 *sagittas — inopia ferri ossibus asperant.* 2) translate (poet. et ejusd. aet. scriptores) Ann. 1, 72 *hunc quoque asperavere carmina;* 2, 29 *ne lenire neve asperare* (augere) *crimina videretur;* 3, 12 *contumacia — asperasset juvenem;* Hist. 2, 48 *neu iram victoris asperarent;* 3, 38 *ubi asperatum Vitellium — patuit;* cp. 82 *asperatus proelio miles.*

ASYNDETON v. Proleg. de brevit. stili Tacit.

AT transitioni inservit cum ap. ceteros scriptt., tum ap. Tacitum, ibi praecipue, ubi ad ea revertitur oratio, quae prius jam indicata fuerant, ut Ann. 1, 46 *At Romae, nondum cognito qui fuisset exitus in Illyrico — trepida civitas incusare Tiberium;* cp. 38 *At in Chaucis coeptavere seditionem praesidium agitantes vexillarii;* 4, 13 *At Tiberius nihil intermissa rerum cura cet;* 2, 82 *At Romae, postquam Germanici valetudo percrebuit — dolor, ira;* 12, 62 *At Byzantii data dicendi copia — cuncta repetivere;* 14, 23 *At Corbulo post deleta Artaxata utendum recenti terrore ratus — illuc pergit.* — Ut Sall. Cat. 12 at hi contra *ignavissumi homines,* ita Ann. 4, 28 *at contra reus, nihil infracto animo, obversus in filium quatere vincula.* — Similiter Nepos at e contrario, Livius at enim vero; saepissime *at contra* Lucretius. At hercule Ann. 1, 3. 26; 3, 54 et saepius, apud Livium quoque, Plautum, Plin. maj. et al. legitur. Exempla vide in Hand. Tursell. Vol. I.

ATQUE (cf. ac) nonnunquam exprimit et quidem, sed, et ita (ſo nun, nun, *οὖν*), et ad sequentia advertit legentis animum: Ann. 11, 16 *laetus Germanis adventus, atque* (et quidem) *eo magis cet.;* Dial. 14 *num parum tempestivus — intervenio secretum consilium — tractantibus? Minime, minime, inquit Secundus: atque adeo* (immo) *vellem maturius intervenisses;* Ann. 15, 1 *diversas ad curas trahebatur, cunctator ingenio —. atque* (sed) *illum ambiguum novus insuper nuntius contumeliae exstimulat;* cp. 54 *servorum carissimi libertate et alii pecunia donati atque* (sed) *ipse moestus et magnae cogitationis manifestus erat;* 2, 52 *post illum reciperatorem urbis filiumque ejus Camillum penes alias familias imperatoria laus fuerat, atque hic* (sed hic), *quem memoramus, bellorum expers habebatur.* Hist. 2, 2 *igitur oram Achajae et Asiae — inde Syriam — petebat. Atque* (et ita) *illum cupido incessit adeundi templum Paphiae Veneris;* 3, 36 eodem modo *atque illum — perculit;* cp. 17 *atque illi conster-*

nantur; 1, 82 *atque illum — circumsistunt;* Ann. 2, 23 *atque* (et quid nunc Tiberius, tectus, subdolus, fraudulentus?) *interim Libonem ornat praetura, convictibus adhibet — adeo iram condiderat;* Hist. 3, 17 *firmati inter se densis ordinibus excipiunt Vitellianos temere effusos atque* (et statim) *illi consternantur.* Cf. Liv. 26, 39 *incautum hasta transfigit ille atque praeceps cum armis procidit ante proram.* V. Handii Tursell. et Ramshorn. Gr. p. 523.

ATROX inter omnes maxime Tacito frequentatur vox, non e Graeco ἀτρὼξ (i. e. esui ineptus, crudus), sed ab a t r o derivanda, ut a f e r o repetitur f e r o x *). Est vero idem quod a t e r, t r i s t i s, t e r r i b i l i s, m i n a x, t r u x, c o n t u m a x, a b s t r u s o a n i m o h o s t i l i a a g i t a n s: Ann. 2, 28 *consultandum super re magna et atroci;* cp. 30 *nominibus Caesarum — additas atroces vel occultas notas* (cf. Cic. Fam. 9, 25 *litterae atroces*); cp. 57 *Piso — atrox ac dissentire manifestus;* 3, 36 *quidam atrociora circumstrepebant;* cp. 64 *valetudo atrox;* 4, 11 *atrociore semper fama erga dominantium exitus;* cp. 21 *quod ut atrocius vero tramissum;* cp. 28 *miseriarum ac saevitiae exemplum atrox;* cp. 45 *facinus atrox;* cp. 50 *nox nimbo atrox;* cp. 52 *Agrippina semper atrox;* cp. 60 *atrox Drusi ingenium;* 6, 2 *atroces sententiae;* cp. 24 *quo non aliud atrocius visum;* cp. 40 *ut atrox advertebatur;* 11, 9 *atrociorem* (Mithridatem esse) *quam novo regno conduceret;* cp. 31 *atrox tempestas;* 12, 22 *atrox* o d i i *Agrippina;* cp. 35 *imminentia juga, nihil nisi atrox et propugnatoribus frequens, terrebat;* cp. 50 *atrox hiems;* cp. 52 *de mathematicis Italia pellendis factum S. C. atrox et irritum;* 14, 59 *tanquam nihil atrox immineret;* cp. 61 *quae semper odio, tum et metu atrox* (*Agrippina*); cp. 64 *additur atrocior saevitia;* 15, 28 *Vologeses neque atrox in summam, et — inducias petit;* cp. 55 *magna et atrocia* (conjurationis nuntium) *adferre dictitans;* cp. 58 *atrox adversus socios* (conjurationis); 16, 10 *super ingruens periculum longo dolore atrox;* cp. 30 *an cognitio senatus nihil atrox adferret;* Hist. 1, 2 *opus adgredior opimum casibus, atrox proeliis;* cp. 3 *atrocioribus populi Romani cla-*

---

*) Doederl. Synon. I p. 38 sq. o x ait exprimere ὤψ, ut οἰνώψ sit id quod vini speciem et quasi faciem praebeat. Jure enim contendit in illa a t r o c i s voce non causam, sed speciem tantum mali latere, et atrocia formae adhaerere, *saeva* animo et viribus, et in hanc rem affert Plin. Pan. 53 *„atrocissima effigies saevissimi domini."*

dibus; cp. 53 *atrocibus edictis;* cp. 54 *atrox rumor;* 2, 1 *laetum reip. aut atrox;* cp. 32 *quod genus militum apud hostes atrocissimum;* cp. 40 *cum atrocibus mandatis;* cp. 54 *atroci mendacio universos perculit;* cp. 70 *foedum atque atrox spectaculum;* cp. 99 *atrocibus undique nuntiis exterritus;* 3, 39 *ne Blaesi mors — palam jussa atrocem invidiam ferret;* cp. 54 *si liceret, vera narraturi, quia vetabantur, atrociora vulgaverant;* cp. 59 *nihil in Domitianum atrox parabat;* Dial. 13 *moestus et atrox.* — Eadem ratio est substantivi et adverbii, quae tamen minus saepe ap. nostrum leguntur, nec recedunt a vulgari usu, nisi quod atrociter accipere non minus insolenter dictum est quam aspere accipere (v. asper) Hist. 1, 23 *labores itinerum, inopia commeatuum, duritia imperii atrocius accipiebantur.*

ATTERERE, ATTINERE, ATTRECTARE v. ADT.

AUCTITARE Ann. 6, 16 *qui pecunias fenore auctitabant.* Praeterea apud Arnobium dumtaxat legitur.

AUCTOR. plane congruit hujus vocis usus ap. Tacit. cum priorum consuetudine, nisi quod saepius fortasse (minus tamen saepe quam ejusd. aet. scriptores) absolute usurpavit pro scriptore. Cf. Hist. 2, 73 *etsi vagis adhuc et incertis auctoribus, erat tamen in ore famaque Vespasianus;* Ann. 12, 69 *dubitavisse quosdam ferunt —; mox, nullo in diversum auctore, quae offerebantur secuti sunt.* — Plerumque scriptores dicuntur auctores, qua fides iis habetur tanquam nuntii, rumoris, rerum omnino auctoribus. v. Liv. 8, 40 *nec quisquam* scriptor *exstat, quo satis certo* auctore *stetur;* Cic. divin. 1, 19 *Collegit innumerabilia oracula Chrysippus, nec ullum sine locuplete* auctore *atque* teste. Ann. 14, 64 *quicumque casus temporum illorum nobis vel aliis auctoribus noscent;* Ann. 3, 3 *auctores rerum;* cp. 30 *Sallustius — rerum Romanarum florentissimus auctor;* Agric. 10 *Livius veterum, Fabius Rusticus recentium eloquentissimi auctores;* Dial. 29 *nec in auctoribus cognoscendis, nec evolvenda antiquitate — satis operae insumitur* (v. plura exempla in Proleg. de fide Taciti). Cf. Cic. Att. 12, 18 *habeo nonnullos ex iis, quos nunc lectito, auctores, qui dicant, fieri id oportere, quod saepe tecum egi;* Brut. 12 *locuples auctor Thucydides;* Or. 57 *optimus auctor* (artis oratoriae) *ita censet;* de opt. gen. or. *Isocratem, quem divinus auctor Plato — in Phaedro laudari facit a Socrate;* Mur. 14 *ut ait ingeniosus poeta et auctor valde bonus;* Liv. 2, 8 *apud quosdam veteres auctores non invenio Lucretium*

consulem; 25, 11 in diversum auctores trahunt; et sic centies. V. Drakenb. ad Liv. 8, 30, 9; Spald. ad Quint. 2, 15, 36. De voce historici cf. Bremi ad Nep. Alcib. 11. Saepius multo auctor quam scriptor apud omnes invenitur, et magnam quidem partem ita, ut, si non omnino absolute usurpetur vox, ut saepissime apud Quintilianum, Plin. majorem, Tacitum, Senecam (cf. de tranq. 9 *multo satius est paucis te auctoribus tradere, quam errare per multos*) tamen recedatur a fidei historicae notione, scribentis modo, non testis ratione habita.

AUCTUS, US v. Proleg. et s. v. augere.

AUDENTER (audens v. in audere) θαρσαλέως, ut ap. Scaevol., Ulpian., Quintil. 8, 3, 27 *multa alia etiam audentius inseri possunt.* Ann. 4, 47 *quidam audentius apertis in collibus visebantur;* cp. 68 *audentius jam onerat Sejanum;* 13, 40 *audentius progressus et sagittis confixus;* Hist. 2, 78 *audentius circumsistere;* Dial. 18 *agere fortius jam et audentius volo.*

AUDENTIA in bonam partem sumitur, differt igitur ab audacia et temeritate. Ann. 15, 53 *ut quisque audentiae habuisset;* Germ. 31 *privata cujusque audentia;* cp. 34 *nec defuit audentia Druso Germanico.* — Ita praeterea Plin. Ep. 8, 4 sensu rhetorico. Falso Hess. ex eodem attulit 9, 26, 5, nam ibi adjectivum est.

AUDERE 1) secundum vulg. consuet., sed saepius, cum accusativo constr., hinc passive etiam usurpatur, ut ap. Liv. et Nepotem singulis quidem locis: Hist. 4, 23 *ausi machinas;* cp. 15 *multa hostilia ausus;* 3, 76 *qui non egredi moenia neque periculum in aperto audebant;* Ann. 2, 12 *ausuros nocturnam castrorum oppugnationem;* cp. 40 *nec Tiberius poenam ejus palam ausus est;* cp. 62 *ejus ultionem ausus;* 3, 67 *ausis ad Caesarem codicillis;* 12, 28 *obvio hosti et aciem auso;* cp. 55 *vim cultoribus et oppidanis, ac plerumque in mercatores et navicularios audebant.* 2) insolentius absolute ponitur, non desunt tamen priorum exempla. Virg. Aen. 2, 347 *Quos ubi confertos audere in proelia vidi;* Sall. Hist. 4 p. 983 ed. Cort. *Romani — audendo et fallendo, et bella ex bellis serendo, magni facti;* Liv. 22, 14 *audendo atque agendo res Romana crevit;* cp. 53 *audendum atque agendum — ait in tanto malo esse;* 30, 11 *ne equitem quidem sustinere peditis praesidio audentem* (audacem); Cic. Verr. 1, 1; Fam. 10, 24; cf. Quint. 1, 5, 72; 8, 3, 35; 12, 6, 3. — Ann. 1, 13 *L. Arruntium non indignum et, si casus daretur, ausurum;* 4, 59

audere contra; Hist. 1, 60 *Caelius audendo potentior;* 2, 71 *adversus Neronem ausus;* 4, 49 *duo itinera audendi;* cp. 57 *audendum ratus;* cp. 32 *ausos libertas sequetur;* 2, 21 *proinde agendum audendumque;* Agric. 15 *periculosius esse deprehendi quam audere;* — ratione etiam loci habita, e quo, vel ad quem quis audacter procedit: Hist. 2, 25 *modica silva adhaerebat, unde rursus ausi, promptissimos interfecere;* 5, 11 *rebus secundis longius ausuri.* —

AUDENS adjective usurpatur, ut ap. poetas et argenteae aet. scriptores (cf. Plin. Ep. 9, 26. 33; Quint. 12, 10, 23) praeeunte Livio, loco supra laudato 30, 11; Ann. 14, 58 *nihil gravius audenti quam ignavo patiendum esse;* Hist. 1, 3 *propinqui audentes, constantes generi;* 2, 2 *inde Syriam audentioribus spatiis petebat;* Agric. 33 *audentissimi cujusque procursu;* Dial. 14 *audentior et poetarum quam oratorum similior oratio.*

AUDITIO de rumore Ann. 4, 11 *falsas auditiones repellere.* Ita Caes., Cic., alii.

AUDITORIUM (Plin. min., Quintil., Sueton.) et de loco quo conveniunt rhetorum auditores, et de ipsis auditoribus: Dial. 9 *auditorium exstruit et subsellia conducit;* cp. 10 *si nunc te ab auditoriis et theatris — in forum et ad vera proelia voco;* cp. 29 *si quando auditoria intravimus;* cp. 34 *auditorium semper plenum, semper novum* (i. e. novi auditores), *ex invidis et faventibus.* Cf. c o n v e n t i c u l u m.

AUDITUS = AUDITIO, ut semel ap. Cic., Ann. 4, 69 *consultant — quonam modo ea plurium auditu acciperentur;* Hist. 1, 76 *occupaverat animos prior auditus.*

AUGERE saepius quam ap. priores ceterosque omnes i n c r e m e n t a designat, quae rei vel homini adduntur specie, auctoritate, dignitate, opibus, animi etiam vi intenta. Ann. 2, 6 *naves — augebantur alacritate militum in speciem ac terrorem* (i. e. species per terrorem navibus addebatur; cf. 15, 9 *naves turribus auctae*); cp. 41 *augebat intuentium visus eximia ipsius species* (i. e. intuentibus majus, grandiusque videbatur triumphi spectaculum ob eximiam ipsius sp.) Agric. 6 *auctus est filiâ* (ubi Walchius apte contulit Catull. 64, 25 „*Teque adeo eximie taedis felicibus aucte*“ magis gaudium, quam incrementum hac junctura exprimi contendens. Adde Cic. Att. 1, 2 „*filiolo me auctum scito*“ et cf. oppositum Ann. 2, 86 *discidio domum imminuerat*); Ann. 2, 14 *auctus omine;* Hist. 4, 66 *Civilis societate Agrippinensium auctus;*

Ann. 6, 8 *honoribus augebantur;* 1, 3 *privignos imperatoriis nominibus auxit*; cp. 2 *novis ex rebus aucti;* 12, 26 *augebatur — cognomento Augustae;* 13, 18 *largitione potissimos amicorum auxit;* 3, 8 *juvenem — liberalitate auget;* Hist. 2, 4 *Titus aucto animo cet.;* 5, 35 *vallum turresque castrorum augebat* (i. e. firmabat); cp. 2 *Idaeos, aucto in barbarum cognomento, Iudaeos vocitari;* Ann. 3, 56 *modica — neque in falsum aucta retulit;* 2, 82 *aucta in deterius adferebantur.* Hinc subst. auctus, us Ann. 2, 33. *auctu imperii;* Hist. 4, 28 *Civilem immensis auctibus universa Germania extollebat.* Cf. Liv. 29, 27 *eaque vos — bonis auctibus auxitis.* (Vide Drak. ad Liv. 27, 26, 14) Vell. 2, 40 *hujus viri fastigium tantis auctibus fortuna extulit, ut — triumpharet.* insolentius intransit. ponitur pro augeri, augescere, quod idem e vulg. usu ap. Tacit. legitur Hist. 2, 34 *augescente flumine;* 4, 1 *augescente licentia;* cp. 61 *augescente superstitione;* 5, 4 *ut — augescerent barbarorum animi;* Agric. 3 *corpora lente augescunt;* (cf. Sall. Jug. 34 *animi augescunt*) — Ann. 4, 41 *minui sibi invidiam ademptâ salutantum turbâ, sublatisque inanibus verâ potentiâ augere* sc. se (v. Rup. ad h. l.) cf. Catull. 64, 324 *O decus eximium, magnis virtutibus augens;* Plin. H. N. 36, 15 *balinea Romae ad infinitum auxere numerum;* Lucret. 2, 1163 *augent labores;* Cato ap. Gell. 18, 12 *eodem convenae complures ex agro accessitavere: eo res eorum auxit;* Sall. Hist. 1 orat. Phil. contra Lepid. p. 947 ed. Cort. *ignoscendo populi R. magnitudinem auxisse.* Vide Drak. ad Liv. 3, 6, 2. Cf. mutare, vertere et similia in Verbo.

AUGURALE (adj. etiam ap. priores) subst. ap. Tacitum et Quintil., subintell. aedificio, tentorio, *οἰωνιστήριον*: Ann. 2, 13 *nocte coepta egressus augurali per occulta et vigilibus ignara;* 15, 30 *structam ante augurale aram;* cf. Quint. 8, 2, 8 *cum res communis pluribus in uno aliquo habet nomen eximium: ut carmen funebre proprie* Naenia, *et tabernaculum ducis* Augurale. — Festus ait, capitolium antiquis temporibus auguraculum dictum esse, quod ibi augures publice auspicarentur. — Ita igitur augurale idem valere videtur quod praetorium. Sed melius illis quidem Taciti locis propria significatione sumitur augurale (cf. Hygin. 2, 13 *auguratorium parte dextra praetorii ad viam principalem adponemus, ut dux in eo augurium recte capere possit; parte laeva tribunal stastuitur, ut augurio accepto insuper ascendat, et exercitum felici auspicio adloquatur*); namque apparet Germani-

cum propinquo summae rei discrimine augurii non incuriosum fuisse, nec minus patet causa, cur ex augurali potissimum in tabernacula militum se contulerit, nimirum ut eos celaret adventum suum, ea pergens via, ad quam ob religionem accedere non auderent; hinc *„per occulta et vigilibus ignara.“*

AULA non solum de domo principis, sed etiam de aulicis (eodem modo Cic. Att. 4, 12 *domus te nostra tota salutat*), de vita aulica ejusque indole, de imperio certi cujusdam principis ejusque tempore accipitur: Ann. 1, 7 *excubiae, arma, cetera aulae* (i. e. principatus insignia, imperii instrumenta); 2, 43 *discors aula erat tacitis in Drusum aut Germanicum studiis;* 6, 43 *qui tum aulâ et novo rege potiebatur;* 15, 34 *Vatinius inter foedissima ejus aulae ostenta fuit, sutrinae tabernae alumnus, corpore detorto;* Hist. 1, 13 *prona in eum aula Neronis ut similem;* 2, 95 *nemo in illa aula* (Vitellii) *probitate aut industria certavit.* — Similiter Cic., saepius argentea aetas usurpat hanc vocem. V. Forcellin., et locis ab eo allatis adde Curt. 8, 29 *haudquaquam aulae et assentantium accommodatur ingenio.* Cf. domus et regia.

AURARIA = aurifodina ap. solum Tacitum Ann. 6, 19 *aurarias ejus — sibimet Tiberius seposuit.*

AURIS vox cujus apud alium nullum, ne apud Ciceronem quidem ac Quintilianum, crebrior usus quam ap. Tacitum. Ann. 1, 16 praebere *aures;* 11, 32 *aures* adire; 4, 39 *ad principum aures* conferre; Dial. 20 *ad aures* pervenire; cp. 27 *aures* perstringere; Ann. 1, 41 *aures oraque* advertere; Hist. 4, 7 *aures* imbuere; Dial. 20 *auribus* obtemperare; Ann. 3, 46 *neque oculis neque auribus satis* competere; 4, 69 *notae ignotaeque aures* vitari (vitabantur); 3, 50 *aures hominum* polluere; Hist. 4, 69 obstruere *civitatis suae aures;* Agric. 41 verberare *aures sermonibus;* Dial. 10 *aures* offendere; cp. 9. 17 *aures* respuunt, agnoscunt *aliquid.* — Dial. 19 diversitas, fastidium *aurium;* cp. 21 *oratio auribus judicum* accommodata; cp. 34 diversissimarum *aurium* copia — cognitae *populi aures;* cp. 40 adrectiores *aures;* Ann. 1, 31 trepidae *aures;* cp. 65 lentae *adversum imperia aures;* 2, 39 promptae *aures;* Hist. 1, 1 pronae *aures;* Ann. 4, 29 superbae *aures;* Hist. 1, 66 aequae *aures;* 3, 10 apertae *aures;* cp. 56 *ita formatis auribus;* cp. 67 surdae *aures.* Cf. quae audacissime dicta inveniuntur apud Ciceronem et Quintilianum: Cic. de

or. 2, 5 *Graecorum, qui se inculcant auribus nostris, similes fuerunt; 3, 9 nulla nostrarum aurium satietate;* or. 29 *Demosthenes — non semper implet aures meas; ita sunt avidae et capaces;* Planc. 18 *respuerent aures, nemo agnosceret;* Att. 2, 14 *venias ad sitientes aures;* Quint. 1, 8, 11 *cum poeticis voluptatibus aures a forensi asperitate respirent;* 11, 1, 61. *Quid aures hominum magis respuunt.* — Duplex afferri potest causa, cur Tacitus tam crebro usus sit hoc verbo, primum quod orator fuit, quapropter plurima exempla praebet Dialogus de oratoribus, et ideo Cicero etiam et Quintilianus multi sunt in hac voce, deinde quod in describendis temporibus, quae, ut ipsius utar verbis, per inquisitiones et loquendi audiendique commercium ademerant, et auris istius Dionysii tyranni memoriam revocabant, hoc adhibito dicendi genere multa aptissime atque efficacissime exprimere poterat, quae ad pravas dominationis servitutisque artes pertinebant. Ejusdem fere generis est in significandis rebus occultis ac secretis varietas. V. palam.

AUT ap. Tacitum haud raro copulativam habet vim (et contra disjunctivam; v. hanc vocem), ita tamen, ut non simplicem copulam, sed ad distributionem majore cum vi indicandam iteratum et vel partim exprimat idemque fere sit quod *aut rursus,* oder auf der andern Seite: Ann. 12, 12 *industriosque aut ignavos pax in aequo tenet;* 15, 47 *non fore validum quia in utero repressum aut* (si qui forte hanc ominis causam respicere maluerint) *iter juxta editum sit;* 1, 55 *dissidere hostem in Arminium ac Segestem, insignem utrumque perfidia in nos aut fide;* 4, 49 *postquam castello aut conjunctis tumulis non degrediebantur;* Hist. 4, 71 *Rigodulum — montibus aut Mosella amne septum;* 3, 52 *instandum coeptis aut rursus cunctandi utilitates edisserens.* — Eodem pertinet neque — aut pro neque — neque poetarum more usurpatum, ut Ann. 3, 54 *offensiones neque mihi aut vobis usui futuras jure deprecor* (plura exempla v. sub nec particula). — Ita ve quoque copulativam vim adsumit nonnunquam, ut Germ. 4 *frigora atque inediam coelo solove adsueverunt.* Cf. Virg. Aen. 6, 769 *Silvius Aeneas, pariter pietate vel armis Egregius* i. e. sive pietatem spectes sive arma. — Recedit etiam a vulgari usu aut — vel pro iterata aut particula sive aut — ve: Hist. 2, 76 *ne contra Caji quidem aut Claudii vel Neronis — domum exsurgimus;* Ann. 14, 3 *in hortos aut Tusculanum vel Antiatem in agrum;* Dial. 28 *non*

reconditas causas requiris nec aut tibi ipsi aut huic Secundo vel huic Apro ignotas. Sed ex ipso Cic. exemplum attulit Hand. in Turs. Vol. I p. 549; porro sive — aut Hist. 5, 7 *cuncta sponte edita aut manu sata, sive herbae tenues aut flores — vanescunt,* quo de loco vid. Hand.

AUXILIA v. Abstracta.

AUXILIARIS v. Singularis.

AUXILIATOR (Quintil., Stat., Petron.) Ann. 6, 37 *haud inglorius auxiliator.*

AVARITIA Agric. 9 *tristitiam, adrogantiam et avaritiam exuerat,* locus a multis pravissime, a Walchio optime explicatus. avaritiae h. l. eadem fere ratio est, quae adrogantiae (v. h. vocem), non simpliciter in malam partem trahendae, sed severitatem dumtaxat summam in exigendis tributis a Vespasiano scilicet ad reficiendas exhausti aerarii vires injunctam exprimentis. Walch. confert Cic. Verr. 3, 82 *Qui hoc fecit, avarum possumus existimare, crimen in eo constituere non possumus.*

AVELLERE transl., ut ap. Cic., maxime vero poetas, Ann. 1, 44 *ut avellerentur castris* (milites. v. abrumpere); 4, 20 *liberalitas Augusti avulsa.*

AVERE = cupere, rarior in universum vox, Tacito et maxime Ciceroni frequentata Ann. 4, 71 *ni mihi destinatum foret suum quaeque in annum referre, avebat animus anteire cet.*; 11, 10 *recuperare Armeniam avebat;* 12, 36 *avebantque visere, quis ille tot per annos opes nostras sprevisset.* Loci Cic., ubi haec vox legitur, sunt Off. 1, 4; Phil. 5, 5; 14, 7; Att. 1, 15; 2, 18; 4, 3. 15; 5, 20; 6, 1; 7, 2. 3; 14, 35. 39. 50; 14, 7. 12; 15, 11. 19; fin. 2, 14; sen. 23; fin. 4, 19; Tusc. 1, 8. 47; N. D. 2, 1; divin. 1, 6; 2, 62. Plerumque cum *audire, videre, scire, discere, accipere* conjungitur; ita etiam gestire Att. 4, 11 et saepius. Livius bis usus est hoc avendi verbo 33, 32; 45, 39.

AVIDUS praegn. sign. v. adject. 1.

AVUNCULUS v. gener.

BALNEUM v. Syncope.

BEATUS e vulg. consuetudine de personis et de rebus ad eas pertinentibus (ita Ciceroni civitas, vita dicitur beata, et illa quidem qua opulens est) Ann. 11, 20 *beatos quondam duces Romanos.* — De aliis etiam rebus, quae beatos reddunt homines, ut ap. poetas rus beatum, beatum nectar Agric. 44 *in hac beatissimi saeculi luce;* et idem est quod felix, quod bene procedit, cujus adfluens

copia est; Dial. 9 *ut beatissimus recitationem ejus eventus prosequatur.* Cf. quae Forcell. e Quintil. attulit „*beatissima rerum verborumque copia; vox facilis, magna, beata, flexibilis; ingenii beatissima ubertas.*"

BELLATOR v. in Proleg. Substt. in or et proeliator in Lex.

BELLIGERARE, ut singulis locis ap. Cic., Plaut., Hygin. et, quem Forcell. omisit, Liv. 21, 16. Ann. 2, 5 *quae sibi tertium jam annum belligeranti saeva vel prospera evenissent;* 3, 74 *haud dissimili modo belligeratum;* 4, 46 *adversum accolas belligerare.*

BINOCTIUM (Ammian.) Ann. 3, 71 *ut pontificis maximi arbitrio plus quam binoctium abesset.*

BLANDIMENTUM 1) singul. numero, ut ap. Plin. maj. Ann. 14, 4 *ibi (Bajis) blandimentum sublevavit metum.* 2) de cibis, ut ap. Petron., Germ. 23 *sine adparatu, sine blandimentis expellunt famen.* 3) cum Cic., Liv., aliorumque usu consentiunt Ann. 12, 64 *Lepida blandimentis et largitionibus juvenilem animum devinciebat;* 13, 13 *tum Agrippina — per blandimenta juvenem adgredi;* 15, 64 *oblata mitiore spe, blandimentis vitae evictam* (eam esse; cp. 63 *vitae delinimenta*); Hist. 2, 53 *abruptis vitae blandimentis;* 1, 74 *muliebribus blandimentis.*

BREVIS latius patet ap. nostrum quam apud ipsos poetas (cf. ap. Horat. *breve pondus, brevis census, breve caput, brevis coena* i. e. exigua, parva, ut idem dicit „*curta supellex*)" Ann. 15, 17 *ducum inter se brevis sermo secutus est;* 13, 43 *brevius* (i. e. expeditius, et ita Plin. maj. haud raro breviter usurpat pro ut brevi praecidam, ut paucis dicam) *visum urbana crimina incipi;* 2, 41 *breves et infaustos populi Romani amores;* 16, 14 *si brevem exsilii veniam impetravisset;* 15, 60 *necem Plautii — adjungit adeo propere, ut non complecti liberos, non illud breve mortis arbitrium permitteret;* 4, 58 *mox patuit breve confinium artis et falsi;* 5, 4 *brevibus momentis summa verti posse;* 13, 18 *post breve osculum digrediens;* Agric. 40 *exceptus brevi osculo et nullo sermone;* Hist. 2, 59 *brevi auditu quamvis magna transibat, impar curis gravioribus.* — De aqua non profunda, ut ap. poetas, Ann. 14, 29 *breve littus et incertum;* 6, 33 *brevia littorum nudantur;* 1, 70 *eadem freto, littori, campis facies, neque discerni poterant incerta ab solidis, brevia a profundis.*

BREVITAS stili Tacitei v. in Proleg.

CADERE 1) ut vulgo ap. Cic. *res cadit male, melius, venuste, percommode, peropportune, optatius, ita*, Ann. 2, 77 *multa — fortuito in melius casura;* cp. 80 *coepta secus cadebant;* 6, 8 *utcunque casura res est*; 15, 39. 51; Hist. 3, 53 *in irritum cadere* (Liv. habet *ad irritum cadere*, ut Hist. 3, 26 *ad irritum revolvi*); insolentius Hist. 3, 13 huc *cecidisse Germanici exercitus gloriam, ut sine proelio — traderent arma.* 2) = interire, ut *exitu voluntario, sua manu, per acies, proscriptione, jure belli*, quae minus recedunt ap. nostrum a vulgari sermone; insolentius dicta sunt Hist. 1, 77 *repetundarum criminibus sub Claudio ac Nerone ceciderant*; Ann. 6, 14 *cecidere conjurationis crimine;* 11, 3 *fraude muliebri et impudico Vitellii ore cadere* — Graecae linguae morem, a Suetonio etiam et Ovidio receptum exprimunt Ann. 16, 9 *donec a centurione vulneribus adversis tanquam in pugna caderet.* — De loco Agric. 12 „*infra coelum et sidera nox cadit*“ v. s. v. infra.

CAERIMONIA praeter vulg. significationem ap. Tacitum nonnunquam, ut ap. alios, idem valet quod religio, sanctitas (notissima res est, Romanis hominibus, recentibus quoque, in caerimoniarum pompa maxime verti numinis divini cultum; hinc illa vocis significatio orta est). Ann. 4, 64 *augendam caerimoniam loco;* 14, 22 *Nero videbatur potus sacros et caerimoniam loci corpore loto polluisse.* Cf. Cic. Balb. 24 *conficere sacra Cereris summa religione et caerimonia;* Rosc. Am. 39 *qui non negligentiâ privatum aliquod commodum laeserit, sed perfidiâ legationis ipsius caerimoniam polluerit.* V. plura ap. Forcellin.

CAESTICUS v. cest.

CALAMISTER s. calamistrus proprie acus ferrea, qua calefacta in cinere capilli crispantur, translate de nimio orationis ornatu, ut duobus Ciceronis locis (Brut. 75; Or. 23) Dial. 26 *malim hercule C. Gracchi impetum aut L. Crassi maturitatem quam calamistros Maecenatis aut tinnitus Gallionis.* V. Weikert. et Dronk. ad h. l.

CAMARA de navium genere Hist. 3, 47 *Quin et barbari contemptim vagabantur fabricatis repente navibus (camaras vocant) artis lateribus, lata alvo, cet.* — Ita Gellius quoque inter varia navigiorum nomina *camaras* affert 10, 25; ap. Cic. et alias designat tectum fornicatum. V. Ernest. ad locum Taciti.

CAPAX transl. sign. rarior ap. ceteros vox Ann. 1, 11 *solam divi Augusti mentem tantae molis capacem*; cp. 13 *M. Lepidum dixerat capacem (principis loci) sed aspernantem*; 14, 3 *nihil tam capax fortuitorum quam mare*; Hist. 1, 49 *omnium consensu capax imperii*. Cf. Cic. Or. 29 *aures avidae et capaces*, et quos praeter hunc e Vellejo, Ovidio, Plin. min. et Pandect. affert locos Forcell.

CAPERE maximam partem cum vulgari usu congruit, ut Ann. 12, 55 *montes asperos castris cepere*; 15, 22 et 2, 86 *virginem Vestalem capere*; nonnunquam idem valet quod capessere, facere (cf. Caes. B. G. 1, 1) Ann. 12, 6 *capto rursus initio (orationis)*; 6, 50 *ad capienda imperii primordia*; 3, 56 *capto experimento*; Hist. 2, 97 *rursus jussu Vitellii militiam cepere*; 4, 3 *civilia arma — cepisse finem videbantur* (ita Plin. quoque maj.); insolentius vero dictum est Ann. 3, 67 *captarum pecuniarum teneri reum*, cum ap. Ciceronem addatur „*contra leges*.“ De loco Ann. 11, 31 „*sive ceperat ea species*“ v. s. v. species.

CAPESSERE vox apud alium nullum crebrior (capessii, capessivi, capessiturus ap. solum Tacitum leguntur) Ann. 3, 29 *munere capessendi vigintiviratus solveretur*; cp. 56 *ad capessendum hoc munus*; 4, 16 *ad capessendas caerimonias*; cp. 48 *noctem in castris tutam et vigilem capesserent*; cp. 52 *capessendis accusationibus*; 5, 11 *capessendis inimicitiis*; 6, 8 *tua officia in republica capessentem*; cp. 27 *capessere provincias*; cp. 37 *parata capessere*; cp. 42 *solennia regni capessere*; cp. 48 *meliora capessiturum Macrone duce*; 11, 16 *gentile decus capessere*; cp. 24 *rempublicam capessam*; cp. 34 *iret interim virgo et sacra capesseret*; 12, 5 *labores quîs orbem terrae capessat*; cp. 11 *clementiam ac justitiam — capesseret*; cp. 15 *obsidia urbium Romani capesserent*; cp. 25 *juvene partem curarum capessituro*; cp. 30 *pugnam manu capessiit*; 13, 4 *exempla capessendi egregie imperii*; cp. 25 *qui nondum honorem capessisset*; cp. 29 *magistratum capessentibus*; cp. 41 *non id nobis virium erat, quod firmando praesidio et capessendo bello divideretur*; 14, 40 *capessendis honoribus destinatus*; 15, 29 *tuta et salutaria capessentem*; cp. 49 *principium tanti facinoris capessivere*; 16, 26 *capessendae reip. iter*; Hist. 1, 77 *Vitellio quidem ad capessendam principatus fortunam bello opus erat*; 2, 48 *erecto animo capesseret vitam*; 3, 64 *victoriae famaeque partem capesseret*. — Apud Livium leguntur: *capessere fugam, bellum,*

bellum, pugnam, rempublicam, viam, partem decoris, spectaculum, pericula. V. Forcell.

CAPTIVUS, CAPTIVITAS de rebus inanimis, illud etiam ap. poetas, Livium (vide Drakenb. ad Liv. 6, 22, 4), Sallustium, Caesarem, et, quem omisit Forcellinus, Curtium (5, 20 *captiva pecunia*), hoc vero ap. Apulejum (*captivitas oculorum* i. e. caecitas) Ann. 12, 32 *deducitur in agros captivos;* 14, 30 *cruore captivo* (i. e. captivorum) *adolere aras;* Hist. 3, 70 *captivitates urbium.*

CARCER = custodia militaris Ann. 3, 22; sed ex Ann. 1, 21 patet, in castris etiam fuisse justum carcerem, ibique *claudi carcere* non sola vincula designare. V. Lips. Exc. ad Ann. 3, 22.

CARITAS nusquam saepius legitur quam ap. Tacitum, qui plerumque eodem sensu, quo a m o r frequentatur, hanc vocem usurpat. Cicero discrimen quidem constituit inter haec vocabula Part. or. 16 „*aut caritate moventur homines, ut deorum, ut patriae, ut parentum, aut amore, ut fratrum, ut conjugum, ut liberorum, ut familiarium*" sed et ipse adjectivo utitur neglecto illo discrimine Off. 1, 17 *cari sunt parentes, cari liberi, propinqui, familiares; sed omnes omnium caritates patria una complexa est.* Livius quoque, qui alias non promiscue utitur illis vocibus, 8, 7 exhibet „*caritas liberûm*" i. e. erga liberos. — Ann. 2, 42 *sincerae caritatis fidem adsecutus;* 4, 17 *non tam caritate juvenum quam adulatione;* cp. 19 *caritate Agrippinae invisa principi;* 6, 46 *sanguine et caritate propior;* 12, 4 *accipiendis adversum generum suspicionibus caritate filiae promptior;* cp. 30 *subjectis — multa caritate,* (i. e. percari); cp. 51 *fugam ob — mariti caritatem toleravit;* 13, 16 *dolorem, caritatem, omnis adfectus abscondere didicerat;* cp. 21 *verba impatientiâ caritatis aliquando incauta;* 14, 9 *caritate in patronam;* cp. 27 *consensu et caritate mutua;* cp. 44 *cum servi — caritatem dominorum statim acciperent;* cp. 55 *praecipuus caritate (Neronis Seneca);* 15, 38 *caritate suorum — interire;* 16, 14 *Antejum caritate Agrippinae invisum Neroni;* cp. 28 *abrumperet vitam ab ea civitate, cujûs caritatem olim — exuisset;* cp. 30 *caritate erga parentem;* Hist. 1, 83 *veni postulaturus — erga me modum caritatis;* 2, 37 *ut qui pacem* belli amore *turbaverant, bellum* pacis caritate *deponerent;* cp. 49 *interfecere se — caritate principis;* Agric. 6 *vixerunt mira concordia per mutuam caritatem et invicem se anteponendo;* cp. 16 *ca-*

ritatem paraverat loco auctoritatis; cp. 32 *metus et terror — infirma vincula caritatis.*

CARMEN v. devotio.

CARPTIM i. e. cum delectu opp. omnibus, universis, ut ap. Livium aliosque singulis locis, Hist. 4, 46 *quibus aetas et justa stipendia, dimissi cum honore, alii ob culpam, sed carptim ac singuli.*

CASSUS v. incassum.

CASUS 1) = fortuna, periculum, discrimen, calamitas saepius quam apud alios et nonnunquam minus usitatis juncturis Ann. 4, 58 *neque enim tam incredibilem casum providebant, ut undecim per annos libens patriâ careret;* Hist. 3, 66 *captivum et casibus dubiis reservatum;* Ann. 2, 63 *idem Catualdae casus, neque aliud perfugium;* cp. 23 et 15, 46 *casus maris;* Germ. 16 *casus ignis;* Ann. 6, 44 *quibus proelium et festinati casus placebant;* 1, 47 *se in casum dare;* 12, 33 *novissimum casum experitur, sumpto ad proelium loco;* Ann. 2, 25 *nullis casibus superabiles Romanos;* Hist. 1, 2 *opus adgredior opimum casibus;* cp. 3 *multiplices rerum humanarum casus;* Ann. 16, 13 *turbidis casibus;* 1, 17 *si quis tot casus vitâ superaverit.* V. Ruhnken. ad Vell. 2, 30. 2) = occasio, ut Sall. Jug. 25 *aut vi aut dolis sese casum victoriae inventurum;* cp. 56 *fortunam illis praeclari facinoris casum dare* (V. Cort. ad hos locos); Ann. 1, 13 *si casus daretur;* 4, 50 *ne — casum insidiantibus aperirent;* 12, 28 *si Catti — casum pugnae praeberent;* cp. 50 *casus invadendae Armeniae;* 11, 9 *casus Mithridati datus est occupandi Armeniam;* 13, 36 *is quamquam incautos barbaros, et bene gerendae rei casum offerri scripserat.* V. occasio.

CAUSA significationibus minus usitatis, licet exempla non desint etiam apud priores 1) = praetextus, ut ap. Nep., Terent., Liv. *per causam:* Ann. 2, 42 *struxit causas aut forte oblatas* (i. e. occasiones speciosas) *adripuit;* hinc causari e vulgari consuetudine dicitur Ann. 1, 47 *hiemem aut negotia varie causatus,* Hist. 3, 59 *Sabinus — valetudinem causabatur;* Ann. 13, 44 *nectere moras, adversam patris voluntatem causari.* 2) = jus Ann. 13, 37 *causa quam vi agere malle* i. e. causis allatis, conditionibus propositis. 3) ad factiones pertinet, ut ap. Cic. quoque, Ann. 1, 36 *parari legatos, qui superiorem exercitum ad causam eandem traherent;* 13, 56 *excidium minitans, nisi causam suam dissociarent;* 12, 64 *perditâ prius Domitiâ Lepidâ, muliebribus cau-*

sis; Hist. 2, 85 *simultates, quibus causam partium praetendebat;* Cf. Ann. 3, 12 *quia dolori meo causa connexa est.* — De scriptura v. Quintil. 1, 7, 20 *Ciceronis temporibus, paullumque infra,* (non igitur Taciti aevo) *fere quoties S. littera media vocalium longarum vel subjecta longis esset, geminabatur, ut* caussae, cassus, divissiones, *quo modo et ipsum et Virgilium quoque scripsisse, manus eorum docent.*

CAVILLARI aliquid = vituperare cum irrisione, etiam a Cicerone, saepius tamen ab argenteae aetatis scriptoribus usurpatum Ann. 1, 46 *verba patrum cavillantem* (*Tiberium*).

CEDERE praeter vulg. usum 1) = procedere, ut χωρεῖν idem valet quod προχωρεῖν ap. Herodotum, Agric. 18 *prout prima cessissent fore universa;* Ann. 1, 28 *prospere cessura quae pergerent.* Similiter usi sunt hoc verbo permulti ejusdem aevi scriptores, sed priores etiam quibusdam locis. Cum prout apud solum fortasse Celsum conjunctum legitur praeter Tacitum, sed ejusdem generis est haec junctura cum ea, qua male, bene, prospere cedere dicitur habetque etiam Curtius 7, 4, 16 utcumque *cesserit.* 2) = subjici, in potestatem alicujus venire, ut quibusdam apud Cic., Horat., Virg. locis, saepius apud Livium (cf. 6, 14 *aurum — in paucorum praedam cessisse*) Ann. 1, 1 *arma in Augustum cessere;* 6, 43 *omnes in unum cedebant;* 13, 39 *reliqua praeda victoribus cessit;* Hist. 1, 11 *inermes provinciae — in pretium belli cessurae erant;* 3, 83 *spolia in vulgus cedebant;* Ann. 2, 23 *omne coelum et mare omne in austrum cessit* (i. e. in austri potestatem) 3) = verti, esse pro aliqua re praeeunte Livio (6, 34 *poena in vicem fidei cesserat*) et Curtio (3, 16 *cesserat temeritas in gloriam*) ap. Plin. maj., Columell. et Tacit. Hist. 2, 59 *honos — in solatium cessit;* Germ. 14 *epulae cedunt pro stipendio;* cp. 36 *Cattis — fortuna in sapientiam cessit.* Poetarum exempla attulit Hess. ad Germ. 14. — Cf. resistere.

CELEBER, CELEBRITAS (celebris ap. Tacitum plerumque masculinum genus exprimit, ut Ann. 2, 88; 14, 19; 13, 47; cf. auct. ad Herenn. 2, 4 *locus celebris*) apud omnes omnino scriptores si non aperte, at aliquo tamen modo ad personas pertinet, dum frequens et de personis et de rebus usurpatur. V. Doederl. Synon. I p. 16 sq. Sed cum ipsis personarum nominibus a prioris aevi scriptoribus raro admodum conjungitur celeber, id plerumque designans, quod hominum frequentia vel sermonibus insignitum est, ut

Ann. 1, 51 *celeberrimum templum;* 3, 9 *celebritas loci;* Hist. 2, 64 *celebritas viae;* Ann. 14, 33 *celebre Londinium;* Hist. 2, 50 *celebri loco;* Ann. 4, 67 *celeberrimo fori;* 2, 47 *celebres urbes;* 13, 47 *pons Mulvius — celebris nocturnis inlecebris;* Hist. 1, 80 et Ann. 14, 48 *celebre convivium;* Ann. 3, 49 *celebre carmen;* 2, 73 *celebre funus per laudes et memoriam virtutum;* 1, 74 *formam vitae iniit, quam postea celebrem miseriae temporum — fecerunt;* 12, 61 *artem medendi — inter posteros ejus (Aesculapii) celebrem fuisse;* 6, 12 *vana sub nomine celebri vulgabantur;* 4, 42 *celebris ingenii vir;* Hist. 2, 8 *celebritas nominis.* — De ipsis personis Ann. 2, 88 *Romanis haud perinde celebris (Arminius);* 14, 19 *celebris Servilius;* Hist. 3, 51 *celeberrimos auctores habeo;* Agric. 1 *celeberrimus quisque ingenio.* cp. 40 *celebritas et frequentia occurrentium.* — Apud priores hujus quidem usus exempla sunt Liv. 7, 21 *Meriti aequitate curaque sunt, ut per omnium annalium monumenta celebres nominibus essent;* Ovid. Met. 5, 412 *inter Sicelidas Cyane celeberrima nymphas;* Hor. Od. 2, 12, 20 *sacro Dianae celebris die;* Tibull. 2, 1, 33 *celeber Messalla triumphis;* v. 83 *vos celebrem cantate deum;* Vellej. 2, 3. 9. 16. 17. 18. 22. 26. 86. 99 et sic saepius argentea aetas.

CELERARE = properare, adproperare, accelerare 1) sine casu, ut Cic. de univ. cp. 10 *Dedit autem divinis duo genera motus: unum quod — uno modo celeraret;* Eutrop. 4, 20 *celerare ad Asiam;* Ann. 12, 64 *Agrippina — celerare statuit;* Hist. 3, 5 *cum exercitu Moesico celeraret;* 4, 24 *ut quam maximis per ripam itineribus celeraret.* 2) cum accus., ut ap. Virgilium aliosque poetas Ann. 2, 5 *celerandae victoriae intentior;* 12, 46 *oppugnationem quoquo modo celerare.*

CENSERE praeter vulg. usum 1) = decernere cum accus. (cf. Liv. 10, 12 *bellum Samnitibus et patres censuerunt, et populus jussit*) Ann. 2, 83 *cum censeretur clipeus auro et magnitudine insignis inter auctores eloquentiae;* 3, 57 *ut — templa et arcus aliaque solita censerent;* cp. 72 *censuere patres effigiem Sejani;* 4, 74 *aram Clementiae, aram Amicitiae, effigiesque circum Caesaris ac Sejani censuere;* 12, 38 *censentur Ostorio triumphi insignia;* 13, 8 *qui supplicationes — utque ovans urbem iniret, effigiesque — censuere.* 2) = aestimare, dijudicare (ut Cic. Parad. 6, 2 *si censenda nobis atque aestimanda res sit*) Agric. 45 *unâ adhuc victoriâ Carus Metius censebatur;* Dial. 40 *ut ipsi quoque — non aliis magis orationibus censeantur.* — Censeri aliqua re prae-

ter Tacitum ejusd. duntaxat aetatis scriptores usurpasse videntur.

Aestimare sic saepius, etiam ap. nostrum Germ. 6 *in universum aestimanti plus penes peditem roboris;* Ann. 6, 12 *lecto per magistros aestimatoque carmine;* 11, 26 *ne Silius — scelus inter ancipitia probatum veris mox pretiis aestimaret;* Agric. 40 *plerique, quibus magnos viros per ambitionem aestimare mos est;* Hist. 2, 23 *omnia ducum facta prave aestimantibus;* 4, 73 *quia apud vos verba plurimum valent, bonaque ac mala non sua natura, sed vocibus seditiosorum aestimantur.* Agric. 1 *virtutes iisdem temporibus optime aestimantur, quibus facillime gignuntur.* — Insolentius usurpatur pro magni facere, a Tacito quidem, quidquid contra dicat Walch. Agric. 5 *electus quem contubernio aestimaret;* Ann. 15, 2 *addita modestiae fama, quae neque summis mortalium spernenda est, et a diis aestimatur.* Ita ap. Plin. Pan. 21 aestimator idem fere valet quod laudator (*donec tu quoque beneficiorum tuorum parcissimus aestimator, jam te mereri fatereris*). Cf. opinio. — Ut idem est quod existimare, putare quibusdam Phaedri Caesarisque locis (cf. etiam Curt. 4, 5, 28 *Aegyptios — pro sociis ipsos, non pro hostibus aestimaturos*), ita reputare designat Ann. 13, 17 *cui plerique etiam hominum ignoscebant, antiquas fratrum discordias et insociabile regnum aestimantes.*

CENTURIONATUS ἅπαξ λεγόμενον Ann. 1, 44 *centurionatum inde egit Germanicus,* i. e. recensionem et cognitionem de centurionibus, Mureto interprete, vel, ut alii explicant: centurionum congregationem reddendi juris causa. Similiter centuriatus de divisione in centurias dicitur Liv. 22, 38 *ubi ad decuriatum aut centuriatum convenissent, sua voluntate ipsi inter se equites decuriati, centuriati pedites conjurabant, sese — non abituros.* Cf. 25, 15 *juventutem — ex industria centuriaverat armaveratque.* Alias centuriatus designat centurionis dignitatem, ut Cic. pro lege Man. 13 *cujus in exercitu veneant centuriatus;* in Pison. 36 *centuriatus palam venditos.* Ut centuriatus a centuria, ita a centurione centurionatus originem traxit. Cf. Catonis fragm. ap. Cort. p. 31 *majores — pretium paravere bonis atque strenuis* decurionatus, optionatus, *hastas donaticas aliosque honores;* Plin. Ep. 10, 114 (Trajani est epistola) *honorarium decurionatus.*

CESTICUS s. CAESTICUS ἀπαξλεγόμενον Ann. 16, 21 *Thrasea — ludis cesticis — habitu tragico cecinerat.* V. Rup. ad h. l. Sunt ludi, in quibus caestu inter alia pugnabatur. Ita Ryckius explicat vocem.

CETERUM praeter vulg. sign., qua denotat quod reliquum est 1) Livii Curtiique maxime more servit transitionibus, ut Ann. 1, 3 *Ceterum Augustus subsidia dominationi — extulit;* Hist. 1, 4 *Ceterum antequam destinata componam cet.* Cf. Liv. 38, 55 ubi eodem modo quo igitur usurpari solet, resumit orationem interjectis aliis interpellatam. 2) idem valet quod sed adversat. particula, (apud Liv. quoque), Hist. 3, 66 *Quodsi tam facile suorum mentes flexisset Vitellius, quam ipse cesserat, incruentam urbem — intrasset. Ceterum — pacem et conditiones abnuebant.* 3) = re vera autem, qui peculiaris Taciti usus esse videtur Ann. 1, 44 *veterani haud multo post in Raetiam mittuntur, specie defendendae provinciae ob imminentis Suevos, ceterum ut avellerentur castris;* 15, 52 *haec in commune, ceterum timore occulto.*

CHILIARCHUS e Graeco adsumpta vox, quae tamen raro admodum invenitur ap. Latinos Ann. 16, 51 *erat chiliarchus in ea classe Volusius Proculus.* — Ita de Macedonum militibus Curt. 5, 2, 3, de Persis Nepos Con. 3, 2. Ceterum ap. Romanos Taciti aevo classiariis tantummodo haec honoris appellatio tributa esse videtur.

CIERE v. cire.

CIRCA = in, quod attinet, aetatis argenteae more Ann. 11, 15 *publica circa bonas artes socordia;* cp. 29 *Callistus jam mihi circa necem C. Caesaris narratus;* 16, 8 *mox Neronem circa summa scelera distentum quasi minores evasere;* Hist. 1, 13 *circa consilium eligendi successoris in duas factiones scindebantur;* Germ. 28 *Nervii circa adfectionem Germanicae originis ultro ambitiosi sunt;* Dial. 3 — *omne tempus modo circa Medeam, ecce nunc circa Thyesten consumas.*

CIRCUMDARE transl., ut Cic. ait „*egredi cancellos, quos mihi ipse circumdedi*" Quintil. „*auctoritatem alicui circumdare,*" et, quem locum praetermisit Forcellin., Liv. 21, 43 „*nescio an majora vincula majoresque necessitates vobis quam captivis vestris fortuna circumdederit.*" Ann. 14, 15 *nec ulla moribus olim corruptis plus libidinum circumdedit quam illa conluvies;* cp. 53 *tu gratiam immensam, innumeram pecuniam*

circumdedisti (mihi); 12, 25 *Britannici pueritiam robore circumdaret*; 16, 25 *pavidos supremis suis secretum circumdare*; Hist. 4, 11 *qui principatus inanem ei famam circumdarent*; cp. 45 *planctum et lamenta et supremorum imaginem praesenti sibi circumdata*; cp. 62 *alii, nullâ dedecoris curâ, pecuniam aut carissima sibimet ipsi circumdare*; Dial. 37 *hanc illi famam circumdederunt*; Agric. 20 *egregiam famam paci circumdedit*, ubi Walch. apte confert ex Isocr. et Luciano *περιβάλλειν* et *περιτιθέναι*.

CIRCUMFLUUS passive de eo qui circumfluitur, ut haud raro apud poetas, Ann. 6, 37 *campi Euphrate et Tigre, inclutis amnibus circumflui.* Cf. circumjectus.

CIRCUMGREDI = circum adgredi ap. solum Tacitum (ap. Aurel. Vict. et Ammian. idem est quod circumire) Ann. 1, 64 *barbari — circumgrediuntur, occursant*; 12, 28 *ne hinc Romanus, inde Cherusci — circumgrederentur.*

CIRCUMJECTUS (*aliqua re*) = circumdatus, cinctus ap. unum Tacitum Ann. 2, 11 *in planitiem saltibus circumjectam.* Cf. circumfluus.

CIRCUMIRE praeter vulgarem sign., qua aut proprie sumitur aut idem est quod ambire, apud Tacitum et Quintilianum *περίφρασιν* exprimit, quam circumlocutionem appellat Quintilianus, Hist. 3, 37 *Vespasiani nomen suspensi et vitabundi circumibant.* Cf. Qnintil. 8 prooem. 24 *nam et, quod recte dici potest, circumimus amore verborum, et, quod satis dictum est, repetimus*; ib. 2, 17 *ducti specie nitoris circumeunt omnia copiosa loquacitate*; 12, 10, 34 *res plurimae carent appellationibus, ut eas necesse sit transferre, aut circumire.* V. Terent. And. 1, 2, 31 *ita aperte ipsam rem modo locutus nil circumitione usus es.*

CIRCUMLUERE (Liv.) Hist. 4, 12 *quam (insulam) mare Oceanum a fronte, Rhenus amnis tergum ac latera circumluit.*

CIRCUMPONERE (Horat.) Ann. 14, 15 *nemus quod navali stagno circumposuit Augustus*; Hist. 2, 59 *Valentem et Caecinam pro concione laudatos curuli suae circumposuit.*

CIRCUMSIDERE ap. Tacit. et Liv. et secundae et tertiae conjug. verbum (vulg. circumsedere s. circumsidĕre) Ann. 3, 38 *Philippopolim — circumsidunt*; 1, 70 *quos hostis circumsidet*; cp. 42 *filium imperatoris vestri vallo et armis circumsedistis*; 15, 5 *socium amicumque regem cohortes Romanas circumsidĕre (circumsidēre).*

CIRCUMSPECTARE (omnibus Tacito frequentatis sign. etiam Cic., Liv. al., sed minus saepe) Ann. 4, 69 *etiam muta atque inanima, tectum et parietes circumspectabantur*; Hist. 2, 74 *Vespasianus bellum armaque et procul vel juxta sitas vires circumspectabat; 4, 8 vultus quoque ac sermones omnium circumspectans; 1, 55 initium erumpendi circumspectabant; 2, 29 torpere cuncti, circumspectare inter se adtoniti; 3, 73 fugam et fallendi artes circumspectabant;* Agric. 32 *trepidos — ignota omnia circumspectantes.*

CIRCUMSTARE translate, ut apud priores quoque saepius quam vulgo creditur: Hist. 1, 17 *circumsteterat palatium exspectatio; 4, 79 circumsteterat Civilem et alius metus;* Dial. 8 *paupertas et angustia rerum nascentes eos circumsteterunt.* Cf. praeter locos a Forcellin. allatos (Cic. Phil. 10, 10; Verr. Act. 1, 17; Plin. Pan. 3; Sil. 8, 171) Liv. 6, 2 *cum tanti undique terrores circumstarent;* cp. 9 *cum anceps terror Etruscos circumstaret;* 25, 34 *anceps proelium Romanos circumsteterat;* 30, 3 *belli opera — multa simul undique eum circumstabant;* 34, 27 *tantum belli circumstat tyrannum;* 42, 65 *anceps Romanos terror circumstabat;* Seneca de brev. vit. 2 *urgentia circumstant vitia undique.*

CIRCUMSTREPERE v. obstrepere.

CIRCUMVADERE, ut singulis locis ap. Livium, Plin. maj., Ammian., Ann. 12, 43 *Claudium circumvasere clamoribus turbidis.*

CIRE, CIERE Tacito frequentantur, magnam partem poetico more, ut Ann. 15, 33 *quos — ejus rei fama civerat* (i. e. acciverat); cp. 38 *ignis — vento citus* (i. e. concitus; v. tamen infra), et ubi idem est quod vocare Ann. 1, 21 *ciere — nomina singulorum;* 2, 81 *singulos nomine ciens;* insolentius etiam dictum Hist. 3, 62 *novos exercitus ciere* (i. e. contrahere); e more Livii, Velleji aliorumque h. generis scriptorum Ann. 3, 41 *pugnam pro Romanis ciens;* 15, 59 *arma contra cieret;* Hist. 3, 41 *novum bellum cieret.* — Adjectivum citus et ipsum ap. Tacitum et poetas saepius quam ap. Cic., Livium, Sall., et alios nonnullos solutae orat. scriptt. invenitur, Hist. 1, 53 *Caecina — animi immodicus, cito* (ita rectius legitur quam scito) *sermone, erecto incessu;* 2, 40 *citus equo Numida;* 3, 16 *citus eques;* cp. 71 *cito agmine forum — praetervecti;* Ann. 2, 6 *naves citae remis;* cujus loci simillimus est supra laudatus Ann. 15, 38 et hanc ob causam huc potius trahendus. Cf. adjectivum.

CIS transl. et praegnante quidem sensu, cujus nulla apud alios exempla esse videntur, Ann. 11, 30 *veniam in praeteritum petens, quod ei cis Vectium, cis Plautium dissimulavisset (adulteria)*, Gronovio interprete „dum Vectiis, dum Plautiis moechis contenta fuit Messalina, dum intra hos et horum similes libidinem stitit.“

CITRA 1) adverb., ut singulis ap. Liv. et Plin. maj. locis, Hist. 3, 23 *tela hostium citra cadebant* 2) praepos. = intra, infra, sine, ut ap. Celsum jam (*citra fatigationem*) et Ovid., sed more hujus maxime aetatis, Ann. 12, 22 *vis Agrippinae citra ultima stetit* (i. e. non in necem Calpurniae duravit); Agric. 1 *nec id Rutilio et Scauro citra fidem aut obtrectationi fuit*; cp. 35 *ingens victoriae decus citra Romanum sanguinem bellanti*; Dial. 27 *judicium animi citra damnum adfectus proferre.* — Walch. ad Agric. 1 p. 109 in comparationem vocavit „*intra gloriam fuit*“ ap. Flor. 1, 3, 5, „*superjacere fidem augendo*“ ap. Liv. 10, 30 collato Graeco loquendi genere ὑπερακοντίζειν πίστιν, et Ovid. ap. Quintil. 12, 10, 75 *ut lana tincta fuco citra purpuras placet.* Cf. etiam Plin. Ep. 2, 1 *citra dolorem*; Quint. 1, 4, 4 *citra musicen*; 5, 64 *citra reprehensionem*, et quos Forcell. et Tursellin. afferunt locos.

CITUS v. cire.

CIVILIS 1) vulgari sign., ut Ann. 14, 60 *civile discidium* (i. e. ut inter cives esse solet); cf. Cic. Mil. 13 *civile odium*. 2) = comis, facilis, quasi eodem cum ceteris civibus jure utens, civiumque non excedens modum, praecipue de principum comitate et modestia: Ann. 1, 8 *legata (Augusti) non ultra civilem modum*; cp. 12 *tanquam ducta in matrimonium Vipsania plus quam civilia agitaret*; cp. 33 *juveni civile ingenium*; 2, 34 *Tiberius hactenus indulgere matri civile ratus*; 3, 22 *quod alii civile rebantur*; Hist. 4, 3 *Vespasianus — civilia de se loqui*; Ann. 3, 76 *quod* civiliter *acceptum*; 4, 21 *quae in praesens Tiberius civiliter habuit*; Hist. 2, 91 *comitia — civiliter celebrans.* — Ita saepissime Suetonius, qui substantivo etiam utitur hoc sensu. Sed non desunt priorum quoque exempla. Cf. Liv. 27, 6 *neque magistratum continuari satis civile esse ajebant*; 33, 46 *non civiliter nimiis opibus utebantur* (Carthag. judices); Vellej. 2, 40 *eo gratior civilis tanti imperatoris reditus fuit*; Ovid. Trist. 4, 4, 13 *ipse pater patriae, quid enim civilius illo*; Met. 12, 583 *exercet memores, plus quam civiliter, iras* (Neptunus).

CLAMITARE Livio, Ciceroni, aliis frequentata vox, sed minus usit. juncturis Tacito Ann. 3, 23 *tantum misericordiae permovit, ut effusi in lacrimas saeva et detestanda Quirino clamitarent;* (i. e. cum clamore imprecarentur) Hist. 3, 10 *proditorem, interceptorem donativi (eum esse) clamitabant.* V. ellipsis verbi in Proleg.

CLARITUDO Ann. 1, 28; 3, 65; 4, 6; 14, 47; 15, 52. 65. 71; 16, 7. 17. 24; Hist. 1, 85; 2, 78; 3, 86 et saepius; sed claritas quoque, minus tamen, ut videtur, Tacito frequentatur (cf. Hist. 3, 39; Germ. 34; Agric. 45). Cicero hanc solam usurpat vocem, sed non vituperaret illam antiquiorem, cum ipse dicat N. D. 1, 34 „*ista sive beatitas sive beatitudo dicenda sit, utrumque omnino durum, sed usu mollienda nobis verba sunt,*" idemque usus sit similibus (invent. 1, 18 concinnitudo; de rep. 4, 8 sanctitudo). Claritudo legitur etiam ap. Sall. Jug. 7; Vellei. 2, 11. 17. 130; Cat. orig. 2 et saepius; ita ap. eundem duritudo; ap. Sisennam (ed. Cort. p. 60 sq.) crebritudo; ap. Plaut. Aul. 4, 10, 2 moestitudo; Capt. 1, 2, 32 macritudo. — Ejusdem generis est firmitudo vox saepius a nostro quam a Cicerone, Livio, aliis usurpata, ut Ann. 3, 6; 4, 8; 6, 46; 15, 62.

CLASSICUS 1) ad classem partinens, unde ap. Liv. 21, 61 classici milites, ap. Curtium et Tacit. simpliciter classici, (sed classiarii etiam dicuntur ap. nostrum non minus quam ap. Caes., Nep., alios, e. g. Ann. 12, 56; 14, 8) Hist. 1, 31 *legioni classicae diffidebatur;* cp. 36 *universa classicorum legio sacramentum ejus accepit* (v. Ern. ad h. l.); 2, 11 *classicorum ingens numerus;* cp. 67 *prima classicorum legio;* 1, 17 *centum equites ac mille classici;* 3, 55 *secuta e classicis legio.* 2) classicum canere (a calando i. e. vocando) dicendi formula notissima, explicatione eget Ann. 2, 32 „*cum classicum canere jussissent, more prisco advertere* (in P. Marcium extra portam Exquilinam)." De hoc more Varro et Seneca agunt, ille 5, 9 (?) „*Quo die comitia erunt, in arce classicum canat, endo circumque moeros, et ante privati hujusce T. Quinctii Trogi scelerosi hominis hosticum canat, et ut in campo cum primo luci adsit.*" Sen. de ira 1, 16, 4 ubi praetoris judicio capitali praesidentis munus describitur „*convocanda classico concio est.*" Classico igitur populus convocabatur, ut supplicii spectaculo interesset. V. Lips. ad locum Taciti. Minus recte huc retulit Sen., Epist. 17, 3; ibi enim non de supplicio, sed de hoste imminente agitur.

CLAVARIUM ἅπαξλ. Hist. 3, 50 *seditiosae militum voces terrebant, clavarium, donativi nomen est, flagitantium.* dabatur militibus ad parandos clavos caligarum soleis suffixos. Ejusdem generis est vasarium, calcearium, et congiarium etiam, cujus creberrima mentio fit.

CLAUDUS Ann. 2, 24 *claudae naves*, Rupert. interprete „quibus remi erant detersi vel fracti ab altera parte, ut ab una tantum parte remigio agi possent.“ V. Liv. 37, 24 *claudas mutilatasque naves apertis navibus remulco trahentes* (cf. cp. 30 sub fin. quae explicationi optime inserviant); Virg. Aen. 5, 271 *amissis remis atque ordine debilis uno Irrisam sine honore ratem Sergestus agebat;* deinde serpenti adsimilatur navis „*cujus pars vulnere clauda;*“ Curt. 9, 35 *clauda et inhabilia navigia.*

CLAUSTRA (sing. claustrum ap. Curt. legitur 4, 24; 7, 26) vox et ap. alios haud rara et maxime Tacito frequentata Ann. 2, 59 *claustraque terrae ac maris* (i. e. totius imperii, non, ut quidam interpretantur, Aegypti, sed alio sensu quam cp. 61 et Hist. 2, 82, eo potius, quo exhibetur Hist. 3, 8 et 3, 43); cp. 61 *exin ventum Elephantinen, claustra olim Romani imperii, quod nunc* (Trajano imperante) *rubrum ad mare patescit;* Hist. 3, 8 *Aegyptus — claustra annonae;* 2, 82 *claustra Aegypti* (Pelusium, Paraetonium, Alexandria); 1, 6 *claustra Caspiarum;* 3, 43 *Forojuliensium coloniam, claustra maris, praesidio tuebatur;* cp. 2 *quid tum claustra montium profutura?* Ann. 5, 8 *claustra aerarii;* 4, 49 *contrahere claustra* (i. e. praesidia, quibus cinctum erat castellum). Cf. quae omisit Forcellin. Cic. Verr. 5, 32 *claustra loci;* Hirt. b. Alex. 26 *tota Aegyptus maritumo accessu Pharo, pedestri Pelusio velut claustris munita existimatur;* Liv. 45, 11 *Pelusium — claustra Aegypti;* 31, 48 *quae (coloniae) velut claustra ad cohibendos Gallicos tumultus oppositae fuissent;* (similiter 32, 21; 42, 67; 44, 7; 37, 14. 15; 25, 11; et praeterea haud raro idem ap. Liv. valet quod porta et carcer); Curt. 4, 33 *claustra Nili fluminis* (Pelusium et Canopus); Sen. Ep. 70 *servitutis humanae claustra perrumpere;* Plin. Ep. 2, 10 *enotuerunt quidam tui versus et invito te claustra tua fregerunt.*

CLEMENTER ad colles montesque refertur, ut ap. Colum. et ejusd. aet. poetas Ann. 12, 33 *si qua clementer accedi poterant;* 13, 38 *colles — clementer adsurgentes;* Hist. 3, 52 *si qua Apennini juga clementius adirentur;* Germ. 1 *Danubius*

molli et clementer edito montis Abnobae jugo effusus, ibique Hess. qui in compar. vocat *leniter.*

CLIENTELAE v. Abstracta.

CLIPEUS = imago clipeo impressa Ann. 2, 83 *cum censeretur* (*Germanico*) *clipeus auro et magnitudine insignis inter auctores eloquentiae, adseveravit Teberius solitum paremque ceteris dicaturum* (cf. cp. 37 *modo Hortensii inter oratores sitam imaginem modo Augusti intuens*; Suet. Calig. 3 *oravit causas Germanicus etiam triumphalis* et quae praecedunt *ingenium in utroque eloquentiae doctrinaeque genere praecellens*). Hic mos imperatorum maxime temporibus obtinuit, non ignotus tamen reipublicae aetati. V. Plin. H. N. 35, 4 *Scutis, qualibus apud Trojam pugnatum est, continebantur imagines, unde et nomen habuere clipeorum;* Suet. Dom. 23 *Senatus adeo laetatus est* (morte Domitiani), *ut — etiam clipeos et imagines ejus coram detrahi et ibidem solo affligi juberet;* Calig. 16 *inter reliquos honores decretus est ei clipeus aureus, quem quotannis certo die collegia sacerdotum in Capitolium ferrent, senatu prosequente;* Trebell. Claud. 3 *Illi clipeus aureus, vel, ut grammatici loquuntur, clipeum aureum, senatus totius judicio, in Romana curia collocatum est; ut etiam nunc videtur* expressa thorace vultus ejus imago; Inscr. Grut. p. 374: *Huic decuriones funus publicum, statuam equestrem, clupeum argenteum, locum sepulturae decreverunt.* — Plin. H. N. 35, 3 *Suorum vero clipeos in sacro vel publico privatim dicare primus instituit, ut reperio, Ap. Claudius, qui consul cum Servilio fuit a. U. 259;* Liv. 35, 10 *ex ea pecunia clipea inaurata in fastigio Jovis aedis posuerunt;* cf. cp. 41 et 38, 35. Ita Carthaginienses quoque imagines habebant scutis impressas: Liv. 25, 39 *in praeda fuisse clipeum argenteum pondo centum triginta octo cum imagine Barcini Hasdrubalis.* Vide ad h. l. Drakenb. — Oberl. ad Ann. 2, 83: „tales clypeos, exstantibus protomis insignes videsis in Bronzi di Ercolano 1, item in Le Plat. Marbres antiques de Dresde.“ V. Lips. Exc. n.

CLUDERE (plerumque claudere etiam ap. Tacitum) Hist. 1, 33 *cludit;* Germ. 45 *cluduntur;* Dial. 30 *cluditur.* Cf. auct. belli Hisp. 1 *cludebant;* Curt. 6, 16 *cludunt;* 8, 2 *clusi* (plur.); Quintil. 7, 2, 44; 9, 3, 86; 4, 18 et saepius. Vide etiam Hess. ad Germ. 34.

COACTOR sign. peculiari qui claudit agmen Hist. 2, 68 *erant agminis coactores.*

COALESCERE „ab arboribus, quae, surculis aliarum arborum insitis, tum crescunt, tum concrescunt: unde coalescere metaph. vel augeri et crescere.“ Rup. ad Ann. 13, 26. Rarius multo apud ceteros omnes, et priores et aequales haec vox legitur, quae idem valet quod concrescere, simul crescere, viribus conjunctis accrescere, corroborari Ann. 3, 38 — *validae nationes arma cepere ducibus diversis — quae causa fuit, ne in bellum atrox coalescerent;* 6, 44 *disjectos et fessos — ne animo quidem satis ad obsequium coaluisse;* 11, 24 *terrae gentes in nomen nostrum coalescerent;* 13, 26 *coalitam libertate irreverentiam;* 14, 1 *vetustate imperii coalita audacia;* Hist. 1, 21 *dum Galbae auctoritas fluxa, Pisonis nondum coaluisset;* 2, 7 *victores victosque nunquam solida fide coalescere;* cp. 37 *neque exercitus — in hunc consensum potuisse coalescere;* 4, 55 *coalita libertate* (i. e. sensim aucta); cp. 74 *compages haec coaluit.* Cf. locos a Forcell. omissos Sall. Jug. 87; Liv. 29, 31; 1, 11; 23, 35 (*concordia coaluerunt animi*).

COARCTARE proprie et translate ap. argent. aet. scriptores saepius legitur quam ap. priores, qui praeter coarctare iter haud multa exhibent h. vocis exempla, et translate quidem semel dumtaxat usurpasse videtur Cicero (de oratione). Dial. 39 *cum tot pariter ac tam nobiles forum coarctarent;* Hist. 2, 71 *coarctati aliorum consulatus.*

CODICILLI praeter vulg. sign., qua idem fere valet quod epistola, plerumque tamen ita, ut non justam epistolae formam codicillos habuisse indicetur (v. Forcell.), ap. Tacitum ejusque aequales denotat etiam speciatim 1) libellum, quo quis ultimam consignavit voluntatem, ubi justi testamenti faciendi copia non erat, Ann. 15, 64 *sine ullo funeris solenni crematur; ita codicillis praescripserat;* 16, 17 *scriptis codicillis, quibus grandem pecuniam in Tigellinum — erogabat, quo cetera manerent.* Cf. Plin. Ep. 2, 16 *codicillos — pro non scriptis habendos, quia non sint confirmati testamento.* 2) libellum supplicem vel preces saltem exprimentem Ann. 6, 9 *precatus per codicillos, inmiti rescripto, venas resolvit;* 3, 67 *ausis ad Caesarem codicillis, quibus invidiam et preces miscuerat;* 4, 39 *componit ad Caesarem codicillos; moris quippe tum erat quamquam praesentem scripto adire* (cf. Sen. Ep. 55 sub fin.) 3) scriptum quo princeps alicui officium mandat (Suet.) Ann. 1, 6 *is ad tribunum miserat codicillos* (fatales); cf. Herodian. 3, 11, 9 ὁ

δὲ Σατουρνῖνος γραμματεῖον ᾔτησε — ἵνα μή, γιγνόμενον, ᾖ ἀκατασήμαντον. 4) cujusvis generis libellum Ann. 11, 84 *simul codicillos libidinum indices tradidit.*

COEPISSE 1) absolute de initio orationis, poetarum more: Ann. 2, 37 *ad hunc modum coepit.* Cf. Virg. Aen. 1, 521 *Maximus Ilioneus placido sic pectore coepit;* Liv. 28, 27 *tum ita coepit.* 2) minus initium quam originem designat Ann. 15, 54 *proditio coepit e domo Scevini;* cp. 68 *Neronis odium adversus Vestinum ex intima sodalitate coeperat.* — Similia haud dubie invenies ap. alios. 3) ut coeptum non solum est rei inceptae initium, sed ipsam rem indicat, ita coeptus nostro interdum idem valet quod factus, institutus: Ann. 1, 50 *limitem a Tiberio coeptum scindit;* 4, 62 *coepto apud Fidenam amphitheatro;* 11, 1 *a Lucullo coeptos* (hortos) 4) nec minus apud Tacitum quidem coeptus posit. esse videtur pro ortus, exortus: Ann. 1, 65; 3, 15; 15, 55 *coepta luce;* 2, 13 *nocte coepta;* 4, 25 *simulque coeptus dies et — aderant;* 12, 31 *coepta hieme.* Cf. adpetere. De participio conjuncto cum infinitis passivis v. Infinit.

COEPTARE apud alium nullum crebrior vox, saepe de irrito conatu (cf. factitare) et de seditionibus concitandis i. q. moliri (cum accusat. etiam ap. Terent. conjunctum legitur) Ann. 1, 38 *coeptavere seditionem vexillarii;* cp. 45 *primi seditionem coeptaverant;* cp. 56 *Romanos pontem coeptantis arcebant;* 2, 81 *seditionem coeptabat;* 4, 27 *coeptantem cum maxime conjurationem disjecit* (ita intrans. Solin. „*coeptante septima Olympiade*“ et Ammian. „*nocte coeptante*“); 12, 32 *paucis qui arma coeptarant interfectis, in reliquos data venia resedere;* Hist. 2, 29 *inmissis lictoribus Valens coercere seditionem coeptabat* (frustra); cp. 41 *incertum fuit, insidias an proditionem vel aliquod honestum consilium coeptaverint;* 3, 4 *coeptante legionum motu;* cp. 10 *obturbatur militum vocibus Aponius, cum loqui coeptaret;* cp. 70 *antequam invicem hostilia coeptarent;* cp. 73 *Flavium Sabinum inermem neque fugam coeptantem circumsistunt;* cp. 81 *coeptabat* (irrito et ridiculo conatu) *permixtus manipulis — armatos monere;* 4, 44 *patres coeptatam libertatem, postquam obviam itum, omisere;* 5, 10 *comprimere* (*bellum*) *coeptantem — legatum varia proelia ac saepius adversa excepere.*

COERCITIO = castigatio, poena, vox argenteae maxime aetatis, sed ap. Livium etiam (4, 53) et Vellejum (2, 47) ob-

via: Ann. 3, 26 *sine poena aut coercitionibus*; cp. 52 *num coercitio plus damni ferret.*

COETUS saepius quam ap. alios de partium conjurationibus ac seditionibus usurpatur, eo quoque recedens a vulgari usu, quod absolute nonnunquam ponitur. Ann. 1, 16 *procax linguâ et miscere coetus histrionali studio doctus*; cp. 76 *cur abstinuerit spectaculo ipse, varie trahebant: alii taedio coetus, quidam tristitiâ ingenii cet.*; 3, 40 *per conciliabula et coetus seditiosa disserebant*; 4, 27 *coetibns clandestinis ad libertatem vocabat servitia*; cp. 41 *ne adsiduos in domum coetus arcendo infringeret potentiam* (*suam Sejanus*); 5, 7 *multo adhuc coetu et cunctis intrepidum vultum ejus spectantibus*; 13, 18 *ne coetu salutantium frequentaretur, separat domum*; Hist. 4, 45 *pulsatum se in colonia Senensi coetu multitudinis.* — De peculiari illa signif. cf. Liv. 39, 14 *ne qui nocturni coetus fierent*; Cic. Sull. 28 *in parricidarum coetum aliquem transferre*; p. red. in sen. 7 *cum hoc tu* coire *ausus es* (v. ibi interpretes); Harusp. resp. 26 coitio *hominum*; Liv. 2, 35 *coitiones*; 9, 26 *qui usquam coissent conjurassentve*; Epit. 71 *eorum* coitus *conjurationesque.*

COGNOMENTUM i. q. cognomen (Hist. 2, 43), sed saepius quam a prioribus saltem a Tacito usurpatum, minime vero, quod quidam perhibent, plane idem valet ap. nostrum quod nomen, sed non secus quam ap. ceteros appellationem designat praeter solitum nomen alicui additam, vel pluribus communem, quamquam minus patet hoc discrimen quibusdam locis. Ann. 2, 6 *Rhenum — verso cognomento Vahalem accolae dicunt*; cp. 60 *eos, qui postea pari virtute fuerint, in cognomentum ejus* (*Herculis Aegyptii*) *adscitos*; 4, 65 *montem eum antiquitus Querquetulanum cognomento fuisse*; 2, 9 *erat is* (*Arminii frater*) *in exercitu cognomento Flavius* (cum antea Germanico nomine usus esset); 12, 26 *augetur et Agrippina cognomento Augustae*; cp. 55 *Agrestium Cilicum, quibus Clitarum cognomentum*; 15, 74 *mensis Aprilis Neronis cognomentum acciperet*; 1, 23 *centurionem cognomento Sirpicum.* Cf. Cic. fin. 2, 5 locum a Forcell. omissum. V. vocabulum.

COHERES Agric. 43 *coheredem optimae uxori — Domitianum scripsit.* — Usi sunt hac voce Cic. etiam et Horat. quibusdam locis.

COHIBERE praeter vulg. usum 1) = regere ap. unum Tacitum (cf. temperare poetis maxime frequentatum) Hist. 1, 11 *duae Mauretaniae, Raetia — et quae aliae procurato-*

ribus cohibentur. 2) peculiari constr. Ann. 2, 10 *quo minus pugnam consererent ne flumine quidem interjecto cohibebantur;* cp. 24 *Germanicum — vix cohibuere amici quominus eodem mari oppeteret.*

COHORS praeter vulg. usum 1) „de amicis, propinquis doctisque hominibus, quos viri summi et locupletes, etiam privati, tum Romae domi suae habebant alebantque, tum in provincias secum et expeditiones ducebant, ut ipsorum convictores et contubernales essent, otiumque ipsis jucunde fallerent. Illa est aulica et urbana cohors, hi proprie comites dicuntur" Rup. ad Ann. 1, 29 *e cohorte Drusi;* 6, 9 *quem Druso fratri percarum in cohortem suam transtulerat;* 3, 13 *maxime in comites et amicos Germanici saevisse;* 2, 2 *Graeci comites;* 11, 21 *sectator quaestoris, cui Africa obtigerat.* Cf. Cic. Verr. 3, 29 *Ex quo judicum numero? Ex cohorte praetoris praeclara hominum honestissimorum;* Curt. 6, 5 *cohors amicorum.* 2) cohors praetoria (ita constanter Tacit., nunquam praetoriana, ut Suet. Tib. 37; Cic. Fam. 10, 30; Plin. H. N. 9, 5, qui tamen alteram etiam formam exhibent; sed praetorianum *vexillum* ap. nostrum legitur) qualis jam inde a Scipionum temporibus praetorem i. e. ducem comitabatur (cf. Lips. de Milit. Rom. 1, 4; Held. ad Caes. B. C. 1, 75; Moeb. ad B. G. 1, 40; Cic. Catil. 2, 11) Ann. 2, 16 *noster exercitus sic incessit: auxiliares — dein quattuor legiones et cum duabus praetoriis cohortibus ac delecto equite Caesar.* — Praetoriani igitur milites s. praetoriani, quales ex Augusti instituto perpetui erant principum satellites proprie sunt milites qui apud praetorem s. in praetorio versantur. Cf. inter alios quam plurimos locos Ann. 4, 5 *quamquam insideret urbem proprius miles, tres urbanae,* novem praetoriae cohortes, Etruria ferme Umbriaque delectae aut vetere Latio et coloniis antiquitus Romanis. — Tiberius propria ad ipsam urbem castra praetorianis exstruenda curavit a. C. 23 (Ann. 4, 2), antea per urbem dispersis. Quorum potentia et lascivia quomodo ipsum principatum perturbaverit notum est omnibus vel ex ipsis rerum Romanarum breviariis. Cohortes urbanae Ann. 1, 8 „*cohortes civium Romanorum*" appellantur. Cohortes vigilum Hist. 3, 64 et saepius commemorantur, et ipsae ab Augusto institutae. V. Lips. ad illum locum. 3) cohors togata quae dicitur Hist. 1, 38 praetorianos designat milites, togis indutos non sagis, et sine armis, gladiis tantum lanceisque instru-

instructos, ne Mars palam habitare videretur, in ipsa urbe, excubantes. Ita Lips. ad h. l., additque e Capitolini vita M. Antonini (cp. 27) „*Per Brundisium veniens in Italiam, togam et ipse sumpsit, et milites togatos esse jussit nec unquam sagati fuerunt sub eo milites.*"

COLLOCARE, COLLOCATIO verbor. v. s. CONL.

COLORARE (Cic. „*colorare corpora, colorari sole;*" Virg. aliique poetae „*colorati Indi, Seres, Etrusci*") Agric. 11 *Silurum colorati vultus.* V. Walch. ad h. l.

COMETES Ann. 14, 22 et 15, 47 *sidus cometes*; ita Justin. *stella cometes;* Plin. maj. absolute *cometes* non adjuncta sideris vel stellae notione. Cf. Cic. N. D. 2, 5 *stellae, quas Graeci cometas, nostri crinitas vocant.*

COMITARI sine casu, praeeunte Virg. Aen. 3, 660 *Lanigerae comitantur oves, ea sola voluptas*; Hist. 3, 41 *eo metu, et paucis, quos adversa non mutaverant, comitantibus — flexit in Umbriam;* Germ. 46 *passim enim comitantur;* Agric. 9 *ad spem consulatus revocatus est, comitante opinione, Britanniam ei provinciam dari.* — Haec exhibet Walch. ad locum Agric. V. plurima, si non omnia hujus usus exempla e Taciti libris collecta in Verbo.

COMMANIPULARIS (Inscript. ap. Gruter.) Hist. 4, 46 *prensare commanipularium pectora.*

COMMEARE et crebro, et ultro citroque ire Ann. 4, 41 *litterarum magna ex parte se arbitrum fore, cum per milites commearent;* 2, 28 *congressus abnuit, posse enim eodem Flacco internuntio sermones commeare* (cf. Cic. Att. 8, 9 *crebo illius litterae ab aliis ad nos commeant;* Liv. 25, 30 *legatos commeare ultro citroque;*) 1, 46 *an Augustum fessa aetate totiens in Germanias commeare potuisse;* 4, 27 *tres biremes adpulere ad usus commeantium illo mari.* Cf. Caes. B. G. 1, 1 *minime ad eos mercatores saepe commeant.*

COMMILITIUM (Ovid., Vellej., Quintil., Plin. min.) Ann. 1, 60 et Hist. 3, 5 *in commilitium adsciti.*

COMMODARE minus usit. juncturis Ann. 15, 53 *quamvis absurdum videretur — inanem ad spem Antoniam nomen et periculum commodavisse;* Agric. 32 *dominationi alienae sanguinem commodare* (cf. Liv. 34, 12 *ne suas vires, aliis eas commodando, minuat*); cp. 19 *parvis peccatis veniam, magnis severitatem commodare.* — In hoc loco Zeugma esset, nisi apud alios etiam huj. aetatis scriptores commodare amitteret peculiarem significationem, qua idem est quod in gra-

tiam alicujus aliquid praebere, in universum magis accipiendum pro adhibere, dare. V. exempla ap. Forcell. Cf. praestare.

COMMOTUS 1) de seditione Ann. 12, 55 *Cilicum nationes — saepe et alias commotae; 14, 31 commotis ad rebellationem Trinobantibus.* Cf. Sil. 4, 93 *pulvis commotus.* 2) de animo, et absolute quidem, violentiam quandam ingenii designans, cum ceteri plerumque adfectum addant, quo quis concitatus est animo. Sed Cic. jam exemplis quibusdam praeivit, ut Brut. 34 *patronus — paullo fervidior atque commotior.* Ann. 1, 33 *Agrippina paullo commotior; 2, 28 non verbis commotior; 4, 3 Drusus impatiens aemuli et animo commotior* (cf. 2, 43 *ingenio violentus*); 11, 2 *commoto majorem in modum Claudio.* 3) de perturbato rerum, et animi etiam statu Ann. 4, 52 *Romae commota principis domo; 6, 17 hinc inopia rei nummariae commoto simul omnium aere alieno* (Forcell. interprete: pecuniae fenebris ratio perturbata seu periculum amissionis pecuniae creditae); 6, 45 *etsi commotus ingenio* (i. e. mentis viribus debilitatis) *simulationum tamen falsa in sinu avi perdidicerat.* — Similiter Cicero *commotas columnas*, Virg. *commota sacra*, Horat. *mentem commotam* exhibet.

COMMUNICARE absolute Agric. 8 *sed primo Cerialis modo labores et discrimina, mox et gloriam communicabat.* Walch. e Thucyd. 1, 39 in comparationem vocat *κοινωνεῖν* et *μεταδιδόναι.* Apud Latinos vix alia exempla repereris.

COMMUNIS, in commune, v. accusat.

COMPARATIO v. adject.

COMPENDIUM = via compendiaria Ann. 2, 55 *compendia maris* 12, 28 *qui dextris et propioribus compendiis ierant.* Cf. Flor. 3, 3, 7 *Marius mira statim velocitate occupatis compendiis praevenit hostem;* Plin. H. N. 6, 26 *diu ita navigatum est, donec compendia invenit mercator;* Plin. Pan. 95 *cum viderem, quae ad honores compendia paterent, longius iter malui;* Quint. 4, 2, 46 *amoenum ac molle iter, etiamsi est spatii amplioris, minus fatiget, quam durum aridumque compendium.*

COMPERENDINATIO (Plin. min., Sen., Gell.) Dial. 38 *liberae comperendinationes erant*, i. e. dilationes judicii. Cic. aliquot locis exhibet comperendinatus, us.

COMPETERE a con petere i. e. quasi pari ingressu tendere, inde congruere, parem esse, gleichen

Schritt halten. 1) constare, satis virium habere Ann. 3, 46 *neque oculis neque auribus satis competebant*; Hist. 3, 73 *veluti captus animi non lingua non auribus competere*. Cf. Liv. 22, 5 *ut vix ad arma capienda — competeret animus*; Sall. Hist. 1 p. 953 ed. Cort. *neque animo neque auribus aut lingua competere*; Liv. 5, 42 *non mentibus solum consipere, sed ne auribus quidem atque oculis* satis constare *poterant*. 2) congruere, consentire Hist. 2, 50 *finem oraculi cum Othonis exitu competisse*. Cf. Plin. H. N. 2, 47 *competit — omnibus*, i. e. omnes consentiunt.

COMPLEMENTUM Ann. 3, 38 *majestatis crimen tum omnium accusationum complementum*. Ita praeterea uno tantum loco Cic. Orat. 69 *Apud alios autem (oratores) et Asiaticos maxime, numero servientes, inculcata reperias inania quaedam verba quasi complementa numerorum.*

COMPONERE, COMPOSITUS Tacito maxime frequentantur, et in universum quidem congruenter cum priorum usu, sed maxima significationum varietate. 1) sign. ad propriam (ut *lignum aridum componere* ap. Horat.) proxime accedente = coacervare Hist. 2, 55 *in senatu longis aliorum principatibus composita statim decernuntur*. 2) sensu judiciali i. q. committere coram judice (confrontiren), ut ap. Ciceronem et alios simili modo dicitur componere gladiatores, Ann. 15, 51 *cum indice composita*; 16, 10 *quod ubi cognitum reo, seque et libertum pari sorte componi*. 3) collocare, suo loco disponere (Cic., Liv., aliis freq.) Ann. 2, 78 *concurrentes desertores per manipulos componit*; 3, 38 *plurimi ac maxime compositi regem — circumsidunt*; 4, 47 *hostem — compositum jam per angustias*; cp. 73 *qui jam acie compositi*; 12, 29 *auxilia pro ripa componeret*; 13, 40 *viae pariter et pugnae composuerat exercitum*; Hist. 1, 87 *reliquos — in numeros legionis composuerat*; 3, 35 *vagos paventesque Vitellianos sua quemque apud signa componunt*; 4, 16 *Batavos propriis cuneis componit*; cp. 35 *licentiâ vagos compositus invadit*; Germ. 6 *acies per cuneos componitur*. De rhythmo et numero igitur Ann. 16, 4 *certis modis plausuque composito*. 4) in ordinem certum justumque redigere res, ut apte inter se cohaereant et congruant atque inde coalescant, ut ap. priores haud raro res componere Hist. 1, 89 *ex quo divus Augustus res Caesarum composuit*; cp. 33 *non exspectandum ut (Otho) compositis castris* (i. e. rebus suis in castris ordinatis, mili-

tibus in partes suas tractis) *forum invadat;* Ann. 5, 1 *cum artibus mariti, simulatione filii bene composita (Livia);* Agric. 4 *Massilia, locus Graeca comitate et provinciali parsimonia mistus ac bene compositus.* (Cf. Walch. ad h. l. et ejusd. Emendd. Livv. p. 156; locis e tragicis Graecorum poetis ab eo allatis adde Ajacis v. 895 *ὁρῶ Τέκμησσαν οἴκτρῳ τῷδε συγκεκραμένην*). Hinc compositus dicitur de ingenio et indole a natura insita alicui Hist. 2, 5 *Titus — naturâ atque arte compositus alliciendis etiam Muciani moribus.* Cf. Sen. Ep. 44, 4 *Quis ergo generosus? ad virtutem bene a natura compositus;* Quintil. 2, 8, 7 *erit alius historiae magis idoneus, alius compositus ad carmen;* 6, 3, 18 *Attici maxime ad risum compositi;* similiter 9, 4, 114 *in hoc nos componet multa scribendi exercitatio.* Cf. n. 8. 5) de rebus ad artes litterasque pertinentibus et de ordinandis rebus familiaribus rationibusque computandis (Cic., Liv., alii eodem modo. Cf. Ruhnk. ad Vell. 1, 3) Ann. 1, 1 *Neronis res — recentibus odiis compositae sunt;* 4, 32 *qui veteres populi Romani res composuere;* cp. 34 *quorum res gestas cum plurimi composuerint;* 5, 4 *componendis patrum actis delectus;* 6, 16 *rationes familiares quisque componerent;* cp. 38 *supremis tabulis multa et atrocia in Macronem — composuit;* 11, 37 *componere preces;* 16, 14 *repertis quae de ortu vitaque Ostorii Scapulae composita erant;* Hist. 1, 4 *antequam destinata componam;* 2, 101 *scriptores temporum, qui — monumenta belli hujusce composuerunt,* Agric. 3 *non tamen pigebit — memoriam prioris servitutis — composuisse.* Hist. 3, 53 *litteras ad Vespasianum composuit jactantius quam ad principem;* Ann. 15, 8 *reduxit exercitum, composuitque ad Caesarem litteras quasi confecto bello, verbis magnificis, rerum vacuas;* cp. 13 *litteras ad Vologesen non supplices, sed in modum querentis composuit* (i. e. ipse quasi compositus in speciem querentis; nam his omnibus locis litteras componere non idem valet quod scribere litteras, sed artem quandam et simulationem involvit. V. infra n. 8). — Hist. 5, 5 *animalia effigiesque compositas venerantur;* Ann. 15, 34 *per compositos cantus grates diis — celebrans.* 6) = sedare, pacare, reconciliare, minus saepe ap. priores solutae orat. auctores, ap. poetas et aequales haud raro: Ann. 1, 7 *vultu composito, ne laeti excessu principis neu tristiores primordio* (viderentur;) 2, 34 *compositus ore et sermonibus variis tempus atque iter ducens.* Cf. Plin. Ep. 3, 16 *siccis*

oculis, composito vultu redibat, (quae omnia etiam ad n. 8 referri possunt, cum his locis compositus non veram sed simulatam animi tranquillitatem et aequabilitatem vultu expressam designet); Ann. 3, 1 *illic paucos dies componendo animo insumit;* 4, 42 *ut — aegre componeret animum;* 6, 46 et 13, 1 *composita aetas* (gesetztes Alter); 2, 4 *C. Caesar componendae Armeniae deligitur;* Hist. 3, 53 *neque officere gloriae eorum qui Asiam interim composuerint;* 2, 27 *damnum Vitellianos — ad modestiam composuit* (inest etiam simulationis notio, et idem fere est quod compositi damno ad modestiam. v. infra n. 8.) Ann. 4, 1 *nonus — annus erat compositae reipublicae;* Dial. 36 *composita et quieta republica;* cp. 41 *composita civitas;* Ann. 11, 18 *ubi praesentia satis composita sunt;* 12, 32 *clade Icenorum compositi;* cp. 40 *ut major laus compositis — tribueretur;* 15, 2 *videbar contra vetera fratrum odia et certamina familiae nostrae penates rite composuisse;* cp. 3 *compositius* (lieber mit zu großer Bedachtsamkeit und Ruhe) *quam festinantius agerent;* cp. 9 *quo componeret diversos.* cf. Plin. Ep. 6, 5 *qui — quasi reconciliarent componerentque* (eos); Hist. 1, 85 *compositi ad praesens qui coerceri non poterant;* 4, 50 *Oeensium Leptitanorumque discordias componit.* Cf. Cic. Rosc. Am. 47 *fieri non potuit ut componeretur* (dissensio inter Sullam et Marium). 7) = clam pacisci, machinari, struere (ita Liv. quoque, Sall., Horat., alii) Ann. 3, 40 *ii secretis conloquiis — componunt — Gallos concire* (v. infinit.); 4, 10 *ubi locus veneficii tempusque composita sint;* cp. 68 *compositum inter ipsos, ut Latiaris — strueret dolum;* 12, 54 *componere insidias;* 15, 53 *ordinem insidiis composuerant;* Hist. 4, 14 *compositae seditionis auctores;* cp. 66 *ex composito.* (locutio Livio frequens; v. Drak. ad Liv. 1, 9, 10.) 8) quod ex iis sponte sequitur, quae n. 6 et 7 exposita sunt, compositus idem valet quod speciem alicujus rei praebens arte maxime et simulatione adhibita, fictus igitur, simulatus, saepius ap. nostrum quam apud priores atque etiam aequales. Quaedam, quae huc pertinent, supra jam attigimus n. 5. 6. 7., nam breve nonnunquam est harum significationum confinium. Cf. praeterea Ann. 4, 1 *palam compositus pudor;* cp. 31 *compositus alias — solutius — eloquebatur;* 15, 16 *quae ut augendae infamiae composita, sic reliqua non in obscuro habentur;* 16, 17 *quae composita credebantur de Crispino, quia interfectus erat, de Ceriale, ut interficeretur;* Hist. 1, 7 *fuere qui*

crederent — crimen ac dolum compositum ultro; cp. 34 *compositum auctumque rumorem;* 3, 37 *composita indignatione;* cp. 52 *ita compositus, ut ex eventu rerum adversa abnueret vel prospera agnosceret;* Ann. 11, 27 *sed nihil compositum miraculi causa, verum audita scriptaque senioribus tradam;* Dial. 12 *si haec fabulosa nimis et composita videntur;* Hist. 4, 4 *pauci, quibus conspicua dignitas aut ingenium adulatione exercitum, compositis orationibus adsentiebantur* (in künstlich gesetzten Reden). — Saepe cum in vel ad praepositionibus conjungitur compositus hac sign. Ann. 2, 82 *nihil compositum in ostentationem;* 3, 44 *in securitatem compositus;* Hist. 1, 54 *in squalorem moestitiamque compositi;* cp. 82 *sensit invidiam miles et compositus in obsequium* (sed tamen admixta quadam simulatione, quapropter non ad n. 6 pertinet hic locus) *auctores seditionis ad supplicium ultro postulabat;* 2, 9 *in moesitiam compositus;* 3, 37 *composita in magnificentiam oratione;* Agric. 42 *in adrogantiam compositus.* — Ann. 3, 1 *cunctis ad tristitiam compositis* (sed hic nulla prope simulationis significatio latet. Cf. Sen. de v. beata 1 *ad rumorem componimur* i. e. sequimur rumorem); 13, 20 *compositus ad moestitiam;* Hist. 1, 71 *dissimulata luxuria, et cuncta ad decorem imperii composita.* — Cf. Plaut. Amphitr. 1, 1, 210 *compositis mendaciis advenisti;* Cic. Verr. 3, 61 *compositum crimen;* (Verr. Act. 1, 11 *compositus* est *qui sibi cavet*); Liv. 26, 19 *fuit enim Scipio non veris tantum virtutibus mirabilis, sed arte quoque quadam ab juventa in ostentationem earum compositus;* (cf. locum sub n. 4 laudatum Hist. 2, 5); 28, 26 (36, 28) *sermones de industria compositi;* 38, 17 *omnia de industria composita ad terrorem;* Sall. Jug. 85 *composita oratio — composita verba.* — Quintil. 8 prooem. 23 *ficta atque composita quae curam fatentur* (in oratione); 9, 2, 27 *assimulata et arte composita;* Plin. Pan. 76 *Fortasse imperator in senatu ad reverentiam ejus componebatur, ceterum egressus, statim se recipiebat in principem;* Sen. clem. 2, 1 *vox non composita nec alienis auribus data subito erupit.* 9) = sepelire, ut ap. Horat. aliosque poetas, Hist. 1, 47 *Pisonem Verania uxor, — T. Vinium Crispina filia composuere, quaesitis redemtisque capitibus;* Agric. 45 *paucioribus tamen lacrimis compositus es.*

COMPOSITA apud solum Tacitum obvia v. collecta in Prolegomenis.

CONCAEDES (Veget., Ammian.) Ann. 1, 50 *latera concaedibus munit.*

CONCEDERE 1) = condonare, et ita quidem, ut aliquem concedere alicui dicatur pro vitam alicujus alicui conc., quod apud alios raro inveneris, ut Cic. Marcell. 1 *Marcellum senatui populoque Romano concessisti.* Ann. 2, 55 *quia Theophilum quendam — precibus suis non concederent;* 4, 31 *Cominium — probrosi in se carminis convictum Caesar precibus fratris — concessit;* 16, 33 *Montanus patri concessus est.* Cf. remittere. 2) = cedere i. e. inferiorem esse (Cic. Rosc. Am. 40 et saepius) Ann. 11, 24 *nec amore in hanc patriam nobis concedunt;* Hist. 3, 64 *ne Antonio Varoque de gloria concederent;* 15, 2 *hunc ego eodem mecum patre genitum, cum mihi per aetatem summo nomine concessisset, in possessionem Armeniae deduxi.* 3) = abire, transire, comicis maxime, sed Ciceroni etiam, Livio, aliisque usurpata sign. Ann. 15, 5 *ipse retro concedit;* Hist. 2, 51 *venia statim impetrata concedentibus ad victorem;* Ann. 1, 79 *superstitio valuit, ut in sententiam Pisonis concederetur, qui nil mutandum censuerat;* Hist. 2, 33 *ne quis obviam ire sententiae auderet, in adulationem concesserant.* Cf. Cic. fragm. Acad. *si in illos aut in istos concesserit, ab eis quos deserit insanus — clamabitur.* 4) = mori, concedere vitâ v. in Prolegomenis de varietate stili Tacitei.

CONCERTATOR ap. solum Tacitum Ann. 14, 29 *Corbulonis concertator* i. e. aemulus. Cic. usus est adjectivo concertatorius.

CONCIRE et CONCIERE, illud raro ap. alios, et convocandi et commovendi concitandique significatione Tacito magis quam prioribus ceterisque etiam frequentatur. Hist. 5, 19 *ceteri miseratione ac donis auxilia concibant inter gentes periculorum avidas;* 1, 4 *finis Neronis — omnes legiones ducesque conciverat;* Ann. 17, 17 *adcusatorem concivit Fabium Romanum;* 15, 49 *cujus instinctu concitum sit* (de conjuratione) *quod tam multi sumpserunt;* 12, 15 *concire nationes, inlicere perfugas;* 11, 19 *cur hostem conciret.*

CONCITOR (Liv., Justin.; saepius ap. Cic. et alios invenitur concitator, ut Hist. 3, 2 *belli concitator*) Ann. 4, 28 et Hist. 4, 56 *concitores belli.* Cf. Liv. 23, 41; 29, 3, ubi eadem leguntur.

CONCORS Ann. 11, 37 *florenti filiae haud concors;* 3, 33 *concordem sibi conjugem* (ita cum dativo Sen. de v. beata 8

concors sibi vis mentis; Liv. 4, 2 *ne* secum *quidem ipse concors*) 2, 43 *egregie concordes;* 6, 42 *quotiens concordes agunt, spernitur Parthus.*

CONCUBINUS (Catull., Quintil., Plin. maj.) de effeminato Ann. 13, 21 *per concubinum Atimetum et histrionem Paridem.* — Concubina etiam apud Cic. legitur.(Or. I, 40)

CONCUSSUS v. convellere.

CONDEMNATOR Ann. 4, 66 *Claudiae Pulchrae — condemnator* i. e. accusator. Praeter h. locum ap. Tertull. legitur ea vox, sed de judice, qui condemnat.

CONDICERE, vox apud priores quidem rarissima, „est *dicendo denunciare,* ut Festus exponit, sed dicitur de iis rebus, quas denunciamus alteri, prius mutuo consensu constitutas.“ Ita recte Forcell. Hinc dicitur coenam condicere, i. e. ad coenam promittere, ap. Suet., Plaut., Cic. (Fam. 1, 9 *cum mihi condixisset, coenavit apud me*); tempus et locum coëundi condicere ap. Justin. 15, 2 altero suadente, altero approbante; condicere aliquid in diem tertium ap. Gell. 10, 24. Atque ita Tacitus Germ. 11 *nec dierum numerum, ut nos, sed noctium computant. Sic constituunt, sic condicunt.* De re v. Anton. comment. ad T. Germ. p. 117; de discrimine, quod intercedit inter constituendi et condicendi verb. Gron. Observatt. 1, 1. Apud Livium 1, 32 *condicere* est denunciare cum rerum repetitione.

CONDITOR Germ. 28 de Agrippina, cum sit epicoenon, ut *auctor, sponsor.* Vide Hess. ad h. l.

CONFECTOR (ap. Cic. *negotiorum, belli confector*) Ann. 14, 39 *dux et exercitus tanti belli confector.*

CONFICERE = interficere Ann. 1, 6 *quem — centurio aegre confecit;* 14, 5 *navalibus telis conficitur;* cp. 8 *multis vulneribus confecta est.* Ita Cic. Mil. 14 *sica illius me paene confecit;* Seneca de ira 3, 20. 30; alios quosdam locos e Cic., Plaut., Suetonio desumptos v. ap. Forcell.

CONFINIUM ap. Cic. et Varr. de terminis in praediis rusticis, translate apud Vellej., Ovid., alios quosdam argent. aetatis Ann. 4, 58 *mox patuit breve confinium artis et falsi.* Cf. locum a Forcell. praetermissum Sen. Ep. 70 *confinium adolescentiae et senectutis.*

CONFLICTARE maxime passivum, ut ap. priores, sed saepius, neque etiam *conflictare aliquam rem* apud eos inveneris. Ann. 6, 48 *qui plura per scelera remp. conflictavisset;* cp. 51 *multis aemulis conflictatus est;* 1, 58 *quo mox ludibrio*

conflictatus sit cet.; 2, 20 *gravibus superne ictibus conflictabantur;* 6, 8 *metu ac sordibus conflictabantur;* 13, 33 *pervicaci accusatione conflictatus postremo defensionem omisit;* 15, 50 *periculis conflictabatur;* Hist. 3, 16 *suomet ipsi metu et angustiis viarum conflictabantur;* cp. 59 *foeda hieme per transitum Apennini conflictatus exercitus;* cp. 82 *ii tantum conflictati* (vexati) *sunt, qui — per angusta et lubrica viarum flexerant;* Agric. 22 *conflictatum saevis tempestatibus exercitum.*

CONFUSIO ap. priores i. q. conjunctio, permixtio; tum rerum, temporum, vitae, religionum perturbatio; de animi perturbatione usurpant Vellej., Plin. min., Tacitus Hist. 3, 38 *causam confusionis* (consternationis, sollicitudinis) *quaerenti, non se proprio metu nec sui anxium, sed pro fratre — preces lacrimasque adtulisse.* De rubore vultui suffuso Hist. 4, 40 *crebra (Domitiani) oris confusio pro modestia accipiebatur.* Cf. de eodem Agric. 45 *saevus ille vultus, et rubor, quo se contra pudorem muniebat;* Plin. Pan. 48 *femineus pallor in corpore, in ore impudentia multo rubore suffusa;* Suet. Domit. 18 *vultu fuit modesto ruborisque pleno;* Petron. Sat. c. 101 *simulationem lacrimis et vultus confusione obumbrare.*

CONGESTUS 1) = congregatio, ut ap. Cic. = comportatio *„avium congestu, non humano satu exstitit herba“* Hist. 2, 87 *nec coloniae modo — congestu copiarum, sed ipsi cultores arvaque — vastabantur.* 2) congeries (Lucret., Colum.) Hist. 1, 84 *vos pulcherrimam hanc urbem domibus et tectis et congestu lapidum stare creditis?*

CONGIARIUM proprie vini oleive congii plebi donati, sed de aliis etiam largitionibus, maxime pecuniae, opp. donativo militibus dato, quamquam hoc quoque interdum congiario designatur, ut Cic. Att. 16, 8. — Ann. 12, 41 *additum — congiarium plebi;* 13, 31 *plebei congiarium quadringeni nummi viritim dati;* 14, 11 *quod — infensa militi patribusque et plebi dissuasisset donativum et congiarium.* — Idem est q. distributio congiarii Dial. 17 *proximo congiario.* Cf. Liv. 37, 57 *in hunc maxime, quod multa congiaria habuerat, quibus magnam partem hominum obligaverat, favor populi se inclinabat,* ubi vid. Drakenb. — Nonnunquam sensu latiori usurpatur haec vox: Cic. Fam. 8, 1 (Coel.) *Plancus quidem tuus Ravennae est: et magno congiario donatus a Caesare, nec beatus nec bene instructus est.* Cf. Suet. Caes. 27; Quint. 6, 3, 52 *in metalepsin quoque cadit eadem ratio dictorum: ut Fabius Maximus, in-*

cusans Augusti congiariorum, quae amicis dabantur, exiguitatem, heminaria *esse dixit. nam congiarium commune liberalitatis atque mensurae; ea mensura ducta in minutionem rerum.*

CONGRUERE Festo auctore *a gruibus, quae se non segregant, sive cum volant, sive cum pascuntur.* Derivanda potius est vox a c o n et r u e r e, ut ap. Graecos *συντρέχειν* et *συνέρχεσθαι congruere* significant. Constr. ap. priores cum dativo, i n t e r, c u m, i n, a d particulis, sed minus saepe, ut videtur, quam a Tacito usurpatur, Ciceronem si exceperis: Ann. 6, 22 *fatum quidem congruere rebus;* 13, 1 *cujus abditis adhuc vitiis — mire congruebat;* 12, 6 *et congruere artes honestas;* — insolentius dicta: Ann. 4, 6 *congruens* (conveniens, haud absurdum) *crediderim, recensere cet.;* Hist. 5, 2 *congruens videtur, primordia ejus aperire;* (cf. Plin. Pan. 38 *cum div. Nerva sanxisset —, congruens erat cet*); 2, 4 *laeta et congruentia exta;* 1, 7 *forte congruerat, ut — caedes nuntiarentur.*

CONJECTARE (Liv., Terent., alii, sed minus saepe) Ann. 1, 12 *vultu offensionem conjectaverat;* cp. 32 *id, militares animos altius conjectantibus, praecipuum indicium magni atque implacabilis motus;* 12, 49 *ne ceteri quoque ex Peligno conjectarentur* (insolentius pro *dijudicarentur;* cf. tamen Liv. 5, 21 *id omen pertinuisse postea eventu rem conjectantibus visum ad damnationem ipsius Camilli*); 14, 51 *valetudo ex eo conjectabatur, quod cet;* 15, 55 *cetera quae audierat conjectaveratque, docet;* Hist. 2, 97 *integrum illic ac favorabilem proconsulatum Vitellius, famosum invisumque Vespasianus egerat: perinde socii de imperio utriusque conjectabant; sed experimentum contra fuit;* 3, 15 *Fabium Valentem — acceleraturum cognita Caecinae proditione conjectabat.*

CONJUGIUM v. a b s t r a c t a.

CONJUNCTIONES v. suo quamque loco et in c o n j u n c t i v o.

CONJUNCTIVUS ideo maxime apud Tacitum recedit a vulgari dicendi genere, quod eo etiam utitur ad brevitatem ac varietatem orationis adjuvandam.

1) s e n s u p r a e g n a n t i u s u r p a t u r ita, ut p o s s e, l i c e r e, v e l l e, o p u s e s s e involvat. V. exempla e Cicerone, Livio, aliis petita ap. Ramshorn. p. 416 et Walch. ad Agric. p. 233. Ann. 2, 21 *genere pugnae et armorum superabantur, cum ingens multitudo artis locis praelongas hastas non* protenderet,

non colligeret, *neque adsultibus et velocitate corporum* uteretur, *coacta stabile ad proelium;* 1, 19 *superbire miles, quod filius legati orator publicae causae satis ostenderet necessitate expressa, quae per modestiam non* obtinuissent; 4, 37 *Hispania ulterior missis ad senatum legatis oravit, ut exemplo Asiae delubrum Tiberio matrique ejus* exstrueret (i. e. exstruere sibi liceret); 12, 45 *pactus inducias abscedit, ut, nisi Pharasmanen bello* absterruisset, *T. Ummidium Quadratum praesidem Syriae doceret, quo in statu Armeniae forent*; Hist. 1, 50 *nunc pro Othone an pro Vitellio in templa ituros? utrasque impias preces, utraque detestanda vota inter duos, quorum bello solum id* scires, *deteriorem fore qui vicisset;* Agric. 17 *cum Cerialis quidem alterius* (*alius*) *successoris curam famamque* obruisset (i. e. obruere potuisset), *sustinuit quoque molem Julius Frontinus*; Ann. 1, 11 *Tiberio etiam in rebus quas non* occuleret (i. e. occulere vellet) *seu natura sive adsuetudine suspensa semper et obscura verba;* Agric. 22 *ex iracundia nihil supererat; secretum et silentium ejus non* timeres (non erat causa cur tim.); Hist. 2, 62 *prorsus si luxuriae temperaret, avaritiam non* timeres.

2) More optativi Graecorum conjunctivus cum ap. alios tum ap. Tacitum aliquid saepius factum esse exprimit. Ann. 1, 27 *postremo deserunt tribunal, ut quis praetorianorum militum amicorumve Caesaris* occurreret *manus intentantes;* Hist. 1, 66 *quotiens pecuniae materia* deesset, *stupris et adulteriis exorabatur;* cp. 79 *ubi res* posceret *levi gladio inermem Sarmatam — cominus fodiebat;* 2, 63 *ubi formido incessisset, facilis mutatu.* Plura hujus generis exempla v. infra n. 4.

3) Conjunctivi loco haud raro infinit. usurpatur in obliqua, quam dicunt, oratione. V. exempla ap. Ramshorn. p. 616 sq. Cf. Krüger de accus. c. infinit. cet. in ejus „Untersuchungen aus dem Gebiete der lat. Sprachlehre" Fascic. 1.

a) in enuntiationibus relativis, ubi minus explicationi inserviunt quam enarrationi praecedentium, ita ut relativa particula involvat copulam vel aliam conjunctionem cum demonstrativa voce. Ann. 6, 29 *Caesar — disseruit — illum — culpam invidiâ velavisse, frustra conterritâ uxore,* quam (i. e. nam eam) *etsi nocentem, periculi tamen expertem* fuisse; 11, 15 *saepe adversis reipublicae temporibus accitos,* quorum mo-

nitu redintegratas (*esse*) caerimonias *et in posterum rectius habitas* (i. e. haruspices accitos, et eorum monitu cet.); Hist. 2, 83 *ambiguus consilii, num — longis navibus versum in Italiam mare clauderet, tutâ pone tergum Achajâ Asiâque,* quas (eas enim) inermes exponi Vitellio, *ni praesidiis firmarentur.* — Huc etiam pertinet locus, cujus vix similem apud alios invenias, Ann. 2, 33 *distinctos senatus et equitum census — ut locis, ordinibus, dignationibus antistent, taliaque ad requiem animi aut salubritatem corporum parentur;* nisi forte (sed fortasse) *clarissimo cuique plures curas, majora pericula subeunda, delinimentis curarum et periculorum carendum* esse. V. Krüger l. l. p. 70 sqq. Apud Liv. etiam reperitur quamquam hoc modo cum infin. conjunctum: Ann. 12, 65 quamquam (sed tamen) *ne inpudicitiam quidem nunc abesse.* — Hist. 1, 17 *honorificum id militibus fore,* quorum (et eorum) *favorem,* ut *largitione et ambitu male* adquiri (per attractionem, quam dicunt, pendet hic infin. cum ut particula conjunctus ex altero illo, qui relativo, more supra jam aliis exemplis explicato, junctus est), ita *per bonas artes haud* spernendum. Cf. Ann. 1, 12 *se, ut non parem — ita susceptorum.* — Contra vero conjunctivus etiam ponitur, ubi ex ista consuetudine infin. exspectaveris, ut Agric. 15 *singulos sibi olim reges fuisse, nunc binos imponi,* e quibus *legatus in sanguinem, procurator in bona* saeviret. — Male Ernest. suasit „*e quibus legatum — saevire.*" V. Walch. et Hertel. ad. h. l.

b) ut conjunctivus suum retinet locum, ubi aperte interrogatur, ita, apud Livium et Tacitum maxime, infinit. tum usurpatur, cum interrogando indignatio vel admiratio exprimitur, vel simpliciter adseritur aliquid. V. Ramshorn. p. 616. Ann. 1, 17 *velut concionabundus interrogabat,* cur *paucis centurionibus, paucioribus tribunis, in modum servorum* obedirent? quando ausuros *exposcere remedia;* ib. subfinem capitis: an *praetorias cohortes — plus periculorum* suscipere? 13, 42 an *gravius existimandum* (esse) — *praemium honestae operae adsequi, quam conrumpere cubicula principum feminarum?* qua *sapientia,* quibus *philosophorum praeceptis intra quadriennium regiae amicitiae ter millies sestertium* paravisset? Hist. 3, 13 *vastum primo silentium, mox cuncta simul erumpunt: huc cecidisse Germanici exercitus gloriam, ut sine proelio — traderent arma?* quas *enim ex diverso legio-*

nes (fuisse)? *nempe victas.* — *integros incruentosque, Flavianis quoque partibus viles*, quid dicturos *reposcentibus aut prospera aut adversa?* cp. 70 cur *enim e rostris fratris domum* petisset? — quantum *occisis uno sene et uno juvene* profici? Agric. 15 quantum *enim* transisse *militum, si sese Britanni numerent?*

4) Non minus conjunctivo quam indicativo a Tacito junguntur recta oratione quaedam conjunctiones, quae alias plerumque solum indicativum postulant.

a) ubi (v. quae supra dicta sunt n. 2), si quid saepius factum indicatur, etiam a prioribus conjunctivo interdum jungitur, ut Liv. 8, 8 ubi *his ordinibus exercitus insructus* esset, *hastati omnium primi pugnam inibant;* 42, 65 ubi *ordines procursando* solvissent, *patebant jaculis;* Tacit. Ann. 1, 44 *si tribuni — innocentiam adprobaverant, retinebat ordines,* ubi *avaritiam aut crudelitatem consensu* objectavissent, *solvebatur militiâ;* 3, 2 ubi *colonias* transgrederentur, *atrata plebes cet.* Sin autem non iteratum exprimitur factum, usurpatur indicativus, ut Liv. 3, 70 ubi *jam* inclinabatur *hostium acies.* Huc pertinet etiam Tacit. Ann. 2, 61 *Memnonis saxea effigies* ubi *radiis solis icta* est *vocalem sonum reddens;* nam hoc loco ubi non est quoties, sed tum cum. Sed noster ita quoque conjunctivo nonnunquam jungit illam particulam, non secus ac si cum usurparet. Ann. 3, 26 ubi *nihil contra morem* cuperent, *nihil per metum vetabantur;* Hist. 2, 40 ubi *consiliis* vincerentur, *ad jus imperii transibant.* — Postquam autem, a Cicerone etiam quibusdam locis (v. Ramshorn. p. 580 et adde pro Cluent. 64; l. Manil. 4.) conjunctivo adjunctum, apud Tacitum solum indicativum retinuisse videtur, nisi forte Ann. 12, 54 contrarium docet „*sane praebuerant Iudaei speciem motus orta seditione* * postquam *cognita caede ejus haud obtemperatum* esset;“ sed hujus loci, cum integer non sit, ratio non constat.

b) donec, si est i. q. usquedum, a nostro oratione recta tum etiam plerumque conjunctivo jungitur, cum non exprimitur finis, quem quis sequitur. Eodem modo Plin. major utitur hac particula; rarius alii, ut Liv. 45, 7 *progredi prae turba occurrentium ad spectaculum non poterat,* donec *consul lictores* misisset, *qui submovendo iter ad praetorium facerent.* V. Drak. ad Liv. 1, 7, 14. Cf. Dronkius in ephem. Jenen. 1825 p. 267 et ad Dial. p. 94; Hess. ad Germ. 1 et

ejusdem varr. lectt. in Germ. I p. 2. — Ann. 2, 6 *Rhenus — servat nomen et violentiam cursus, qua Germaniam praevehitur,* donec *Oceano* misceatur; 12, 40 *Silures — late persultabant,* donec *adcursu Didii* pellerentur; 13, 13 *quanto foediora exprobrabat* (Agrippina Neroni filio) *acrius accendere* (infin. hist.), donec *vi amoris subactus* exueret *obsequium in matrem;* Germ. 31 *prout ad quemque venere, aluntur, prodigi alieni, contemptores sui, donec exsanguis senectus tam durae virtuti impares faciat;* cf. cp. 35; Hist. 2, 67 *arma ad tribunos suos deferebant,* donec *motum a Vespasiano bellum* crebresceret: *tum resumpta militia robur Flavianarum partium fuere;* 3, 10 *opposuit sinum Antonius — hostium potius exercitibus illum furorem, illam discordiam injicerent orabat,* donec fatisceret *seditio, et extremo jam die sua quisque in tentoria* dilaberentur; cp. 82 *Vitelliani — subeuntes arcebant,* donec *ab equitibus* — circumvenirentur; Ann. 5, 11 *mansere infensi ac minitantes,* donec *magistratu* abirent; 1, 51 *hostes,* donec *agmen per saltus* porrigeretur, *immoti.* (2, 34 *spectabatur — iter ducens, donec — juberet,* et alios quosdam locos Hess. ad Germ. 1 minus recte contulit, cum in iis consilium et finis exprimatur, ideoque ne possit quidem indicativus usurpari.) Sed indicativi quoque exempla exstant satis multa: et plerumque quidem perfecti, (dum illa imperf. exhibent), qui mos cum particulae usum reddit: Agric. 36 *primo congressu eminus certabatur* — donec *Agricola tres Batavorum cohortes* — cohortatus est *cet.;* Germ. 1 *Danubius — plures populos adit,* donec *in Ponticum mare sex meatibus* erumpit (al. *erumpat;* cf. locum supra allatum Ann. 2, 6); cp. 37 *inde otium,* donec *occasione discordiae nostrae — etiam Gallias* adfectavere; cp. 45 *glesum inter cetera ejectamenta maris jacebat,* donec *luxuria nostra* dedit *nomen;* Hist. 4, 66 *pugnabatur in angustiis ambigue,* donec *Germani transnatantes terga Labeonis* invasere; cp. 78 *cuncta pro hostibus erant,* donec *legio unaetvicesima* — sustinuit *ruentes.* Ex his locis cum iis, qui supra propositi sunt, comparatis facile perspicitur, conjunctivum non aperte quidem, sed aliquo tamen modo ad voluntatem finemque referri posse, atque ita hunc usum non nimis longe recedere a vulgari dicendi genere. Si quis dicat, locum Ann. 2, 6, et Livianum etiam nullo prorsus modo hanc explicandi rationem admittere, reputet secum, Tacitum suo more de Rheno amni quasi de persona loqui, (cf. a c c o l a), et apud Livium in verbis *progredi non poterat* latere quasi *sed exspectabat.* —

Altera significatione, qua idem est quod quamdiu, vulgarem usum retinet *donec* particula, nisi quod saepius eam Tacitus usurpasse videtur Ann. 1, 68 *donec ira et dies permansit*; 6, 51 *donec Germanicus ac Drusus superfuere*; 14, 50 *libros exuri jussit, conquisitos lectitatosque, donec cum periculo parabantur*; Hist. 4, 12 *Batavi, donec trans Rhenum agebant, pars Cattorum*; cp. 74 *vitia erunt donec homines*; (cf. Liv. 1, 7 *institutum mansit donec Pinarium genus fuit*); Dial. 8 *donec libuit*. — Cum conjunctivo, oratione indirecta: Ann. 2, 13 *conjuges et agros et stipendii in dies, donec bellaretur, sestertios centenos, si quis transfugisset, Arminii nomine pollicetur*; 15, 64 *non defuere qui crederent, donec implacabilem Neronem timuerit, famam sociatae cum marito mortis petivisse, deinde, oblata mitiore spe, blandimentis vitae evictam.*

c) quamquam rarius multo indicativo quam conjunctivo jungitur a Tacito Ann. 1, 3 *Germanicum — adsciri per adoptionem a Tiberio jussit,* quamquam esset *in domo Tiberii filius juvenis*; cp. 24 *vultu*, quamquam *moestitiam* imitarentur, *contumaciae propriores*; 4, 67 *Caesar* quamquam *edicto* monuisset *ne quis quietem ejus inrumperet — perosus tamen municipia — Capreas se in insulam abdidit.* Ita Ann. 11, 22. 24. 32; 12, 14; 13, 3. 10; 15, 57; Hist. 1, 9; 2, 20; 3, 10. 22. 59; 5, 21; Germ. 28. 29; Agric. 3. 13; Dial. 34. Ejusdem usus exempla leguntur apud Ciceronem, Livium, Nepotem, Virgilium, maxime ap. argent. aet. scriptores, et apud illos quidem concessivis plerumque sententiis. Cf. Cic. Brut. 78; Consol. ed. Bip. p. 340; Fam. 13, 68; Tusc. 1, 45; 5, 30; de or. 2, 1; 3, 7; N. D. 3, 16; Brut. 30; orat. 51. 55; Mur. 9; Consol. ed. Bip. p. 381; Off. 1, 2, 6 ibique Gernh.; de fin. 3, 21; Acad. 1, 4, ubi simul conj. et indicativo jungitur „*quamquam Philo — negaret in libris — duas Academias esse, erroremque eorum, qui ita putarunt, coarguit*;“ Liv. 36, 34; 6, 9; 21, 52; Nep. Att. 13 ibique Bremi; Virg. Aen. 6, 394. Exempla indicativi habes ap. nostrum Ann. 12, 11. 31; Hist. 1, 67; 2, 92. *quamvis* autem soli conjunctivo additur a Tacito non minus quam a Cicerone, dum alii Augustei aevi scriptores nonnullis locis, saepius poetae et Taciti aequales indicativo hanc vocem adjungunt. Cf. e. g. Ann. 11, 20; 13, 16. 34; 15, 11. 18. 51. 52. 53. 54; 16, 6; Hist. 2, 85; 4, 11.

Eo quoque Tacitus cum aequalibus recedit a priori usu harum particularum, quod eas pariter ac *licet*, *etsi* (Ann. 6, 29; 5, 3) cum participiis et adjectivis aliisve vocibus vice

eorum fungentibus conjungit: Ann. 1, 43 *neque enim dii sinant, ut Belgarum, quamquam offerentium, decus istud et claritudo sit;* 4, 39 *moris quippe tum erat quamquam praesentem scripto adire;* cp. 42 *cuncta refert, et, quamquam inter obstrepentes, magna adseveratione nititur;* cp. 53 *sine responso quamquam instantem reliquit;* cp. 63 *fuitque urbs per illos dies, quamquam moesta facie, veterum institutis similis;* 11, 10 *nam Parthi quamquam victores longinquam militiam adspernabantur.* Totidem exempla alterius particulae facile inveneris; cf. Ann. 2, 1 *petitum Roma acceptumque regem, quamvis gentis Arsacidarum, ut externum adspernabantur.* — Notanda est in hoc usu postposita adjectivo vel participio particula Ann. 5, 9 *vanescente quamquam plebis ira;* 6, 30 *haec, mira quamquam, fidem ex eo trahebant cet.;* 14, 21 *redditi quamquam scenae pantomimi.* Ita semel Cic. Acad. 4, 23 *minus bonis quamquam versibus, sed tamen cet.;* et Plin. H. N. 15, 12 *grandiore quamquam ligno.* Nota est eadem ratio *licet* particulae. V. conlocatio verborum.

d) quantum quoque recta oratione semel a Tacito conjunctivo jungitur insolentius Ann. 6, 19 *interciderat sortis humanae commercium vi metus; quantumque saevitia glisceret, miseratio arcebatur.*

e) ut qui a Livio conjunctivo, a Cicerone etiam indicativo jungitur; utrumque habet Tacitus Hist. 2, 12 *primo impetu caesi disjectique montani, ut quibus temere conlectis — neque in victoria decus esset neque in fuga flagitium;* Germ. 17 *gerunt et ferarum pelles — ulteriores exquisitius, ut quibus nullus per commercia cultus* (*est*, quod facilius subintelligitur quam sit); Agric. 18 *ut quibus bellum volentibus erat.*

5) Quaedam conjunctiones, quae conjunctivo junguntur, insolentius usurpantur, cum pro iis vulgaris sermo aliis utatur particulis, aut aliis certe significationibus et verborum juncturis frequentet illas.

a) quo = ut saepissime a Tacito usurpatur, singulis exemplis praeeunte Cicerone. Similis ratio est ejus consuetudinis, qua pro *ut eo* ponitur *quo* cum comparativis conjunctum, ut Cic. de or. 2, 30 *subacto mihi ingenio opus est ut agro non semel arato, sed novato et iterato, quo meliores foetus possit et grandiores edere*; cf. quae in adjectivo de usu positivi pro comparativo dicta sunt. Sed haud raro in illo

illo dicendi genere nulla prope latet comparationis vis, et *quo* simpliciter *ut* exprimit. Ann. 1, 9 *pauca admodum vi tractata, quo ceteris quies esset* (i. e. quasi ut eo tutiora essent cetera); 12, 27 *Agrippina quo vim suam sociis quoque nationibus ostentaret, in oppidum Ubiorum — coloniam deduci impetrat;* cp. 40 *auctaque et apud hostes ejus rei fama, quo venientem ducem exterrerent;* cp. 41 *virilis toga Neroni maturata, quo capessendae reip. habilis videretur* (i. e. ut eo habilior v.); cp. 68 *crebro vulgabat ire in melius valetudinem principis, quo miles bona in spe ageret* (i. e. quo meliore in spe); et sic passim in reliquis libris. Cf. Cic. legg. 2, 26 *in funeribus Atheniensium sublata erat celebritas virorum ac mulierum, quo lamentatio minueretur* (i. e. ut eo minus lamentationis esset); pro A. Cluent. 4 *Corrupisse dicitur A. Cluentius judicium pecunia, quo* (ut) *inimicum suum innocentem, Statium Albium, condemnaret.*

b) quando = quoniam, quandoquidem, cum, cujus simillima ratio est, non solum tempus, sed causam quoque exprimentis, nisi quod raro admodum *quando* recta etiam oratione conjunctivo jungitur. Ann. 1, 44 *nec Caesar arcebat, quando nullo ipsius jussu penes eosdem saevitia facti et invidia erat;* cp. 57 *validiore apud eos Arminio, quando bellum suadebat;* 4, 6 *congruens crediderim recensere ceteras quoque reipubl. partes, quibus modis ad eam diem habitae sint, quando Tiberio mutati in deterius principatus initium ille annus attulit;* Hist. 4, 6 *erant quibus adpetentior famae videretur, quando etiam sapientibus cupido gloriae novissima exuitur;* 1, 87 *quando — Galliarum aditus Vitellianis exercitibus claudebantur, Narbonensem Galliam adgredi statuit;* cp. 90 *sive ipsius ea moderatio, seu scriptor orationis sibi metuens contumeliis in Vitellium abstinuit, quando — Trachali ingenio Othonem uti credebatur.* — 2, 34 *Caecina ac Valens,* quando *hostis imprudentiâ* rueret, *alienam stultitiam opperiebantur* (ubi conjunctivus pendet ex sententia Caecinae ac Valentis). — oratione indirecta: Ann. 11, 17 *accitum memorabant; quando nobilitate ceteros anteiret, virtutem experirentur;* 12, 2 *longe rectius Lolliam induci, quando nullos liberos genuisset;* cp. 6 *quando maritandum principem cuncti suaderent, deligi oportere feminam — insignem;* cp. 19 *pro Mithridate quando* (i. e. cum, licet) *gravius mereretur, non potentiam, non regnum (se) precari, sed ne triumpharetur.* Ita alii rarius. V. exempla ap. Ramshorn. p. 566.

c) quod et ut = si, dum Ann. 11, 3 *cum se honestius calliditate Tiberii periturum dixisset, quam quod fraude muliebri caderet*; 4, 38 *satis superque memoriae meae tribuent, ut majoribus meis dignum (me) credant.* Vix alia hujus usus exempla invenias.

d) neque = et ne Ann. 6, 12 *sanxisse Augustum quem intra diem ad praetorem urbanum deferrentur (libri Sibyll.) neque habere privatum liceret.* Similiter Virg. et alii quidam.

e) ne = ut non, obviis priorum quoque exemplis, Ann. 14, 7 *Neroni nuntios patrati facinoris opperienti adfertur, evasisse (matrem) ictu levi sauciam, et hactenus adito discrimine ne auctor dubitaretur.*

f) si, *εἰ*, *εἴπως*, apud alios plerumque *si forte* (v. Moeb. ad Caes. B. G. 1, 8) nulli saepius quam Tacito frequentatur Ann. 1, 48 *dandum adhuc spatium ratus, si recenti exemplo sibi ipsi consulerent*; 13, 40 *adsultare ex diverso Tiridates — si laxare ordines et diversos consectari posset*; 4, 49 *exercitum aequo loco ostendit, si barbari proelium auderent*; Hist. 1, 31 *pergunt etiam in castra praetorianorum tribuni, — si incipiens adhuc — seditio melioribus consiliis flecteretur*; 3, 30 *ignes Antonius inferri — aedificiis jubet, si damno rerum suarum Cremonenses ad mutandam fidem traherentur.* — Peculiaris vis est in si particula Ann. 4, 19 *silente reo, vel, si defensionem coeptaret* (wenn ja, si forte), *non occultante, cujus irâ premeretur.* Idem fere est quod *sive—sive* iteratum Ann. 12, 35 *si* (i. e. ubi, quoties, hinc conjunctivus) *auxiliaribus resisterent, gladiis — si huc verterent, spathis — sternebantur.* Pro *ne* positum est *si* Ann. 1, 11 *quibus unus metus, si intelligere viderentur.* Cf. Spald. ad Quintil. 3, 1, 3.

g) quominus et quin haud raro cum ejusmodi verbis conjunguntur a Tacito, quae aliter construi solent vulgari sermone, quorum tamen plerumque ea ratio est, ut praegnanti sensu usurpata talia involvant, quibus illae particulae junguntur Ann. 1, 14 *quo minus idem pro Druso postularetur, ea causa* (i. e. id impediebat) *quod designatus consul Drusus praesensque erat*; 4, 51 *reliquis, quo minus vi aut obsidio subigerentur, praematura montis Haemi et saeva hiems subvenit* (i. e. subvenit et impediebat); Agric. 20 *nihil interim apud hostes quietum pati, quo minus subitis excursibus popularetur.* V. Walch. ad h. l. — Ann. 11, 22 *ne aetas qui-*

dem distinguebatur (ideoque non impediebat *), *quin primâ juventâ consulatum inirent*; cp. 8 *neque cunctatur, quin proximas praefecturas corripiat*; 6, 38 *non enim Tiberium — tempus, preces, satias mitigabant, quin incerta vel abolita pro gravissimis et recentibus puniret*; 12, 32 *Silurum gens non atrocitate, non clementia mutabatur, quin bellum exerceret*; 15, 57 *at illam non verbera — pervicere, quin objecta denegaret.* — Pro *quin* particula Ciceronis, Livii, aliorum exemplo *ut non* usurpavit Hist. 4, 73 *libertas et speciosa nomina praetexuntur; nec quisquam alienum servitium et dominationem sibi concupivit, ut non eadem ista vocabula usurparet.*

h) nedum 1) e vulgari dicendi genere cum conjunctivo conjunctum legitur post negationem Ann. 3, 73 *ne Spartaco quidem — datum, ut pacto in fidem acciperetur: nedum pulcherrimo populi Romani fastigio Tacfarinas pace — redimeretur*; Hist. 2, 38 *non discessere ab armis in Pharsalia ac Philippis civium legiones: nedum Othonis ac Vitellii exercitus sponte posituri bellum fuerint.* 2) Etiam omisso verbo, congruente nimirum temporum ratione, quae diversa est in locis supra propositis, *nedum* involvitur quasi reliquae orationi, duabus sententiis in unam contractis Hist. 5, 5 *nulla simulacra urbibus suis, nedum templis sinunt*; Ann. 13, 15 *inrisum ex eo sperans pueri sobrios quoque convictus, nedum temulentos ignorantis*; 2, 42 *regibus aequa, nedum infima insolita sunt.* Neque recedunt haec a vulgari usu. 3) Praeeuntibus prioris aetatis prosae orationis scriptoribus Tacitus saepissime ibi etiam *nedum* usurpat, ubi minus patet in iis quae praecedunt negandi vis, immo deest prorsus quibusdam locis: Ann. 4, 11 *quis enim* (i. e. nemo) *mediocri prudentia, nedum Tiberius — offerret*; 15, 59 *etiam fortes viros subitis terreri*, (i. e. subitis territos nonnunquam nihil audere) *nedum ille scenicus — arma contra cieret*; Hist. 3, 66 *Fabium illis Valentem — praegravem fuisse: nedum Primus ac Fuscus — ullam in Vitellium nisi occidendi licentiam habeant*; Ann. 13, 38 *cuicunque mortalium, nedum veteri et provido duci barbarae astutiae patuissent* (i. e. neminem, nedum — ducem — latuissent); cp. 20 *sed cuicunque, nedum parenti, defensionem tribuendam* (i. e. nemini — denegandam). Cf. Cic. Fam. 7, 28 *domicilium hujus urbis — aptius*

---

*) Non ubique addidimus ejusmodi interpretationem, cum per se pateat in ceteris exemplis eadem ratio.

humanitati et suavitati tuae, quam tota Peloponnesus, nedum Patrae (non apta Pelop. nedum Patrae); Att. 10, 16; 9, 6; consol. ed Bip. p. 341; Liv. 6, 7; 10, 32; 34, 20. 25; 36, 24. 4) nedum ut Dial. 10 *quando enim rarissimarum recitationum fama in totam urbem penetrat? nedum ut per tot provincias innotescat.* Cf. Liv. 3, 14 *ne voce quidem incommoda, nedum ut ulla vis fieret, paullatim permulcendo tractandoque mansuefecerant plebem.*

Haud raro eadem ap. Tacitum ratio est *adeo* particulae cum negandi voce conjunctae: Hist. 4, 80 *superbia viri aequalium quoque, adeo superiorum, intolerantis;* Ann. 3, 34 *quae ne conjugum quidem penates, adeo socios non onerent;* 6, 15 *ne tecta quidem urbis, adeo publicum consilium nunquam adiit;* Hist. 3, 39 *nullius repentini honoris, adeo non principatus adpetens;* sed duabus quoque sententiis propositis, praemissâ eâ, quae negandi vim habet, subsequitur cum hac particula altera, quae affirmat. Hist. 1, 9 *ne quieto quiedem milite regimen, adeo* (um so mehr) *furentes infirmitate retinentis ultro accendebantur;* 3, 64 *ipsum Vitellium ne prosperis quidem parem: adeo ruentibus debilitatum;* 4, 39 *ne paratis quidem conrumpi facilis, adeo metuens incerta.* Cf. Vellej. 2, 67 *hujus totius temporis fortunam ne deflere quidem quisquam satis digne potuit, adeo nemo exprimere verbis potest;* Plin. H. N. 17, 22 *ut attingat jugum (vitis), non teneat, adeo non recumbat in eo;* v. 10, 95. Idem usurpat etiam *ne — quidem, non modo* (11, 8) et *vix — non modo* (15, 9). Cf. de *adeo* particula Handii Tursellin. Vol. I p. 140 sq. ubi allatis duobus locis Tacit. Hist. 1, 3 et Suet. Oth. 9, ap. Ciceronem se exemplum negationis frustra quaesivisse dicit, et p. 151 sqq.

CONLOCARE = dicere, suo loco commemorare Ann. 6, 27 *de cujus moderatione atque sapientia in prioribus libris satis collocavi;* insolentius sane dictum, sed eodem modo usurpatur *componere,* cujus etsi non eandem, at similem significationem hoc verbo insolentius expressit Cicero Fam. 2, 13 *mihi erat in animo — cum prima aestiva attigissem, militaremque rem collocassem, decedere ex senatusconsulto.*

CONLOCATIO VERBORUM, haud parvi in stilo Taciteo dijudicando momenti, et ipsa cum varietatis tum brevitatis studium probat, quo hunc scriptorem in libris suis componendis ductum esse scimus; quamquam multa, quae in hoc

genere discedunt a priorum consuetudine, minus ex ipsius ingenio quam ex usu hujus aevi profecta sunt.

1) cognomina vel agnomina a Tacito ejusque aequalibus saepius quam a priorum temporum scriptoribus praeponuntur nominibus, ejusdemque generis est dignitatis et muneris quo quis praeditus est ante ipsum nomen expressa significatio. Ann. 1, 3 *Agrippa Postumus*; cp. 6 *Postumus Agrippa*; 15, 49 *Lucanus Annaeus*; cp. 70 *M. Annaeus Lucanus* (nunquam enim, praenomine etiam commemorato usurpatur illa transpositio); 14, 12 *Thrasea Paetus*; Agric. 2 *Paetus Thrasea*; Hist. 3, 49 et saepius *Primus Antonius*; 4, 80 *Antonius Primus*; Agric. 2 *Priscus Helvidius*; Ann. 1, 12 *Pollio Asinius*; cp. 13 *Gallus Asinius*; 2, 45 *Varus Quinctilius*; 13, 45 *Sabina Poppaea*; 1, 8 *Messalla Valerius*; 3, 75 *Capito Atejus, Labeo Antistius*; Dial. 20 *Turpio Ambivius*; Ann. 3, 47 *Dolabella Cornelius*. — Hist. 1, 90 *imperator Augustus*; 5, 1 *Caesar Titus*; Ann. 4, 34 *dictator Caesar* (cf. 3, 27 *L. Sulla dictator*, cum praemissum sit praenomen; 14, 9 *villa Caesaris dictatoris*, cum ejus qui villam possidebat quam dignitatis ejus potior haberetur ratio); 16, 21 *praetor Antistius*; Hist. 2, 12 *procurator Marius*; Ann. 3, 59 *augur Lentulus*; Hist. 3, 54 *centurio Julius Agrestis*; Ann. 2, 4 *rector Syriae Creticus Silanus* (ubi utraque conjuncta est ratio). — Repeti sane possunt hujus rei causae e commutato reipublicae statu, cum non gentis sed singulorum dumtaxat honori aliquid tribueretur, nec quisquam muneri, quo praeditus erat, sed munus potius iis, qui eo fungebantur, decus adstrueret; quo id quoque accedit quod his temporibus saepe plures per annos munia sua curabant magistratus, ita ut in hac quidem re proxime accederent ad ipsius principis rationem, cujus cum perpetua dignitas esset, inde a Julii Caesaris aevo *imperatoris* (ut ante jam *dictatoris* plerumque) nomen praeponi solebat proprio nomini (cf. Suet. Caes. 76 *honores nimios recepit — praenomen imperatoris*), nec aliter explicari potest, quod haud raro apud priores etiam *regiae* dignitatis significationem praemissam videmus ipsius regis nomini. Cic. Fam. 15, 4 *rex Dejotarus* et *rex Ariobarzanes*; divin. 2, 24 et Liv. 45, 44 *rex Prusias*; et sic saepius. — Sed magna cautio est adhibenda, ne illam rei explicationem solam veram putemus, cum magno exemplorum numero priores jam praeierint in utraque dicendi consuetudine, et non solum patriae significationem sed cognomen vel agnomen

etiam et dignitatis vocabulum nomini proprio praemiserint, et omnino verba transposuerint nonnunquam. Vix plura hujus generis ap. argenteae aetatis scriptores repereris, nisi quod priores muneris vocabulum raro in universum praeponunt nomini, et ibi plerumque (sed cave semper putes) ubi cum vi quadam dignitatis significatio exseritur. Cf. Cic. N. D. 1, 23 *Abderites Protagoras;* divin. 1, 3 *Colophonius Xenophanes* et *Babylonius Diogenes;* de or. 1, 22; 3, 32 et sic semper, excepto uno loco Rhet. 1, 5, *Leontinus Gorgias;* Brut. 91 *Adramytenus Xenocles;* Acad. 4, 38 *Lampsacenus Strato;* fin. 5, 31 *Heracleotes Dionysius;* Tusc. 1, 46 *Rhodius Diagoras;* cp. 49 *Lacedaemonius Leonidas; Thebanus Epaminondas;* 5, 3 *Ponticus Heraclides;* Liv. 3, 5 *Antias Valerius,* et omisso plane nomine, quae res plurimum facit ad eum usum explicandum, 38, 55 *apud Antiatem inveni.* — Cic. Fam. 8, 11; Att. 8, 15; 11, 12 *Balbus Cornelius;* Fam. 10, 32 *Gallus Cornelius;* 11, 1 *Bassus Caecilius;* cp. 9 *Pollio Asinius;* Att. 9, 2 *Postumus Curtius;* 13, 52 *Barba Cassius;* 14, 16 *Flamma Flaminius;* Q. fratr. 2, 13 *Pola Servius;* Liv. 2, 33; 4, 11. 13 *Agrippa Menenius;* 4, 14. 57 *Ahala Servilius;* 4, 20. 23; 7, 9 *Macer Licinius;* 21, 11 *Flaccus Valerius;* 27, 6 *Crassus Licinius;* 39, 45 *Sisenna Cornelius;* Epit. 63 *Cato Porcius;* Epit. 115 *Pompejus Sextus;* 2, 15 *Mamilius Octavius;* 7, 22 *Manlius Cnaeus;* 29, 2 *Cornelius Servius;* 30, 1 *Paetus Aelius; Lucretius Spurius;* (praenomen etiam nomini postpositum 3, 1. 29 *Fabius Quintus*); Nepos Att. 18 *Marcellus Claudius; Scipio Cornelius;* Caes. B. C. 3, 83 *Spinther Lentulus;* a. b. Afric. 87 *Sulla Faustus;* cp. 93 *Crispus Sallustius.* (Argenteae aetatis exempla sunt, ut ex multis plurima exhibeamus: Vellej. 2, 9 *Carbo Papirius;* cp. 16 *Cato Porcius;* cp. 26 *Scaevola Mucius;* cp. 36. 73. 76. *Pollio Asinius;* cp. 38 *Marcellus Claudius;* cp. 39 *Vulso Manlius;* cp. 51 *Balbus Cornelius;* cp. 68 *Milo Annius;* cp. 71 *Drusus Livius; Varus Quinctilius;* cp. 85 *Parmensis Cassius;* cp. 127 *Sejanus Aelius;* Quint. 9, 4, 31; 8, 5, 16 *Afer Domitius;* 11, 3, 183 *Laenas Popilius;* 3, 6, 38 *Celsus Cornelius;* 3, 8, 9 *Crispus Sallustius;* 6, 3, 110 *Pollio Asinius;* Plin. H. N. 4, 24 *Nepos Cornelius;* Suet. Tib. 2 *Claudius Appius;* Sen. ira 3, 23 *Pollio Asinius;* ad Polyb. 33 *Aemilianus Scipio;* cp. 40 *Vinicius Publius*) — Liv. 2, 20 *dictator Postumius;* 27, 33 *dictator Manlius;* 3, 23 *consul Cornelius;* 27, 1 *cons. Marcellus;* 31, 27 *consul Sulpicius;* 44, 30 *consul Aemilius.* — Huc pertinent Liv. 1, 3 et Cic. Rep. 2, 2 *Longa Alba;* Liv. 31, 9

maximus pontifex; Plin. H. N. 2, 47 *ante Majas Idus, Augustas Kalendas.*

2) ante et post adverbia, quod rarum admodum est apud alios, praemittuntur nonnunquam accusativo temporis: Ann. 14, 9 *hunc sui finem multos ante annos* (noli putare *ante* praepositionem esse) *crediderat Agrippina contempseratque;* Agric. 46 *nobis tam longae absentiae conditione ante quadriennium* (vier Jahr zuvor) *amissus es;* Ann. 14, 12 *quae adeo sine cura deum eveniebant, ut multos post annos Nero imperium et scelera continuaverit;* adverb. etiam est, non praepositio *post* Ann. 1, 10 *sed Pompejum imagine pacis, sed Lepidum specie amicitiae deceptos; post* (i. e. postea) *Antonium, Tarentino — foedere — inlectum, subdolae adfinitatis poenas morte exsolvisse.* Walch. confert Sall. Hist. 3 p. 983 *post Attalum custodem agri captivi ex rege miserrumum servorum fecere.* Plura vide in Handii Tursellin. Vol. I p. 371.

3) non a verbo suo sejunctum interdum insolentius praemittitur ad augendam orationis vim: Ann. 6, 32 *sed non Tiberius omisit incepta;* cp. 38 *non enim Tiberium — mitigabant;* Hist. 2, 70 *at non Vitellius flexit oculos.* Eodem fere pertinent apud Livium quoque Curtiumque frequentes locutiones, quales sunt Ann. 2, 46 *non alias majore mole concursum;* cp. 65 *nihil aeque Tiberium anxium habebat;* 3, 4 *nihil tamen Tiberium magis penetravit;* cp. 15 *nullo magis exterritus est;* 4, 71 *nullam aeque Tiberius — ex virtutibus suis — diligebat;* Hist. 2, 10 *nihil aeque reo proderat;* Germ. 21 *hospitiis non alia gens effusius indulget.* Cf. Curt. 3, 11; 4, 48 *non alias magis;* 3, 12 *non aliam magis cet.;* 7, 27 *non alia urbs fortius obsidionem tulit;* cp. 31 *non alias laetiora exta vidisse se affirmans;* 9, 17 *non alias tam alacer clamor — est redditus.* Saepius etiam Livius ita locutus est.

4) Anastrophe praepositionum creberrima ap. Tacitum, more poetarum ab aliis quoque, maxime argenteae aetatis scriptoribus, sed minus saepe, recepto. Ejusdem generis sunt e vulgari usu casui suo postpositae praepositiones *tenus* et *versus,* substantivum a pronomine vel adjectivo interjecta praepositione disjunctum, ut *qua in urbe, magno cum gaudio,* et, quod longius jam recedit a communi consuetudine, *hic* et *qui* pronomina, non addito substantivo praepositionibus praemissa, ut Cic. Rep. 2, 28 *quos penes;* Att. 10, 4 *quos propter;* in Pis. 7 *quem propter;* invent. 1, 44 *ad eam*

rem, qua de judicatum est; cp. 54 *quo de quaestio est* (nihil frequentius locutione *quo de, qua de agitur*) N. D. 2, 4 *quos ad*; in Vatin. 7 *quas contra*; Orat. 10 *quos contra*; Acad. 4, 15 *quos contra disputant*; Nep. Paus. 4 *hanc juxta*; Con. 2 et Timoth. 4 *hunc adversus*; Caes. B. G. 6, 36 *quas inter et castra*; 7, 33 *quos inter*; Liv. 28, 14 *quos inter belli causa esset*. (ita Tacit. Ann. 3, 43 *quos inter ambigebatur*; 11, 28 *quos penes*; 15, 1 *quem penes*, et sic passim). V. Wopkens. Act. Traj. II p. 78; Ruhnken. ad Vell. 2, 91; Walch. ad Agric. 31 p. 338. — Insolentius vero nomina et pronomina substantiva praeponuntur praepositionibus, ut Liv. 22, 3 *campi qui Faesulas inter Arretiumque jacent*; Caes. B. C. 3, 6 *saxa inter et alia loca periculosa*. Sic Tacitus Ann. 1, 60 *quantum Amisiam et Luppiam amnes* inter; 2, 61 *disjectas inter et vix pervias arenas*; 4, 16 *sedes inter Vestalium*; cp. 50 *Tarsam inter et Turesim*; cp. 59 *mare Amuclanum inter Fundanosque montes*; cp. 69 *tectum inter et laquearia*; cp. 55 *Sardianos inter Smyrnaeosque*; 6, 41 *Artabanum Scythas inter eductum*; 11, 10 *claritudine paucos inter senum regum*; 12, 32 *qui bellum inter et pacem dubitabant*; 14, 4 *promontorium Misenum inter et Bajanum lacum*; Hist. 2, 78 *est Judaeam inter Syriamque Carmelus*; Agric. 31 *verbera inter ac contumelias*; Ann. 3, 75 *praeturam* intra *stetit* (cf. cp. 72 *unum intra damnum*); 4, 48 *dum populatio lucem intra sisteretur*; Hist. 3, 19 *cumulos* super *et recentia caede vestigia incessere*; (cp. 26 *quae super cuncta*); Ann. 13, 47 *urbem* extra; 1, 65 *humentia* ultra; 3, 1 *littora Calabriae* contra *sita*; Hist. 5, 8 *Assyrios* penes — *Oriens fuit*; Ann. 4, 48 *translata dehinc castra hostem* propter; 14, 9 *viam Miseni propter*; 15, 47 *in agro Placentino viam propter*; 2, 41 *aedes Fortis Fortunae Tiberim* juxta; 4, 5 *Rhenum juxta*; 12, 13 *templum juxta*; cp. 21 *rostra juxta*; 13, 15 *cubiculum Caesaris juxta*; 15, 47 *iter juxta*; 4, 5 *Misenum* apud *et Ravennam*; cp. 43 *montem apud Erycum*; 6, 31 *ripam apud Euphratis*; 6, 37 et 12, 11 *ripam* ad *Euphratis*; 12, 51 *ripam ad Araxis*; cp. 8 *augendam ad invidiam*; 3, 72 *opes ornatum ad urbis et posterum gloriam conferre*; cp. 10 *judice* ab *uno*; 13, 12 *uxore ab Octavia abhorrebat*. usque v. suo loco.

5) Anastrophe conjunctionum, et ipsa creberrima ac prioribus minus in universum frequentata: Ann. 5, 9 *vanescente* quamquam *plebis ira*; 6, 30 *haec, mira quamquam, fidem ex eo trahebant cet.*; 14, 21 *redditi quamquam*

scenae pantomimi. V. similia e Cic. et Plin. maj. petita in conjunctivo 4, c; Dial. 19 *vidit* namque; Ann. 1, 5 *acribus namque custodiis cet.*; 2, 43 *divisa namque et discors aula erat*; 4, 21 *is namque, ut retuli — clamitaverat.* Cf. Liv. 24, 36 *mediterraneo namque*; 27, 39 *invisitat namque*; 28, 14 *ibi namque*; eodem modo positam legis hanc particulam Liv. 29, 15; 6, 8; 7, 32; 9, 37; 22, 50; 2, 36; 3, 44; 4, 9. 13. 31; 5, 11; 6, 4; 32, 8; 33, 16; 34, 50; 35, 1. 40; 36, 43; 37, 30; 39, 50; 41, 6; 42, 23; 44, 11; Curt. 6, 16. 20; 8, 11. 49; 9, 18; 10, 3; 3, 30; 5, 2. 9; Phaedr. 3, 5, 10; 10, 56; Suet. Galba 5; Sen. Ep. 66. E Quintiliano, Plin. maj. et Floro exempla congessit Weikert. ad Taciti dial., in eo falsus quod contendit apud prioris aevi scriptores nunquam secundum obtinere locum *namque*. Ann. 2, 15 *classem* quippe; cp. 33 *erat quippe adhuc*; cp. 80 *earum quippe accitu venire*; 3, 2 *aberat quippe adulatio*; cp. 5 *ipsum quippe — Ticinum usque progressum*; ita Cic. quoque Mur. 30 *dixisti quippe*; Plin. H. N. 19, 43 *certum est quippe*; 11, 35 *iidem quippe*, et ita passim. Hist. 2, 17 *inritabat* quin etiam; cp. 64 *dixisse quin etiam ferebatur*; Ann. 15, 39 *hortos quin etiam suos patefecit*; (ita Capitolin. in Ael. Vero 5; apud priores primum semper locum tenere videtur). Dial. 6 *illos* quin immo; cp. 39 *ipsam quin immo curam*; Germ. 14 *pigrum quin immo et iners videtur.* Rarum hoc omnino apud priores, et ubique primum locum occupat: Cic. Att. 1, 13; consol. ed. Bip. p. 335; Liv. 22, 3; Quintil. et uterque Plin. saepius. — Ann. 11, 30 *frueretur* immo *iis* (similiter Plautus Aul. 4, 10, 34 *pernego immo*; sed vix alibi); 12, 6 *statueretur immo documentum*; 15, 21 *quaedam immo virtutes odio sunt*; Germ. 30 *durant* siquidem *colles*; ita Plin. H. N. 2, 68 *idem siquidem*; 11, 1 *in magnis siquidem.*

6) ve et que particulas saepius quam alii scriptores longioribus vocabulis, maxime imperfectis passivi adnectere solet Tacitus, plerumque incipiens ita aut finiens periodum ad augendum orationis numerum: Ann. 1, 9 *arguebaturve*; 15, 6 *partirenturve*; 13, 12 *metuebaturque*; cp. 14 *ferebaturque*; cp. 25 *arguebanturque*; cp. 26 *efflagitatumque*; cp. 44 *postulatusque*; cp. 54 *degrediunturque*; 15, 40 *videbaturque*; cp. 44 *celebranturque*; 16, 22 *nuperrimeque* et sic centies. Contra monosyllabis etiam adjunguntur, ut major iis vis adstruatur: Ann. 1, 47 *neque se remque publicam*; 16, 10 *seque et libertum*; 11, 23 *ferro vique*; 13, 40 *seque et equestres copias*;

Agric. 18 *seque et arma et equos regunt;* Ann. 1, 4 *seque et domum et pacem sustentavit;* 4, 3 *seque ac majores et posteros municipali adultero foedabat;* cf. Cic. Phil. 5, 4 *deve coloniis;* Verr. 1, 41 *postve ea;* pro domo 55 *me seque;* Sall. Jug. 85 *seque remque publicam — meque vosque;* cp. 110 *meque vobisque;* Liv. 4, 20 *illos meque;* 39, 3 *postve eos censores.*

7) Tmesis, qua disjunguntur singulae verbi compositi partes: Ann. 15, 21 *propraetoribus prove consulibus;* Hist. 1, 20 *illis vix decumae super portiones erant;* 2, 34 *jactis super ancoris* i. e. superinjectis; cf. Virg. Aen. 2, 567 *Jamque adeo super unus eram;* Cic. Fam. 1, 8 *rei totius publicae;* Tusc. 1, 1 *rem vero publicam;* Phil. 8, 9 *consules prove consules;* 10, 11 *prove quaestoribus;* Liv. 22, 11 *reque de publica;* Quintil. 2, 13, 6 *rogationibus plebisve scitis.* Vide Drakenb. ad Liv. 22, 26, 7.

8) Synchysis i. e. mixtus et confusus verborum ordo, *mixtura verborum* ap. Quintil. 8, 2, 14: Ann. 1, 10 *Pompejanarum gratiam partium;* cp. 65 *adversum ferri ingruentia tela;* 2, 2 *perinde odium pravis et honestis;* 12, 65 *seu Britannicus rerum seu Nero potiretur;* Hist. 1, 70 *Penino subsignanum militem itinere traduxit;* 3, 77 *haud parva mole certatum nec sine exitio urbis foret;* Ann. 6, 41 *come Tiridatis ingenium, Romanas per artes, sperabant;* 1, 28 *id miles, rationis ignarus, omen praesentium accepit, ac suis laboribus defectionem sideris adsimulans, prospereque cessura quae pergerent, si fulgor et claritudo deae redderetur;* Hist. 5, 12 *cuncta quamvis adversus longum obsidium* (i. e. quantumvis longum); Ann. 15, 72 *quibus perpetratis Nero, et concione habita, bina numum millia — divisit;* 14, 61 *ad cujus nutum absentis tumultus cierentur;* 3, 42 *inconditam multitudinem adhuc disjecit* (i. e. incond. adhuc); 12, 10 *ideo regum obsides liberos dari, ut cet.* (regum lib. obsides d.); 13, 46 *vota omnium et gaudia felicium;* cp. 50 *acri etiam populi Romani tum libertate;* 14, 3 *ministros tentare arduum videbatur mulieris usu scelerum adversus insidias intentae.* Cf. Liv. 1, 4 *nec adiri usquam ad justi cursum poterat amnis;* 4, 61 *sub cujus initium obsidionis;* 21, 32 *cum bona pace ad Alpes incolentium ea loca Gallorum pervenit;* 24, 6 *redituros se ad eum dicentes esse;* 27, 20 *de imperio abrogando ejus agebat.* V. Ruhnk. ad. Vell. 2, 68.

Huc referri potest adjectivi ab eo verbo, cui proprie junctum est aberratio: Agric. 4 *per omnem* (omnium) *honestarum artium cultum;* Hist. 3, 20 *neque enim ambigua esse*

quae occurrant, noctem et ignotae (*ignotum*) *situm urbis;* 4, 81 *per eos menses, quibus Vespasianus Alexandriae statos aestivis flatibus dies et certa maris opperiebatur* (ut Germani dicunt beständige Tage pro beständiges Wetter); Ann. 4, 32 *Nemo annales nostros cum scriptura eorum contenderit, qui veteres* (veteris) *populi Romani res composuere.* Cf. Liv. 44, 10 *simul desperatione alia salutis* (i. e. alius salutis), *simul indignatione irritavit;* 1, 1 *ad majora rerum initia ducentibus fatis;* cp. 9 *violati* (violatum) *hospitii foedus;* Vell. 2, 91 *cum esset omni scelerum conscientia mersus;* Hom. Il. α, 3 *πολλὰς δ' ἰφθίμους ψυχὰς ἄϊδι προΐαψεν Ἡρώων.* — Haec fere sunt, quae Walch. exhibet ad Agric. 4.

9) non nisi et nec nisi more hujus aevi conjunguntur, apud priores interjectis aliis vocibus sejuncta: Ann. 2, 26 *non nisi apud Germanias;* 4, 25 *non nisi duce interfecto;* cp. 68 *non nisi per Sejanum;* 6, 49 *non nisi morte;* 14, 1 *nurum non nisi filio infestam;* cp. 44 *non nisi metu;* cp. 63 *non nisi in perniciem;* Hist. 1, 58 *non nisi fallendo;* 2, 33 *non nisi militibus credit;* Germ. 14 *non nisi vi belloque.* — Ann. 4, 46 *suos ductores praeficere nec nisi adversum accolas belligerare;* ita 13, 36; 15, 29. 69; Hist. 1, 53 et passim. Locum Livii 39, 28 a Tursell. in libro de particulis laudatum *Eumenes non nisi vicissent Romani, sed nisi bellum gessissent manere in regno suo non potuit,* huc referri non posse facile quisque perspiciet. Hist. 2, 68 *et quidem partes* pro *et partes quidem* non recedit a Ciceroniano usu. Cf. Top. 15; de or. 2, 33; Brut. 83; or. 13. 38. 45. 50; Verr. 1, 35; 4, 38; Planc. 12. 35; Coel. 5; Rabir. 8. 11; Marcell. 9; Phil. 2, 3. 16. 17. 21 et saepius. Ita *ut quidem, quoniam quidem, dum quidem, cum quidem* et horum similia obvia sunt apud omnes paene scriptores.

CONLUSTRARE rara admodum significatione qua idem est quod circumspicere Ann. 2, 45 *Arminius equo conlustrans cuncta.* Cf. Cic. Tusc. 5, 23 *cum omnia collustrarem oculis;* Virg. Aen. 3, 651 *omnia collustrans — conspexi.*

CONNECTERE (CONNEXUS) *vox* apud argenteae aetatis scriptores, imprimis ap. Tacitum, crebrior quam ap. priores = conjungere, adjungere, implicare, translate maxime de intimo conjunctionis vinculo, unde *connexus* (sed ap. solum, ut videtur, Tacitum) idem nonnunquam est quod *affinitate conjunctus.* Ann. 13, 53 *Mosellam atque Ararim facta inter utrumque fossa connectere parabat;* Hist. 1, 65 *uno amne discretis connexum odium* (quod mutuam quasi

vim exercebat et continuo quidem ob vicinitatem); Ann. 3, 12 *quia dolori meo causa connexa est*; cp. 31 *Sequitur Tiberii quartus, Drusi secundus consulatus patris atque filii collegio insignis. nam biennio ante Germanici cum Tiberio idem honor neque patruo laetus neque naturâ tam connexus fuerat*; 16, 32 *non criminibus mariti connexa* (implicata); cp. 30 *quod discrimini patris filiam connectebat*; 6, 47 *Albucilla — defertur impietatis in principem; connectebantur ut conscii et adulteri ejus Cn. Domitius, Vibius Marsus cet.*; 2, 50 *Caesari connexa* (affinitate conjuncta); 4, 66 *Varo connexus.* Saepissime inter priores hoc verbo usus est Cicero V. Ind. Schützianum. Cf. innectere.

CONSCIENTIA maxime frequentatur Tacito 1) communis alicujus rei scientia, praesertim malae, quae optime perspicitur significatio e loco nostri Ann. 16, 17 *mixta inter patrem filiumque conjurationis scientia fingitur.* — Ann. 2, 77 *est tibi Augustae conscientia*; cp. 40 *simulata conscientia*; 3, 10 *conscientiae matris innexum esse*; 4, 3 *sumitur in conscientiam Eudemus*; cp. 12 *Liviae conscientia*; cp. 19 *conscientiâ belli Sacrovir diu dissimulatus — arguebatur*; 6, 21 *liberti unius conscientia utebatur*; 13, 12 *sumtis in conscientiam Othone et Cl.*; 12, 67 *provisam jam sibi Xenophontis medici conscientiam adhibet*; 13, 21 *Caesari conscientia* (parricidii) *subeunda est*; 15, 51 *primores — conscientiâ inligare*; Hist. 1, 25 *in conscientiam facinoris pauci adsciti*; cp. 27 *milites in itinere adgregantur, alii conscientiâ, plerique miraculo cet.*; cp. 28 *praebuit plerisque suspicionem conscientiae*; cp. 42 *conscientia conjurationis*; 4, 55 *quos idoneos rebantur conscientiâ obstrinxere*; Agric. 2 *scilicet illo igne vocem populi Romani et libertatem senatus et conscientiam generis humani aboleri arbitrabantur.* Ita Cic. etiam plurali numero *conscientiae* nonnunquam usurpat. V. Forcell. 2) conscientia est is animi status, quo sibi alicujus rei ipse conscius est, ejusque judicium circa recte aut prave facta; ita quoque in malam plerumque partem trahitur et haud raro, a Tacito potissimum, absolute ponitur: Ann. 12, 31 *illi conscientiâ rebellionis, et obseptis effugiis, multa et clara facinora fecere*; 14, 63 *abactos partus conscientiâ libidinum*; Hist. 4, 41 *quis flagitii conscientia inerat*; Ann. 1, 39 *pavidos et conscientiâ vecordes intrat metus*; cp. 57 *juvenis (Segimundus) conscientiâ cunctabatur*; 6, 4 *metum prorsus et noxiam conscientiae pro foedere haberi*; 15, 18 *dum adspe-*

ctui consulitur spretâ conscientiâ (rerum male gestarum); cp. 60 *nec tribuno objiciens eandem conscientiam* (conjurationis); Agric. 1 *celeberrimus quisque ingenio ad prodendam virtutis memoriam — bonae tantum conscientiae pretio ducebatur.* Cf. locos a Forcell. praetermissos Cic. Cluent. 13 *maleficii conscientia;* Catil. 3, 5 *quanta conscientiae vis esset ostendit;* Cluent. 8 *fuga sceleris et conscientiae testis;* Mil. 23 *nulla conscientia exanimatus;* Liv. 33, 28 *suam conscientiam metuens* et *conscientiâ ictus.* — Eodem modo *conscius animus* absolute Sall. Cat. 14.

CONSIDERE 1) = dehiscere, ruere, de terrae lapsu ap. Cic. et Liv., qui eodem modo 32, 9 *desidere* usurpat: Hist. 3, 33 *cum omnia sacra profanaque in igne considerent.* 2) = sedatum esse, ut ap. Cic. et Livium *terror, furor, ferocia, ardor, cura considit,* Ann. 1, 30 *Drusus — quia praesentia satis consederant, in urbem rediit,* ubi alii legunt *considerant,* sed Prisc. teste praeteritum mutuatur a *sedeo.*

CONSILIARI Hist. 2, 53 *rediere omnes Bononiam rursus consiliaturi.* Ita Cic. quoque, Liv., Caes., Horat. singulis locis. Recte Forcell. defendit hanc vocem, cum quidam in omnibus istis locis alia legenda esse censeant. V. interpretes ad locum Taciti.

CONSOCIARE, ut quibusdam locis Cic. et alii; v. Forcell., qui, quod haud raro commisit, plane neglexit Tacitum Ann. 4, 33 *cunctas nationes et urbes populus aut primores aut singuli regunt: delecta ex his et consociata reip. forma cet.;* 13, 23 *se domi — scripto usum, ne vocem consociaret;* 15, 67 *neque se armatum cum inermibus et effeminatis tantum facinus consociaturum.*

CONSONARE = resonare (Plaut., Virg., Seneca) Ann. 14, 32 *consonuisse ululatibus theatrum.*

CONSORTIUM Ann. 3, 34 *consortia rerum secundarum adversarumque;* 4, 3 *ad spem conjugii, consortium regni — impulit;* 14, 11 *quod consortium imperii speravisset.* Ita Celsus, Petron. et alii quidam huj. aevi, semel Liv. 4, 5; vox usu vulg. recepta est consortio. Cf. o b s i d i u m.

CONSPECTUS a, um v. seq.

CONSPICUUS vox poetica et Taciti aevo vulgaris, sed a Livio etiam 1, 34 usurpata, qui idem saepius exhibet *conspectus a, um* i. e. quod facile adspectui se praebet, insigne est, ut semel Tacitus Hist. 4, 11 *ne in ipsa urbe conspectior mors foret.* — Hist. 1, 88 *conspicua arma, insignes equi;* 3, 17

consilio, manu, voce insignis hosti, conspicuus suis; cp. 29 *conspicuus manu ac voce capta castra conclamavit*; 4, 29 *ipsorum tela per tenebras vana: Romani conspicuam barbarorum aciem — ad ictum destinabant*, cp. 42 *inlustres senes, conspicuae feminae.*

CONSTRUCTIO PRAEGNANS v. in Proleg. de brevitate stili Tacitei.

CONSULERE cum dativo i. q. prospicere, ut *fugae consulere*, latius patet ap. Tacitum; non enim, ut vulgo, ad commodum alterius, neque etiam ipsius qui consulit, pertinet, ut Ann. 2, 26 *quando Romanae ultioni consultum esset*, sed insolentius etiam *consulere alicui* idem est quod incommodo ejus prospicere, eique operam dare Ann. 3, 46 *imbelles Aeduos evincite et fugientibus consulite*, Rupertio interprete *fugam quam parant jam et circumspiciunt, adjuvate persequendo*, minus recte, licet alii interpretes longius aberraverint a vero; nihil est *fugientibus consulere* nisi fugientes persequi, et cum studio quidem.

CONSULTATIONES v. abstracta.

CONSUMMARE = perficere Hist. 3, 84 *quidquid tot procliis laboris ac periculi hausissent, opere illo consummari clamitantes.* Ita praeter ejusd. aet. scriptores Liv. 28, 17 *velut consummatam ejus belli gloriam spectabat*; 29, 23 *ad eam rem consummandam — profectus Hasdrubal.* Cf. Vell. 2, 116 *praereptus immature et fructu amplissimae principis amicitiae et consummatione evectae in altissimum paternumque fastigium imaginis deceptus est.*

CONTACTUS, US translate i. q. contagio, rara admodum significatione, de morbo Ann. 6, 7 *infecti quasi valetudine et contactu*; cf. Liv. 4, 30 (inspice etiam 25, 26) *scabie alia absumpta (pecora) vulgatique contactu in homines morbi*; ibi tamen praevalet propria vocis significatio, qualis apud poetas maxime obtinet; similis locus est Agric. 31 *oculos quoque a contactu dominationis inviolatos habebamus.* de seditionibus motibusque exemplo aliorum concitatis Ann. 1, 43 *discedite a contactu ac dividite turbidos*; Hist. 1, 11 *ut cuique exercitui vicinae (provinciae) ita in favorem aut odium contactu valentiorum agebantur*; 2, 60 *simul ceterae legiones contactu — bellum meditabantur.* Ita solus praeter Tacitum Sallust. Hist. 1 p. 948 *non patiamini — rabiem ad integros contactu procedere.*

CONTAMINATUS, *παθικός*, Ann. 15, 37. Cf. Horat. Carm. 1, 37, 9 ibique Mitscherl. Ita Plin. H. N. 5, 36 *probrosum* dicit mollem.

CONTENDERE i. q. comparare, ut singulis locis ap. Accium, Naevium, Horat., Ciceronem, Ann. 4, 32 *nemo annales nostros cum scriptura eorum contendat, qui cet.*; 13, 3 *vetera et praesentia contendere;* sensu praegnanti idem est quod *comparando extollere* 12, 1 *suam quaeque nobilitatem, formam, opes contendere.*

CONTERMINUS (Ovid., Sil., Stat., Plin. maj., Mela, Colum., Apulej.) Ann. 6, 36 *in contermina Scythiae fugam maturavit;* 15, 1 *contermina natio;* 11, 16 *discedunt ad conterminos populos;* Hist. 4, 67 *contermina civitas;* Germ. 36 *Fosi, contermina gens.*

CONTEXTUS, us (Cic. *contextus rerum, orationis*) translate Hist. 2, 8 *in contextu operis dicemus.* Similiter de verborum et litterarum continuo ordine Quintilianus.

CONTIGUUS (Virg., Ovid., Plin. maj., Ammian. cf. Drakenb. ad Liv. 30, 5, 7.) Ann. 2, 60 *quas terras Syri Armeniique et contigui Cappadoces colunt;* 6, 45 *pars circi Aventino contigua;* 15, 38 *in ea parte circi quae Palatino Caelioque montibus contigua est.*

CONTINUARE saepius quam ap. alios, poetico maxime more (cf. *continuare dapes* ap. Horat.) praegnanti signif. supplet alia verba, ut sit *continuo aliquid facere, aedificare, adnectere cet.* 1) ad locum et tempus pertinet Ann. 15, 9 *dein pons continuatus;* cp. 39 *domui ejus, qua palatium et Maecenatis hortos continuaverat;* cf. Sall. Cat. 20 *continuare domos;* Germ. 45 *Suionibus Sitonum gentes continuantur* (insolentius dictum hac verb. structura pro *contigui, finitimi sunt*); Ann. 16, 5 *diem noctemque sedilibus continuant* (i. e. continuo adsident); 14, 20 *ne, si consideret, theatro dies totos ignaviâ continuaret* (i. e. continuo insumeret); Germ. 22 *diem noctemque continuare potando;* Ann. 1, 80 *id quoque morum Tiberii fuit, continuare imperia* (ut *continuare consulatum* ap. Liv.) *ac plerosque ad finem vitae in iisdem exercitibus — habere*). 2) loci temporisque minus ratione habita Agirc. 41 *cum damna damnis continuarentur* (i. e. cum clades cladi adderetur); Hist. 4, 49 *laeta Pisoni omnia tanquam principi continuare* (i. e. continuo adstrepere); Ann. 13, 9 *solitam prioribus reverentiam in populum Romanum continuaret;* cp. 11 *ut — levium quoque rerum gloriâ subla-*

lus majores continuaret (i. e. continuo majoribus applicaret animum); cp. 53 *si pacem continuavissent* (i. e. continuam fecissent); 14, 36 *stragem caedemque continuarent, praedae immemores;* cp. 12 — *ut multos post annos Nero imperium et scelera continuaverit.* V. seq.

CONTINUUS (v. continuare, cujus ob praegn. significationem eadem ratio est). Ann. 2, 6 *Rhenus uno alveo continuus* (ita Plin. maj. de Euphrate); Agric. 10 *mare continuum;* Ann. 4, 36 *postulandis reis — continuus annus fuit;* cp. 47 *montem occupat angustum et aequali dorso continuum usque ad proximum castellum;* 6, 26 *Nerva continuus principis* (insolenter prorsus pro *perpetuus comes*); 11, 5 *continuus inde et saevus accusandis reis Suilius;* 12, 25 *Claudios — ab Atto Clauso continuos duravisse;* Hist. 2, 3 *simulacrum deae non effigie humana continuus orbis latiore initio tenuem in ambitum metae modo exsurgens;* cp. 6 *cum ingentibus auxiliis Syria Judaeaque: inde continua Aegyptus duaeque legiones.* Ita ap. Liv. quoque et alios idem valet quod *contiguus, confinis.*

CONTRA 1) de praeposit. v. conloc. verb. 4. 2) adverb. saepe usurpatur a Tacito et multiplicem habet sed non recedentem a vulgari dicendi genere usum Ann. 3, 69 *multos contra quam spes aut metus de illis fuerit egisse* (ita Cic. quoque loquitur pro vulgari *contra — ac, atque*); 4, 59 *neque ausurum contra Sejanum;* cp. 29 *si tormenta pervicaciâ servorum contra evenissent;* 6, 1 *quia contra destinaverat;* 11, 10 *huic contra* (obviam) *itum ad amnem Erindem;* Hist. 1, 65 *si fortuna contra daret;* 2, 14 *obtulere se hosti incaute, cum exciperet contra veteranus miles;* cp. 97 *experimentum contra fuit.* 3) conjunctio est Ann. 12, 47 *et erant contra, qui cet.;* Hist. 2, 10 *contra apud alios nihil aeque reo proderat,* et sic passim; sed usurpat etiam, quod aeque in vulg. usu est, *e contrario* Hist. 1, 88 *nec deerant e contrario qui cet.;* 2, 5 *Mucianum e contrario magnificentia et opes — extollebant.*

CONTRADICTIO haud raro ap. Quintil. sensu rhetorico de objectionibus quas dicunt, ap. solum Tacitum de actu contradicendi Ann. 14, 43 *quidquid hoc in nobis auctoritatis est, crebris contradictionibus destruendum non existimabam.*

CONTRECTARE insolentius junct. Ann. 3, 12 *quo pertinuit nudare corpus et contrectandum vulgi oculis permittere.*

Sed

Sed proxime accedit ad locutionem quâ usus est Cic. *aliquid mente contrectare* i. e. contemplari.

CONTUBERNIUM 1) tentorium in quo certus militum numerus habitat. V. Veget. 2, 13 *ipsae centuriae in contubernia divisae sunt, ut decem militibus sub uno papilione* (tentorio) *degentibus unus praeesset decanus, qui caput contubernii nominatur.* Caes. B. C. 3, 76 *depositis in contubernio armis vallum relinquebant;* Tacit. Ann. 1, 17 *e contuberniis hostem adspici;* cp. 41 *progrediuntur contuberniis;* cp. 48 *irrumpunt contubernia, trucidant ignaros,* et sic saepius. 2) ap. solum Tacitum, ut videtur, designat domicilium, in quo servi cum conjugibus suis agebant, quorum matrimonium cum justum verumque non esset et ipsum *contubernium* vocabatur (v. n. 3.) Hist. 1, 43 *exceptus misericordiâ publici servi et contubernio ejus abditus;* 3, 74 *disjecto aeditui contubernio.* 3) convictus est contubernalium, proprie militum (v. locum e Vegetio supra allatum), dein aliorum etiam hominum qui sodalitatis quodam vinculo conjuncti agunt. Et illa quidem significatione omnes, hac vero argenteae modo aetatis scriptores usurpant h. vocem, praecipue de iis, qui una litteris operam dant et de maritali conjunctione. Ann. 1, 41 *in contubernio legionum eductus;* Hist. 2, 80 *et provinciales sueto militum contubernio gaudebant;* Dial. 5 *quis enim nescit, neminem mihi conjunctiorem esse et usu amicitiae et adsiduitate contubernii quam Salejum Bassum.*

CONTUMELIA (a contemnendo) i. q. injuria cum contemptu, qua non solum jus sed ipsa persona laeditur cum verbis (Ann. 15, 20 *una vox ejus usque ad contumeliam senatus penetraverat)* tum, praesertim ap. Tacitum, factis etiam Hist. 3, 31 *praeberi ora contumeliis* (ictibus); cp. 85 *erigere os et offerre contumeliis;* Ann. 2, 69 *hinc graves in Pisonem contumeliae* (et verbis et factis); 14, 31 contumelia dicitur *Boadicea verberibus adfecta et filiae stupro violatae;* 2, 58 *Vonones Pompejopolim — amotus est. datum id non modo precibus Artabani sed contumeliae Pisonis, cui gratissimus erat;* 15, 34 de scurra dicitur peculiari modo *Vatinius — corpore detorto, facetiis scurrilibus — in contumelias adsumptus.*

CONVELLERE 1) sign. propria Ann. 1, 32 *convulsos laniatosque* (*centuriones*) *— in amnem Rhenum projiciunt;* cp. 20 *vexilla convellunt* (i. e. evellunt; Freinshem. falso de laceratis vexillis accipit) cf. Suet. Claud. 13 *neque aquilae ornari, neque signa convelli potuerunt.* Plerumque actus con-

vellendi ad plures pertinet, qui una moliuntur. Cf. cum locis modo laudatis Cic. Verr. 5, 72 *teque Hercules, quem iste servorum instructa et comparata manu convellere ex suis sedibus atque auferre conatus est.* Sed de uno etiam, ut Cic. pro domo 21. 2) translate, ut praeter nostrum saepissime Cicero, Ann. 4, 40 *discordiâ nepotes suos convelli;* 6, 40 *Blaesis sacerdotia, integrâ eorum domo destinata, convulsâ distulerat;* cp. 48 *cum Tiberius — vi dominationis convulsus et mutatus sit;* 12, 1 *caede Messallinae convulsa principis domus;* cp. 58 *tributum Apamensibus terrae motu convulsis — remissum;* cp. 65 *novercae insidiis domum omnem convelli;* Hist. 2, 94 *convulsum castrorum decus;* 4, 30 *promissis fidem legionum convellens.* Eodem modo usurpantur *concutere, concussus, inconcussus* Hist. 5, 25; Ann. 2, 43; cf. Vellej. 2, 79. 90. 121.

CONVENAE συνήλυδες, ut singulis locis Cic. et alii nonnulli, Hist. 5, 2 *Assyrios convenas — parte Aegypti potitos.*

CONVENIT = constat (de rebus in universum dijudicandis) Hist. 1, 8 *delatum ei a milite imperium conveniebat.* Cf. Plin. H. N. 16, 90 *convenit inter auctores;* Quintil. 3, 5, 5, *convenit, quaestiones esse aut infinitas, aut finitas,* et sic passim; apud priores raro admodum, ut Liv. 26, 49 *ne de ducibus quidem convenit;* nam alia res est cum de pacto agitur, ut saepissime apud priores quoque legitur *res convenit, pax convenit* et id genus plura.

CONVENTICULUM de aedificio Ann. 14, 15 *exstructa conventicula.* Ita Arnobius; Cic. de conventu hominum. Cf. a u d i t o r i u m.

CONVENTIO de pacto Hist. 3, 70 *si conventionis poeniteat.* Ita Plin. min., Seneca, Apulej. Ulpian. — Actus conveniendi est Sall. Cat. 23, 1 ibique adi Cortium. Cf. Cic. ad Q. fratr. 2, 3 *congressio et digressio nostra;* Fam. 4, 4 *decessio.*

CONVENTUS 1) „oppida in provinciis selecta, in quibus praetores et proconsules conventus agebant et pro tribunali jus reddebant occurrentibus eo ad diem edictam, qui in circumjectis locis et horum alicui attributis lites haberent.“ Ita Gron. in observatt. Lib. 3 cp. 22, ubi accuratissime hac de re egit ad explicandum locum Taciti Hist. 4, 56 *Illuc Claudius Labeo, quem captum et extra conventum amandatum in Frisios diximus — profugit,* i. e. Gronovio interprete extra oppidum et fines Batavorum. V. locos quos e Cicerone, Plinio maj., Caesare, aliis attulit ad sign. h. vo-

cis illustrandam. 2) Inde ipsum hominum illorum coetum indicat qui ad tribunal praetoris prove consulis conveniebant Agric. 9 *ubi conventus ac judicia poscerent, gravis, intentus, severus.* Cf. Cic. Verr. 5, 11 *ex iis oppidis, in quibus consistere praetores et conventum agere solent.* 3) Latius etiam patet haec vocis significatio Ann. 2, 35 *conventum Italiae et adfluentis provincias praesentiae ejus servanda dicebat;* Agric. 12 *rarus duabus tribusque civitatibus ad propulsandum commune periculum conventus.* Ita priores quoque usurpant h. v.

CONVERSATIO i. q. consuetudo, familiaris usus Ann. 12, 49 *cum privatus olim conversatione scurrarum iners otium oblectaret;* Germ. 40 *satiatam conversatione mortalium deam;* Dial. 10 *conversatio amicorum.* Utuntur hoc vocabulo praeter Tacitum Vellejus, Quintil., Plin. maj., Seneca, Justin., (Trogus) Appulej; maxime frequentatur Senecae; adde exemplis a Forcell. propositis cons. ad Polyb. 36 *conspectum conversationemque civium profugere;* ad Marc. 23 *facilius ad superos iter est animis cito ab humana conversatione dimissis.* V. Spald. quoque ad Quintil. 6, 3, 17.

CONVERTERE pro converti Ann. 4, 3 *cuncta tentanti promptissimum visum ad uxorem ejus Liviam convertere.* Cf. Cic. Brut. 38 *hoc vitium huic uni in bonum convertebat;* Sall. Cat. 6, 7 *ubi regium imperium — in superbiam dominationemque convertit.* V. Cort. ad h. l. Cf. vertere.

CONVICTUS a, um praeter vulg. structuram (cum acc. c. inf., genitivo, ablativo) etiam cum *in* praepositione ablativo juncta Ann. 15, 44 *haud perinde in crimine incendii quam odio humani generis convicti sunt;* cf. 11, 2 *quos pecuniâ et stupro in omni flagitio obstrictos arguebat.* Ita Suet. et Plin. maj. exhibent *in affectatione imperii, in homicidio convictus.* Cic. Sull. 30 *in hoc scelere convictus.*

CONVICTUS, US = convivium (Vellej., Celsus, Plin. maj.) Ann. 2, 28 *Libonem ornat praeturâ, convictibus adhibet;* 13, 15 *inrisum — sperans pueri sobrios quoque convictus, nedum temulentos ignorantis;* 14, 4 *tracto in longum convictu.* Notissima est altera vocabuli sign. qua denotat συμβίωσιν. Cf. Cic. Sen. 13 *bene majores nostri accubitionem epularem amicorum, quia vitae conjunctionem haberet, convivium nominarunt; melius quam Graeci, qui hoc idem tum compotationem tum concoenationem vocant.*

CONVIVALIS Ann. 6, 5 *ne convivalium fabularum simplicitas in crimen duceretur;* ita solus praeterea Liv. 39, 6 *convivalia ludionum oblectamenta addita epulis.* Macrob. exhibet *convivialis.*

COPIA sing. num. pro plurali ubi exercitum designat Tacito frequentatur, raro ap. alios hujus rei usu. Ann. 2, 52 *levi cum copia* i. e. cum levi armatura, leviter armatis; 4, 4 *quae tum Romana copia in armis;* cp. 27 *classiariorum copia;* cp. 56 *missa navali copia;* 12, 56 *navale proelium — levibus navigiis et minore copia ediderat;* 13, 55 *validior gens, non modo suâ copiâ sed cet.* Cf. Cic. Att. 8, 12 *ut ipse cum omni copia ad nos veniret.* V. alios locos e Cic., Sallust., Hirtio petitos ap. Forcell. De plurali frumentum et commeatum exprimente peculiari sign. ap. Vellej. 2, 111, Tacitum et huj. aetatis scriptt. vide Hess. ad Germ. 30. Sed haec non recedunt a vulgari usu, cum latissime pateat h. v. significatio.

COPIOSUS i. q. dives, locuples, ap. Ciceronem quoque, Livium, alios legitur, sed ad divitias aut ad oratoriam dumtaxat copiam referunt; ad animum etiam spectat Ann. 3, 66 *artibus honestis copiosus.*

CORAM paullo insolentius usurpatur Ann. 4, 54 *nec tamen Tiberii vox coram secuta* (ad ipsam Agrippinam conversa), *sed obversus ad matrem, non mirum, ait cet.;* 6, 8 *spectamus porro quae coram habentur* (i. e. quae apparent); 15, 36 *senatus et primores in incerto erant, procul an coram* (praesens) *atrocior haberetur* (*Nero*). Ceterum congruit Taciteus h. vocis usus cum priori consuetudine.

CORONA Ann. 16, 4 *facundiae corona, qua ludicra deformitas velaretur,* non est *praemium,* translata vocis *coronae* significatione, qualis ap. Virg. aliosque poetas obtinet, sed proprie accipiendum est vocabulum, de quo ap. nostrum cf. Ann. 2. 57. 83; 15, 12; Hist. 2, 55. de variis coronarum generibus adeundus est Gell. 5, 6. Ann. 2, 57 *coronae aureae* ex Orientis more explicandae sunt a Romanorum quoque imperatoribus recepto. Cf. Justin. 18, 2, qui memoriae prodit legatos Romanos ab Aegyptiis in convivio coronis aureis donatos esse; Polyb. 15, 31 *Ἀριϛομένης — ὡς ἑαυτὸν ἐπὶ δεῖπνον καλέσας τὸν Ἀγαθοκλέα (τὸν ψευδεπίτροπον Πτολεμαίου* cp. 25) *χρυσοῦν ϛέφανον ἀνέδωκε μόνῳ τῶν παρόντων, ὃ τοῖς βασιλεῦσιν αὐτοῖς ἔθος ἐϛὶ μόνοις συγχωρεῖθαι;* Capitolin. in Aelio Vero cp. 5. *coronas quin etiam datas* (*convivis*) *lemniscis aureis interpositis, et alieni temporis floribus.*

CORPUS minus usitatis significationibus usurpatur 1) poetico maxime more de ipsis personis, imprimis ad robur virium vel decus designandum Hist. 2, 11 *Othonem comitabantur speculatorum lecta corpora;* Ann. 2, 46 *Inguiomerum tenens, in illo corpore decus omne Cheruscorum — testabatur.* Cf. Liv. 29, 21 *libera corpora placere sine mora Locrensibus restitui;* Curt. 5, 13, 4 *in illo corpore (in Dario) posita est victoria nostra;* 4, 11, 6 *matrem et duas virgines filias redde: pro tribus corporibus triginta millia talentum auri precatur accipias;* similiter de animalibus Sen. epist. 90 *mutis quidem gregibus aut maxima corpora praesunt aut vehementissima. — Elephantorum gregem excelsissimus ducit.* V. in Proleg. de pleonasmo. 2) de hominum generibus et ordinibus uno nomine comprehensis Ann. 13, 27 *late fusum id corpus (libertorum);* Hist. 4, 64 *redisse vos in corpus nomenque Germaniae;* Germ. 39 *magno corpore (Semnonum centum pagis habitantium) efficitur, ut se Suevorum caput credant.* Cf. praeter similes aliorum locos a Forcell. conlatos Liv. 6, 34 *inter sui corporis homines* (patricios); 26, 48 *studia excitaverant uterque sui corporis hominum* (legionariorum et classiariorum); 34, 9 *nunc in corpus unum confusi omnes* (Emporiarum incolae, Graeci, Hispani, Romani).

CORTINA Dial. 19 *cum vix in cortina quisquam adsistat quin elementis studiorum — imbutus sit.* „Ursinus et Muretus proposuerunt *corona* receptum ab Acid., Heum., Bip., Schulz., Oberlin. et probatum Gesnero in thes.; veterem lectionem revocavit Seebode. Lipsius interpretatus est *de subselliorum juxta tribunal loco, quo non advocati solum, sed scribae, praecones atque id genus operae forenses consistebant;* Nicol. Loensis Epiphyll. 9, 5 *de tribunalis clavo hemicyclo testudinato.* aliam metaphoram agnoscit Scaliger ad Varr. L. L. 6, 3 *cortina* dicitur de cavo et convexo spatio; sic Ennius dixit *coeli cortinam*, Severus in Aetna v. 294 *magni cortina theatri*, ad quem locum cf. Scaliger et Gorallus.“ Ita Dronkius secundum Forcell. Etiam J. Beckerus *corona* praetulit; sed recte habet *cortina*, cum praesertim difficilior sit lectio, et quod praecedit *vix* magis ita congruat cum orationis serie.

COTIDIE Hist. 1, 37, praeter vulg. scripturam *quotidie* Agric. 3 et saepius. Ita Liv. 23, 16; Vell. 2, 60 (*cotidianus*). Cf. Quintil. 1, 7, 6 *Frigidiora his alia, ut* quicquid *c quartam haberet, ne interrogare bis videremur: et* quotidie, *non*

cotidie, *ut sit* quot diebus. *Verum haec jam etiam inter ipsas ineptias evanuerunt.*

COVINARIUS Agric. 35 *media campi covinarius et eques strepitu ac discursu complebat.* Ita inter alios legunt Hertelius, Imman. et U. I. H. Beckeri; Walchius *covinarius eques.* Contendit enim, neque ap. Caesarem B. G. 4, 24. 33, neque ap. Tacitum ac Dionem inter equitatum atque essedarios discrimen intercedere, minus autem patere (?) ea quae Mela 3, 6 memoriae prodiderit *dimicant non equitatu modo aut pedite, verum et bigis et curribus Gallice armati: covinos vocant, quorum falcatis axibus utuntur.* Ubi ap. Caesarem *equitatus et essedarii* commemorentur, figuram, quam ἓν διὰ δυοῖν dicant, adhibendam esse ad ejus locutionis explicationem. Sed minus recte vir clarissimus hac super re disputavit (p. 367 — 380 et in additamentis p. 439 — 446) omnesque cum Melae sententia consentiunt scriptores, dum aliud militum genus essedarios s. covinarios, aliud equites statuunt, licet, aurigis exceptis, qui in essedis remanebant, illos quoque *equites* dixeris; cf. Caes. l. l. cp. 33. Illud enim per ἓν διὰ δυοῖν figuram interpretationis genus nullo prorsus modo adhiberi potest quibusdam Caesaris locis, ut cp. 32 l. l. *simul equitatu atque essedis circumdederant reliquos.* (cf. 5, 9) et Tacitus in Agric. vita cp. 36 *interim* ait *equitum turmae fugere, covinarii peditum se proelio miscuere.* Sed is maximus est viri doctissimi error, quod hoc loco *equitum turmas* de Romanorum, non de Britannorum equitatu accipit, nullam aliam ob causam, quam quod praejudicatam sequitur opinionem, nullum esse inter equites et covinarios discrimen; nam quod *equitum turmas* de Romanis tantum dici posse contendit, refellitur loco Taciti ab ipso collato Ann. 14, 34 *Britannorum copiae passim per catervas et turmas exsultabant,* (cf. c u n e u s) et in illo loco Agric. 36 de Britannorum equitibus agi, inde jam patet, quod covinarii una cum equitum turmis commemorantur, propterea quod utrumque hoc militum genus conjunctis viribus impetum facere solebat in adversam aciem. Nihil vero agit Walchius cum dicit *Britannorum* vocem addi debuisse, si ad barbarum equitatum referendae essent *equitum turmae,* cum de Britannorum clade versu proxime praecedente agatur. — Ceterum *covinarii* vox apud solum Tacitum legitur; *covinos* praeter Melam etiam Martialis, Lucanus, Silius commemorant.

CREBRESCERE (Virg. et serioris aevi scriptt.) maxime de rumore Ann. 2, 39 *crebrescit vivere Agrippam, occultis primum rumoribus*; 3, 60 *crebrescebat licentia asyla statuendi*; Hist. 1, 39 *exterritus — fremitu crebrescentis seditionis*; 3, 34 *crebrescente invidia*; 4, 12 *crebrescentem cladis Germanicae famam.*

CREDERE de aliq. re v. accusat.

CREDULUS passive Hist. 1, 34 *credula fama*; sine exemplo ap. alios, quod sciam; cf. tamen gnarus, ignarus, nescius, incautus, formidolosus, volens.

CRIMINATOR Ann. 4, 1 *sui obtegens, in alios criminator.* Ita Plautus quoque.

CRIMINOSE (Cic., Liv., alii) Hist. 3, 38 *nec defuere qui ipsum Tuscum et alios, sed criminosius Blaesum incusarent*; Ann. 16, 20 *quaedam de Tigellino criminose detulerat.*

CRUDESCERE Hist. 3, 10 *crudescit seditio.* Ita poetae, Justin. et seriores.

CRUDUS poetice i. q. recens, viridis Agric. 29 *quibus cruda ac viridis senectus* (ὠμὸν γῆρας); Ann. 1, 8 *a parentibus acceperant diem illum crudi adhuc servitii.*

CRUPELLARII ἁπαξλεγ. Ann. 3, 43 *e servitiis (apud Aeduos) gladiaturae destinati, quibus more gentico continuum ferri tegimen: crupellarios vocant* „quos dictos putant a Celt. *cropet*, torpere, (quod ferreae vestis mole impediti torpuerint quasi membris capti) vel a Germ. *Krüppel s. Kroepel*, Angl. *cripple*, Valles. *crupl.*, vel a γρυπάλιον, senecio. Lips. in margine notavit *cruppes*, παχύς, et conj. *clibanarios*, qui sunt equites *clibano* s. thorace tecti, al. *cataphracti s. cataphractarii*, Gall. *cuirassiers*, de quibus v. Ammian. 16, 10, 12; Nazar. laud. Constant. 22; Lamprid. Sever. 56." Ruperti.

CUBITARE (Cic., Colum., Sen.) Ann. 14, 5 *super pedes cubitantis reclinis.*

CUM omissum v. ablat.

CUMMAXIME (saepe idem valet quod ἀκμήν) frequentissimum Tacito, ortum e locutione *ut cum maxime* Cic. Q. fratr. 2, 6 *domus celebratur ut cum maxime.* V. tamen Spald. ad Quint. 6, 1, 23 coll. Cort. ad Plin. 6, 31, 15. Cf. Plin. epist. 3, 5 *hora septima, vel cum tardissime octava.* Ita Cic. Att. 10, 16 *commodum ad te dederam litteras — cum ad me bene mane Dionysius fuit*, et similia 13, 9. 19. 30. (Ejusdem generis est Germ. 10 *Auspicia sortesque, ut qui maxime, observant*, ubi vid. Hess.) — Ann. 3, 59 *littora et lacus Campa-*

niae cummaxime peragrantem; 4, 27 *coeptantem cummaxime conjurationem disjecit*; Hist. 4, 55 *capi cummaxime urbem*; cp. 58 *tolerant cummaxime inopiam*; cp. 65 *congregantibus se cummaxime Romanorum exercitibus*; Hist. 3, 4 *surgentibus cummaxime partibus*; 1, 29 *ut qui adversas res expertus cummaxime discam ne secundas quidem minus discriminis habere*; cp. 84 *quos cummaxime Vitellius in nos ciet*; Dial. 16 *eadem positio coeli siderumque quae cummaxime est* (dermalen gerade); cp. 37 *vetera, quae in antiquorum bibliothecis adhuc manent et cummaxime a Muciano contrahuntur.* Ita Cic. de or. 1, 18; Verr. 4, 38; 5, 54; Cluent. 5; senect. 11; harusp. resp. 15 (*quae fiunt cummaxime*, dermalen gerade); Liv. 29, 17 *omnia quae captae urbes patiuntur et cummaxime patimur*); 27, 9; 33, 9; 40, 13. 22; 43, 7.

CUNCTI *σύμπαντες*, cum majorem habeat vim quam *omnes*, creberrima ap. Tacitum vox. E magno exemplorum numero ea excerpta proponimus, ubi insolentius genitivus adjungitur neutro plur., dein ea ubi *cuncta* idem prope est quod *denique omnia*. Ann. 3, 35 *cuncta curarum ad principem rejicere*; Hist. 5, 10 *cuncta camporum omnesque praeter Hierosolyma urbes victore exercitu tenebat* (ita *cuncta terrarum* Horat.) — Ann. 3, 15 *redintegratam accusationem, infensas patrum voces, adversa et saeva cuncta perpessus*; 12, 65 *ne quis ambigat decus, pudorem, corpus, cuncta regno viliora habere*; 15, 11 *virtutem regis, saevitiam et copias gentium, cuncta metu extollentes*; cp. 19 *satis pretii esse orbis, quod multa securitate, nullis oneribus, gratiam, honores, cuncta prompta et obvia haberent.*

CUNCTABUNDUS Ann. 1, 7; Hist. 2, 85; Liv. 6, 7 cf. deprecabundus.

CUNCTANTER Hist. 2, 52 *ne cunctanter excepisse victoriam crederentur.* Ita fortasse solus praeterea Liv. 1, 36 *tum illum haud cunctanter discidisse cotem ferunt.* Comparativus modus communis est Val. Maximo cum Tacito Ann. 1, 71 *data utrique venia — cunctantius filio.*

CUNEUS 1) sign. propria et vulgari, sed ad similitudinem exprimendam adhibita Agric. 10 *Britannia — velut in cuneum tenuatur.* 2) sign. et ipsa maxime ap. rerum scriptores frequenti, qua designat peditum multitudinem in cunei formam redactam, a nullo saepius usurpata quam a nostro; Hist. 4, 16 *Civilis — ad vim transgressus Canninefates, Frisios, Batavos propriis cuneis componit*; cp. 20 *Batavi —*

veteres militiae in cuneos congregantur, densi undique et frontem tergaque ac latus tuti; 5, 16 *Civilis haud porrecto agmine sed cuneis adstitit;* Germ. 6 *non casus nec fortuita conglobatio turmam aut cuneum facit;* eod. cp. *acies per cuneos componitur* (ita Livius quoque de externis 32, 17 *cuneus Macedonum, phalangem ipsi vocant*); Ann. 1, 51 *Caesar avidas legiones, quo latior populatio foret, quattuor in cuneos dispertit;* 14, 37 *legio — postquam propius suggressus hostis certo jactu tela exhauserat, velut cuneo erupit* (*ex angustiis*); 16, 27 *dispersi per fora ac basilicas cunei militares;* Hist. 2, 42 *cominus eminusque catervis et cuneis concurrerunt;* 3, 29 *qua septimani dum nituntur cuneis, tertianus securibus—portam perfregit;* 3) de sedilium in theatris ordine Ann. 2, 83 *equester ordo cuneum Germanici adpellavit, qui juniorum* (i. e. equitum) *dicebatur.* Cf. Vitruv. 5, 6 *in orchestra senatorum sunt sedibus loca designata. — cunei spectaculorum in theatro ita dividantur, uti anguli trigonorum — dirigant ascensus scalasque inter cuneos ad primam praecinctionem* (v. integrum locum); Suet. Caes. 39 *in quatuordecim e scena per orchestram transiit;* Oct. 44 *praetextatis cuneum suum, et proximum paedagogis* (*assignavit*); Domit. 4 *quinquagenas tesseras in singulos cuneos equestris ac senatorii ordinis pronuntiavit.*

CUPITOR Ann. 12, 7 *talis matrimonii cupitor;* 15, 42 *ut erat incredibilium cupitor.* Ita Apulej. quoque locutus est.

CUPITUM substantivi paene locum obtinet, ut ap. Plaut. et Nazar. in paneg. Const. c. 2. Ann. 4, 3 *nepotes adulti moram cupitis adferebant;* cf. 6, 32 *cupitum id Tiberio;* 14, 2 *Fabius Rusticus non Agrippinae sed Neroni cupitum id memorat, ejusdemque libertae astu disjectum.* proprium participii usum retinet ap. Ennium, Plaut., Ovidium.

CURA 1) = liber, oratio, cum curae fuerint auctoribus Ann. 4, 11 *quorum in manus cura nostra venerit;* 3, 24 *si plures ad curas vitam produxero;* Dial. 6 *sive novam et recentem curam* (orationem) *non sine aliqua trepidatione attulerit* (sed cp. 3 *curarum studia* pertinent ad clientelas, non ad orationes. Vid. Osann.) Cf. Ovid. ex Ponto 4, 16, 39 *Essent et juvenes, quorum quod inedita cura est Appellandorum nil mihi juris adest.* Similiter *de amica* Propert. 2, 25, 9 *Lynceu tune meam potuisti tangere curam? Perfide nonne tuae tunc cecidere manus?* Atque ita in universum *de amore* haud raro poetae. 2) = curatio, administratio Ann. 12, 42 *prae-*

toriarum cohortium curâ exsolvi; 1, 11 *se in partem curarum ab illo vocatum;* 13, 28 *princeps curam tabularum a quaestoribus ad praefectos transtulit.* Hist. 2, 57 *cura ripae Hordeonio Flacco permissa.* Sic saepius Tacitus praeeuntibus quibusdam locis Cicerone, Sallustio, aliis. V. seq.

CURARE = administrare, regere (v. cura), antique, ut ap. Ennium, Plaut., Varronem, Sall., sed minus saepe legitur, Ann. 1, 31 *inferiorem (exercitum) A. Caecina curabat;* 6, 30 *legiones curabat;* 4, 36 *qui proconsul Asiam curaverat* (hinc „*curator*, ut ait Sallustius, *orae maritimae*" ap. Schol. Juvenal. 8, 105. — absolute Ann. 11, 22 *gliscentibus negotiis duo additi, qui Romae curarent (quaestores);* Hist. 3, 15 *exploratores, ut mos est, longius curabant* (longius procedebant ut negotium suum exsequerentur); Agric. 16 *comitate quadam curandi provinciam tenuit.* Cf. locos Sall. a Forcell. neglectos Jug. 57 *legatis imperat ubi quisque curaret;* cp. 60 *Quod ubi Mario cognitum est (nam is in ea parte curabat) consulto lenius agere.* Cum accusat. Jug. 100 *cohortes Ligurum curabat;* Hist. 1 p. 952 *remp. frustra curare.* Cf. Drakenb. ad Liv. 4, 45, 7.

CURATUS adj. i. q. accuratus, diligens, studii plenus Ann. 1, 13 *donec Haterius Augustam oraret ejusque curatissimis precibus protegeretur;* 2, 27 *ejus negotii — finem curatius disseram;* 14, 21 *ludos curatius editos;* 16, 22 *diurna (acta) curatius leguntur.* Ita Plin. epist. 9, 13, 10 *interea me quidam ex — amicis secreto curatoque sermone — monet, ut desistam;* Sall. Jug. 16 *eum Jugurtha — curatissime recepit,* ubi tamen Cort. praetulit *accuratissime,* ut cp. 103 legitur *accurate.*

DARE praeter vulg. usum 1) i. q. tribuere, concedere, permittere (inde etiam i. q. mandare, ut Ann. 12, 11 *datum — C. Cassio — deducere*) praeeuntibus priorum aliquot exemplis, sed plerumque cum accusat., ut Liv. 3, 58 *se quoque id generi ac nomini dare;* Tacit. Ann. 16, 16 *detur hoc — posteritati;* cp. 33 *Serviliae datur mortis arbitrium;* 6, 8 *indistincta haec defensio et promiscua dabitur?* 2, 13 *daretur pugna;* Agric. 33 *quando dabitur hostis?* — cum infinit. et *ut, ne* conjunctionibus, more poetico Ann. 4, 6 *dabatur primoribus disserere;* cp. 60 *neque Neroni defendere daretur;* 6, 19 *neque propinquis — adsistere — dabatur;* 2, 53 *foederi datum ut cet.;* cp. 58 *daturum honori Germanici, ut cet.;* 12, 23 *Galliae datum ut cet.;* 1, 7 *dabat et famae ut cet.;* 3, 69 *darent Ju-*

niae familiae — ut Cytheram potius concederet; 4, 55 *Tyrrheno datum, novas ut conderet sedes;* 3, 23 *Scauro datum, ne bona publicarentur.* — Etiam sine dativo absolute Ann. 3, 67 *neque refellere aut eludere dabatur;* 12, 12 *quantum sine bello dabatur;* 14, 47 *in quantum praeumbrante imperatoris fastigio datur, clarus.* Ita Plin. Pan. 50 *datur intueri pulcherrimas aedes.* — Hostilem contra vel inimicum animum atque contemptum exprimit *dedere,* Ann. 3, 23 *Quirino, cujus senectae atque orbitati — destinata quondam uxor L. Caesari — dederetur;* 16, 10 *audiret insontem, neve conlegam dederet liberto;* cp. 20 *Minucium — Tigellini simultatibus dedidit.* Cf. Cic. Rosc. Am. 3 *non recusamus quin illorum libidini Sexti Roscii vita dedatur.* Insolentius igitur Tacitus *dare* in hunc modum usurpasse videtur Ann. 1, 10 *sane Cassii et Brutorum exitus paternis inimicitiis datos.* Sed praevalet hoc etiam loco paternae rationis significatio, ut sit fere *patri datum, ut — opprimerentur,* nec ullo modo *dedere* dici potuisset. 2) i. q. facere, cedere, instituere, afferre, offerre, ut ap. priores quoque *stragem dare, dolorem dare, in conspectum dare* et similia, Ann. 16, 13 *quotiens fortuna contra daret;* Hist. 1, 65 *si fortuna contra daret, iratis ne relinquerentur.* 3) i. q. sententiam dare et absolute quidem, Ann. 4, 43 *ita secundum Messenios datum* i. e. decretum. Ita Suet., Plin. maj., Seneca. Simili modo Germanice edictis subscribi solet „gegeben."

DATIVUS in u desinens Tacito admodum frequens Ann. 1, 10 *extortum invito* senatu *consulatum* (Hist. 3, 60 *senatui*); 3, 30 luxu *propior;* cp. 34 *sexum natura invalidum deseri, et exponi suo luxu, cupidinibus alienis;* Hist. 2, 71 *luxu et saginae mancipatus emptusque;* Ann. 3, 33 *praesedisse nuper feminam exercitio cohortium,* decursu *legionum;* 11, 32 *Messallina Lucullianos in hortos, Silius dissimulando* metu *ad munia fori digrediuntur;* 15, 59 cruciatu *aut praemio cuncta pervia esse* (Ann. 12, 62 et Hist. 2, 65 rectius legitur *commeatui* et *comitatui*). Apud reliquos scriptores in universum raro usurpatur haec scriptura; ipse Caesar, qui saepius ea utitur, nihil fere habet nisi *magistratu, equitatu, exercitu* (cf. B. G. 1, 16. 39. 52. 40. 46); auct. belli Afr. cp. 47 *usu esse.* Vide Drakenb. ad Liv. 24, 19, 6. Syntaxis dativi *)

---

*) Cf. Güntheri commentationem supra laudatam in Wachsmuthii Athen. II, p. 274 sqq.

eo maxime apud Tacitum a vulgari dicendi genere recedit, quod poetarum more 1) pro genitivo aut praepositione objectivus qui dicitur 2) in verbis passivis pro ablativo a praepositioni juncto subjectivus, quem vocant, dativus usurpatur. De vi dativi vid. quae dicta sunt in accusativo.

1) Dativus qui dicitur objectivus usurpatur loco praepositionis aut genitivi ad eas maxime res exprimendas, quae ad animi quo quis affectús est in aliquem, ad commodi vel incommodi, ad finis quem quis sequitur, aliasque hujus modi rationes pertinent. Multa quidem in hoc genere congruunt cum vulgari sermone aut minus certe abhorrent ab eo, v. c. Ann. 12, 9 *quod aetati utriusque non absurdum*; 15, 33 *ludos, ut parum celebres et tantae voci angustos spernebat Nero*; quaedam emolliuntur quasi conjuncta cum usitato loquendi genere, ut Ann. 12, 55 *vim cultoribus et oppidanis, ac plerumque in mercatores et navicularios audebant*; 13, 21 *ultionem in delatores et praemia amicis obtinuit*; eodemque pertinet usus quem supra jam attigimus in ablativo, eundem casum ad diversas rationes exprimendas usurpandi, ita ut plerumque altera ratio cum usu vulgo recepto consentiat, ut Ann. 1, 71 *cunctos adloquio et cura sibique et proelio firmabat* (eodem modo accusativus quoque interdum ponitur; cf. Ann. 2, 20 *Tuberoni legato tradit equitem campumque*). Multa vero (et vix apud ullum alium, ne poetis quidem exceptis, plura exempla inveneris) inusitato prorsus modo dicta sunt et proxime accedunt ad Graecorum consuetudinem, quorum in dativi usu multo major licentia est quam Latinis conceditur e vulgari dicendi genere.

Hist. 4, 52 *Domitiano mitigatus*, i. e. mitigato in Domitianum animo; Ann. 11, 37 *haud concors filiae* (v. concors); 14, 38 *discors Suetonio*; 11, 21 *adrogans minoribus*; 12, 20 *mitis nobilitatibus*; Agric. 16 *missus Petronius Turpilianus tamquam exorabilior et delictis hostium novus eoque poenitentiae mitior*; Ann. 11, 37 *morti decus quaerendum*; Germ. 16 *suffugium hiemi*; Ann. 2, 64 *exscindere castella, causas bello*, quem locum Drakenb. ad Liv. 3, 46, 2 laudavit, ubi demonstrat, Livium dativum addere amasse nominibus pro genitivo; 12, 37 *praesens sors mea ut mihi informis, sic tibi magnifica est*; cp. 13 *diis vota suscipere*: Hist. 3, 53 *non se nuntiis neque epistolis, sed manu et armis imperatori suo militare*; 2, 17 *longa pax (eos) ad omne servitium fregerat, faciles occupantibus et melioribus incuriosos* (i. e. meliorum curam

non gerentes); Ann. 14, 49 *respondenti reticens* (i. e. si quis respondebat silentium agens); 3, 43 *inferendis ictibus inhabiles, accipiendis impenetrabiles;* 1, 2 *servitio promptior;* 12, 4 *accipiendis suspicionibus promptus;* 4, 60 *promptior Neroni* (i. e. magis deditus) v. promptus; 6, 33 *qui Parthis adventabant;* 4, 60 *qui Sejano fautores aderant* (Sejani; proprie: Sejano faventes); 3, 40 *cum id rarum nec nisi virtuti pretium esset;* 13, 23 *cui* (cujus) *per nuptias Antoniae gener erat;* cf. Cic. Brut. 83 *Demochares, — qui fuit Demostheni sororis filius;* Ann. 11, 19 *cui tantum asperitatis* (cujus tanta asperitas) *etiam adversus levia credebatur.* — 15, 65 *non referre dedecori,* constr. praegnans: non prodesse ad dedecus minuendum. Cf. consulere.

Dativus absolutus e more Graecorum a Latinis receptus (Herodotus ita: ἀληθέϊ λόγῳ χρεωμένῳ) Agric. 11 *in universum tamen aestimanti, Gallos vicinum solum occupasse credibile est;* Germ. 6 *in universum aestimanti, plus penes peditem roboris;* Hist. 4, 17 *vere reputantibus, Galliam suismet viribus concidisse.* Cf. Liv. 26, 24 *urbium Corcyrae tenus ab Aetolia incipienti solum tectaque — Aetolorum esse;* (ita Herodotus 2, 29 Ἀπὸ Ἐλεφαντίνης πόλιος ἰόντι ἄναντές ἐστι χωρίον); Curt. 4, 7, 29 *vere et salubriter aestimanti fidem oraculi, vana profecto responsa videri potuissent;* sed hujus loci similis tantum, non eadem ratio est, nam *aestimanti* non in universum omnium, sed ipsius maxime Alexandri judicium exprimit; facit tamen ad illum dativi usum explicandum. Consule praeterea Hess. ad Germ. 6.

Hist. 1, 49 obtentui *esse;* Ann. 1, 10 *tempora reip. obtentui sumpta* (ita Sallustius quoque loquitur); 12, 14 ostentui *clementiae suae et in nos dehonestamento;* 1, 29 *corpora extra vallum abjecta ostentui;* Hist. 1, 78 *nova jura* (*dedit*) *Cappadociae — ostentui magis quam mansura;* cp. 7 inrisui *esse;* Agric. 39 derisui *esse* (Ann. 3, 57 *deridiculo fuit*); Hist. 1, 79 usui *esse;* Ann. 4, 69 metui *esse;* Hist. 4, 57 despectui *esse;* Germ. 23 potui *humor ex hordeo;* cp. 46 victui *herba,* vestitui *pelles;* Ann. 16, 4 indutui *gerere vestem,* ubi Pichena laudat Apul. Florid. 2 pr. p. 346 ed. Elm. *habebat indutui ad corpus tunicam interulam — cinctui balteum, amictui pallium candidum,* et Cic. Tusc. 5, 32 *mihi amictui est Scythicum tegmen;* — Ann. 12, 21 *cum — visui populo praeberetur;* cp. 13 *equi* venatui *adornati.* Nominat. etiam ponitur pro huj. generis dativo, Livio prae-

eunte cum poetis Germ. 13 *nec rubor* (i. e. neo rubori est) *inter comites adspici*, ibique Hess. adnot. inspice.

Ann. 12, 69 *cohors, quae more militiae* excubiis *adest;* 13, 32 *senatus consultum factum* ultioni *juxta et* securitati; 12, 46 *diem* foederi *accepit;* 1, 51 *incessit* itineri *et* proelio i. e. et ad iter perficiendum et ut proelium committeret; 13, 40 *qui* viae *pariter et* pugnae *composuerat exercitum.* Germ. 11 agendis rebus *hoc auspicatissimum initium credunt.*

Ut vulgo dicitur *triumvir reip. constituendae, dividendis agris; comitia regi creando*, ita latius multo quam apud ceteros omnes patet apud Tacitum dativi usus cum part. fut. pass. Ann. 6, 37 *cum ille equum placando amni adornasset;* 3, 1 *illic paucos dies componendo animo insumit;* cp. 31 *Tiberius quasi firmandae valetudini in Campaniam concessit;* 1, 26 *neque augendis militum stipendiis venisset;* 13, 39 *subruendo vallo inducit milites;* cp. 4 *firmando praesidio dividuntur vires;* 6, 23 *accipiendo regno adventabat;* Hist. 1, 41 *paucos dies exsolvendo donativo deprecatum;* Ann. 2, 46 *augendae dominationi certare;* 6, 32 *reciperandae Armeniae — Mithridatem deligit;* 2, 4 *C. Caesar componendae Armeniae deligitur;* 6, 43 *reddendae dominationi venire;* cp. 50 *recreandae defectioni cibum adferre;* Hist. 5, 19 *deesse naves efficiendo ponti;* Ann. 3, 25 *augendo aerario sanxerat;* 15, 8 *rapit exercitum trans montem Taurum reciperandis — Tigranocertis;* cp. 10 *quos visendis hostium copiis praemiserat;* cp. 16 *quos testificando rex misisset;* cp. 24 *accipiendo diademati in urbem venire;* 16, 2 *dantur triremes — juvandae festinationi;* 1, 60 *Caecinam — distrahendo hosti — ad flumen Amisiam mittit;* cp. 62 *primum exstruendo tumulo cespitem Caesar posuit;* 11, 20 *qui in agro Mattiaco recluserat specus quaerendis venis argenti;* cp. 22 *post — viginti creati supplendo senatui;* 12, 19 *laudat quod suam dexteram petendae veniae delegerit;* cp. 38 *cohortes exstruendis apud Siluras praesidiis relictas;* cp. 41 *ludicro circensium, quod adquirendis vulgi studiis edebatur;* cp. 48 *ut saepe principes Romani eandem Armeniam, specie largitionis turbandis barbarorum animis praebuerint;* cp. 57 *contrahendae rursus multitudini gladiatorum spectaculum editur;* cp. 66 *refovendis viribus — Sinuessam pergit;* Hist. 3, 32 *balneas abluendo cruori propere petit;* 5, 1 *Titus perdomandae Judaeae delectus a patre.* Cf. Plin. Pan. 80 *non locupletando fisco sedes (in cognitionibus).* — Omisso adjectivo aut participio

utilitatem simul finemque exprimente Hist. 3, 20 *cum cetera expugnandis urbibus* (utilia) *tulissent.* (Cf. Liv. 30, 6 *quae restinguendo igni forent portantes;* cp. 9 *quae diutinae obsidioni tolerandae sunt ex agris convehit;* Curt. 4, 9 *corvi et alia tuendis urbibus* excogitata *praeparabantur,* ubi additum est participium) Hist. 3, 49 *quae seditiosa et corrumpendae disciplinae* (inservientia) *mox in praedam vertebat;* Ann. 14, 3 *additurum principem defunctae templum et aras et cetera ostentandae pietati;* 13, 38 *locum delegit, cujus pars altera colles erant clementer adsurgentes, accipiendis peditum ordinibus.*

Ejusdem fere generis sunt adjectiva cum dativis illis conjuncta Ann. 2, 57 *amici accendendis offensionibus callidi;* 6, 24 *tegendis sceleribus obscurus;* Hist. 4, 68 *turbidus miscendis seditionibus;* 2, 6 *parando bello tutum mare;* cp. 5 *naturâ compositus adliciendis etiam Muciani moribus;* Ann. 12, 62 *vehendo commeatui opportunus;* 13, 14 *veram dignamque stirpem suscipiendo patris imperio;* 14, 38 *serendis frugibus incuriosos* (cf. Hist. 2, 17 *melioribus incuriosos.* v. supra); cp. 59 *nudus exercitando corpori.* Similis est Caesaris brevitas B. C. 3, 101 *onerariae naves completae — rebus, quae sunt ad incendia.*

2) Dativus subjectivus, quem vocant, crebrius multo quam ab aliis omnibus a nostro more Graecorum ponitur in passivis loco a praepositionis. Quo in genere praestare Graecos majore orationis varietate ac mobilitate inde jam patet, quod praeter hunc dativum non solum ὑπὸ praepositionem, sed alias etiam, πρὸς, παρὰ, ἐκ usurpant. Inter Latinos poetae haud raro ita locuti sunt. Notissimum est Ovidianum illud *Barbarus hic ego sum, quia non intelligor ulli;* cf. Horat. a. poet. 427 *Nolito ad versus tibi factos ducere plenum Laetitiae* (eum cui donaris eos). Pauca admodum exempla inveniuntur apud prosae orationis auctores. Adde iis, quae a Zumptio et Ramsh. in Gramm. Latt. congesta sunt e Cicerone, Liv. 9, 36 *silva invia — nulli ad eam diem adita;* Vellej. 2, 39 *Gallias Domitio — intratas;* Plin. H. N. 6, 21 (ed. Bip.) *reliqua inde Seleuco Nicatori peragrata sunt.* Multus in hac re est Tacitus Ann. 1, 1 *veteris populi Romani prospera vel adversa claris scriptoribus memorata sunt;* cp. 7 *aram Druso sitam* i. e. a Druso exstructam (v. situs); 6, 41 *Macedonibus sitae urbes;* Hist. 4, 22 *vallum duabus legionibus situm* (ubi utraque dativi ratio obtinet; cf. Ann. 3, 38

Philippopolim a Macedone Philippo sitam); Ann. 15, 41 *aedes Statoris Jovis vota Romulo*; Germ. 3 *aram — Ulixi consecratam* (cf. Suet. Oct. 1 *ara Octavio consecrata*); Ann. 1, 10 *divisiones ne ipsis quidem laudatas*; 2, 57 *quae Germanico quamquam acerba tolerabantur tamen*; 4, 6 *frumenta et pecuniae vectigales, cetera publicorum fructuum, societatibus equitum Romanorum agitabantur*; cp. 10 *in tradenda morte Drusi, quae plurimis maximeque fidis scriptoribus memorata sunt, rettuli* (minime hi ablativi sunt absol., quae Güntheri est sententia, neque etiam cp. 11 *quod nullo auctore certo firmantur*, ubi a praepositio omissa prorsus e more Taciti est); 6, 31 *seque invasurum possessa Cyro*; 11, 27 *audita scriptaque senioribus*; cp. 29 *Callistus jam mihi narratus*; 12, 1 *Aelia Petina e familia Tuberonum Narcisso fovebatur*; cp. 9 *arte eorum, quis — ultio ex filio timebatur*; cp. 18 *Romanis per tot annos quaesitus*; cp. 40 *fidus diu et Romanis armis defensus*; cp. 54 *cui pars provinciae habebatur*; 13, 20 *provecta nox erat et Neroni per vinolentiam trahebatur*; 14, 14 *quod regibus et antiquis ducibus factitatum memorabat*; cp. 18 *agros regi Apioni quondam habitos et populo Romano cum regno relictos*; cp. 58 *pluribus salus ejus curabatur*; 15, 3 *quae ubi Corbuloni certis nuntiis audita sunt*; Hist. 1, 11 *quae aliae* (*provinciae*) *procuratoribus cohibentur*; 5, 15 *nox apud barbaros cantu aut clamoribus, nostris per iram et minas acta*; Germ. 34 *lacus et Romanis classibus navigatos*; Agric. 2 *legimus, cum Aruleno Rustico Paetus Thrasea, Herennio Senecioni Priscus Helvidius laudati essent, capitale fuisse*.

DE 1) ponitur insolentius praeeuntibus tamen priorum exemplis plerumque pro *ex* praep., nonnunquam pro *secundum* Hist. 3, 68 *exire de imperio* (i. e. decedere); Ann. 1, 37 *fisci de imperatore rapti* (i. e. ex ejus domo); 11, 10 *nec cuiquam ante Arsacidarum tributa illis de gentibus parta* (ut dicitur victoriam, triumphum de aliquo populo reportare); 15, 54 *ut plerique tradidere de consequentibus* (ob ea quae secuta sunt ita judicantes); 6, 34 *multa de nomine ejus celebrant* (i. e. quae ex eo nomen traxere). 2) = propter et quod attinet ad Ann. 1, 74 *de pecuniis repetundis ad reciperatores itum est*; 6, 8 *de amicitia et officiis idem finis et te, Caesar, et nos absolverit*. Ita passim Cicero; cf. Terent. Eun. 3, 2, 4 *ecquid nos amas de fidicina istac?* 3) haud paucis verbis juncta est haec praepositio loco accusativi Hist. 1, 34 *facilius de odio creditur* (Pisonem infensum fuisse T. Vinio);

4, 48

4, 48 *ea de caede quam verissime expediam* (exponam); Ann. 13, 49 *de bello aut pace — suadere, — dissuadere.* V. plura exempla in accusativo. 4) pro genitivo Hist. 1, 67 *de caede Galbae ignari;* Agric. 25 *majore fama uti mos est de ignotis,* Ann. 1, 12 *addidit laudem de Augusto.* Cf. Ovid. Epist. 17, 18 *Et laudem de me nullus adulter habet;* Sall. Cat. 35, 2 *conscientia de culpa* (v. Cort.); Cic. inv. 1, 51 ejusdem fere generis est *sui laus* pro *sua laus,* nam proxime accedit ad *laus de se.*

DEBELLARE ap. priores est ad finem perducere bellum, absolute aut *cum aliquo;* ap. Tacitum, Virg., Stat., Plin. maj. et Curtium, uno loco, cum accusativo i. q. *bello persequi* et *vincere* Agric. 34 *ii sunt, quos proximo anno unam legionem furto noctis adgressos clamore debellastis.* Cf. Plin. H. N. 6, 16 ed. Bip. *Arbelitis, ubi Darium Alexander debellavit.*

DECOR, ORIS i. q. decus apud Quintilianum, Plinios, Vitruvium, Tacitum, (falso Ciceronis quosdam locos attulit Forcell., nam ad *decus* referendi sunt, *decor* nunquam ap. Cic. legitur; omisit vero Senecam, e. g. de ira 2, 35, 3 *decor omnis linquit iratos;* de v. beat. 9 *animi decor;* epist. 12 *decor pueritiae.*) Ann. 2, 13 *cum hic nobilitatem ducis, decorem alius — laudibus ferrent;* 15, 43 *decorem quoque novae urbi adtulere;* Hist. 1, 71 *cuncta ad decorem imperii composita;* 2, 1 *decor oris cum quadam majestate;* Hist. 5, 6 *palmetis proceritas et decor;* Germ. 24 *exercitatio artem paravit, ars decorem;* Dial. 20 *poeticus decor;* cp. 21 *orationem decor commendat.* Cf. sonor.

DECORUS ap. priores i. q. honestus, ap. poetas et Tacitum pulchritudinem designat Ann. 1, 1; 6, 27; 12, 4; 13, 12; 15, 69; Hist. 1, 53; 2, 80.

DECUMATES *agri* Germ. 29 *ἀπαξλεγ.,* cujus vocis explicatio cum ad historicam interpret. rationem pertineat hoc loco jure omittitur. Satis de ea dixit Hess.

DECUS vox frequentissima Tacito, poetica junctura obvia Hist. 2, 81 *e Judaico exercitu lecta decora* i. e. corpora, quem ad modum alii loquuntur.

DECURSUS de exercitio militum (ap. Suet. Galb. 6 *decursio*) praeter Tac. etiam Livius et Gellius (cf. Forcell. et Glossarium Liv.) Ann. 2, 55 *exercitio equitum, decursibus cohortium interesse.* Secundum Augusti institutum ter quovis

mense hi decursus militum agebantur. V. Veget. 1, 27; 3, 4. *decurrere* saepius in hunc modum usurpatur a Livio.

DEDECORUS praeeunte Plauto Ann. 3, 32 *dedecorum majoribus suis (Lepidum)*; 12, 47 *quod dedecorum barbaris.*

DEDERE v. dare.

DEDIGNARI (Curt., Virg., Ovid.) Ann. 12, 37 *neque dedignatus esses claris majoribus ortum — foedere pacis accipere.*

DEERRARE translate (auct. ad Herenn., Vell., Colum.) Ann. 13, 29 *sors deerrabat ad parum idoneos.*

DEFECTIVA 1) vis et opis casu secundo apud alios quoque, sed singulis dumtaxat locis inveniuntur, ut Dial. 26 *quamquam in magna parte librorum plus vis habeat, quam sanguinis* (v. Dronkius); Ann. 13, 40 *ne, si concessisset obsidioni, nihil opis in ipso videretur.* 2) gratibus ap. solum, ut videtur, Tacitum Ann. 12, 37 *Agrippinam — laudibus gratibusque venerati sunt.* 3) munia i. q. munera i. e. officia primo et quarto casu ap. nullum alium frequentius quam ap. Tacitum (*munera* ap. eum rarius legitur, e. g. Ann. 3, 2; Hist. 3, 13) Ann. 4, 39 *exuere imposita munia*; cp. 41 *munia imperii*; cp. 50 *sua quisque munia servarent*; 6, 8 *urbis et militiae munia simul obeuntem*; Hist. 2, 29 *belli munia*; cp. 69; 1, 48. 77; Ann. 11, 5. 13. 18. 25. 32; 12, 31; 13, 4. 35; 15, 11. 69 et saepius. Cf. Drakenb. ad Liv. 36, 31, 12 *munia belli.* 4) satias i. q. satietas primo casu Ann. 6, 38 *non — tempus, preces, satias mitigabant (Tiberium)*; ita Pacuvius ap. Cic. de divin. 1, 44; Sall. Hist. 3 p. 966 ed Cort.; Liv. 25, 23; 30, 3. 5) secus i. q. sexus primo et quarto casu Ann. 4, 62 *adfluxere avidi talium — virile ac muliebre secus, omnis aetas*; Hist. 5, 13 *multitudinem obsessorum, omnis aetatis, virile ac muliebre secus, sexcenta millia fuisse accepimus*; ita Sall. Hist. 2 p. 960; Liv. 26, 47. (ubi videndus est Drakenb.) v. sexus. 6) venum ire, dare, tradere ap. priores; ap. Tacit. etiam tertio et sexto casu Ann. 4, 1 *stuprum alicui veno dare*; 14, 15 *posita veno inritamenta luxus*; 13, 51 *militibus inmunitas servaretur, nisi in iis, quae veno exercerent*; Apul. Met. 8 usurpat *venui subjicere* et *habere.* 7) dativi in ui desinentis creberrimus ap. T. usus v. in dativo. 8) Substantiva verbalia in us desinentia sexto casu Tacito maxime frequentata v. collecta in Proleg., singula suo quaeque loco.

DEFECTOR (Suet., Justin.) Ann. 1, 48 *parata in defectores ultione*; 12, 50 *tanquam adversus defectores*; Hist. 3, 12 *ut, ceteris ignaris, soli in principia defectores coirent*; cp. 57 *ducem se defectoribus obtulit*; Ann. 11, 8 *in quos ut patris sui quoque defectores — accensus*. V. desertor.

DEFENSARE Ann. 2, 5 *longum impedimentorum agmen — defensantibus iniquum*; Agric. 28 *cum plerisque Britannorum sua defensantium proelio congressi*. Ita saepius noster; singulis locis Liv., Sall., Plaut., Ovid., Statius. Cic. exhibet *defensitare* Brut. 26; Off. 1, 33; Acad. 4, 22.

DEFIGERE Ann. 1, 68 *summa valli prensant, raro super milite et quasi ob metum defixo*; 13, 5 *ceteris pavore defixis*; 3, 1 *egressa navi defixit oculos* solo scilicet et in urnam, nam prave Muretus intellexit locum ita explicando: „non suos in turbam adstantem sed omnium in se convertit;“ haud sane omisisset tum Tacitus *omnium*. Et Muretus Forcellinum quoque in errorem induxit. Cf. Liv. 3, 47 *stupor omnes admiratione rei tam atrocis defixit*; Virg. Aen. 6, 469 *Illa solo fixos oculos aversa tenebat*.

DEFLAGRARE translate i. q. languescere Hist. 2, 29 *deflagrante paullatim seditione*. Cf. Liv. 40, 8 *interdum spes animum subibat, deflagrare iras vestras — posse*. Lucan. 4, 280 *Sic deflagrare minaces incassum, et vetito passus languescere bello*.

DEFORMIS, DEFORMITAS translate i. q. turpis, turpitudo Dial. 36 *mutum et elinguem videri deforme habebatur*; Hist. 2, 11 *deforme insuper auxilium duo millia gladiatorum*; cp. 29 *deformis et flens — processit*; Ann. 14, 15 *quin et feminae inlustres deformia meditari*; 15, 16 *deformem illam fugientium trepidationem*; 1, 61 *incedunt moestos locos visuque ac memoria deformes*; cp. 24 *inluvies deformis* (de moerentium squalore); 4, 20 *deforme obsequium*. — Ann. 16, 4 *ludicra deformitas*; 11, 32 *deformitas flagitiorum*; Hist. 3, 85 *deformitas exitus* (*Vitellii*). Ita aequales maxime locuti sunt, sed priores quoque. Cf. Cic. Off. 1, 38, 137 *deforme etiam est, de se ipsum praedicare, falsa praesertim*; consol. ed. Bip. p. 388; de or. 2, 61; 3, 41; Q. fratr. 1, 1, 13; rep. 34; Liv. 1, 26; 38, 52; *deformitas* Cic. de or. 1, 34; 2, 58; Or. 17; Fam. 10, 6; Hirt. b. Alex. 60 *rei deformitas atque indignitas*. — Similiter *deformare, deformatus, deformatio* legitur Cic. Harusp. 12, 24; Liv. 9, 5. 30; Sall. Jug. 14 et passim. Adverb. v. Quint. 8, 3, 45 *junctura deformiter sonat*.

DEGENER maxime Tacito frequens Ann. 1, 40 *divo Augusto ortam neque degenerem ad pericula; 4,* 61 *claris majoribus — vitaque non degener;* 6, 42 *materna origine Arsacidem, cetera degenerem;* 11, 19 *nec inritae aut degeneres* (alienae moribus Romanis) *insidiae fuere adversus transfugam;* 12, 19 *prece haud degenere permotus adlevat supplicem;* cp. 36 *ceterorum preces degeneres fuere, ex metu;* cp. 51 *dignitate formae haud degenerem reputantes* (quo loco idem est q. *ignobilis*); cp. 62 *cui ut degeneri Pseudophilippi vocabulum impositum;* Hist. 3, 85 *vox una non degeneris animi excepta* (Vitellii). Praeter Tacitum saepissime usurpant hanc vocem poetae, rarius ceteri scriptores. Cf. Liv. 38, 17 et 49 *Galli — degeneres;* Curt. 4, 45 *jam degeneres et patrii moris ignari;* 7, 23 *paullatim a domestico externo sermone degeneres.* Ceteros poetarum et Plin. maj. locos v. ap. Forcell.

DEHONESTAMENTUM (Sall., Seneca, Gell.) Ann. 12, 14; 14, 21; Hist. 2, 87; 4, 13.

DEHONESTARE (Suet., Trebell.) Ann. 3, 70 *quod, humani divinique juris sciens, egregium publicum et bonas domi artes dehonestavisset;* 14, 15 *ne — publico theatro dehonestaretur* (Nero); 16, 24 *famam suam dehonestaret.*

DEINDE, saepius ap. Tacitum DEIN, ut exin, proin permutantur cum exinde, proinde. Ita contici maxime. Cf. Cic. Or. 45 dein *etiam saepe et* exin *pro deinde et exinde dicimus;* ipse vero rarissime exhibet breviorem scripturam, ut divin. 1, 26 *exin;* Liv. 21, 58; 23, 36. 44. 47 et saepius cum Sallustio *dein;* Liv. 4, 32, Sisenna ap. Cort. p. 66 *proin;* Liv. 31, 4. 6; 37, 47 *exinde* (vid. Drakenb. ad Liv. 1, 1); 24, 27 *inde* loco *deinde.* — In enumeratione Tacitus saepissime *mox* usurpat pro *deinde* (v. mox); plures res ita plerumque enumerat, ut omisso *primum* s. *primo* sequantur *dein — postremo; exin — postremum; mox — tum; tum — mox — postremo;* sed praemisso etiam *primo — mox — postremo.* Cf. Ann. 1, 73; 11, 2; 12, 24. 36; Hist. 1, 15; Agric. 42. — Sed non solum ad temporis rationem pertinet haec particula ap. Tacitum, valet etiam ad augendam alicujus rei vim et ad causam exprimendam, ut illud idem fere sit quod *denique,* hoc vero (et eodem modo usurpantur *exin* et *inde*) idem exprimat quod *hinc.* Ann. 2, 65 *nec diu dubitatum de tempore, loco, dein* (tum etiam, denique) *conditionibus;* 12, 27 *in superiore Germania trepidatum adventu Cattorum latrocinia agitantium. deinde* (hinc, hanc ob causam)

L. Pomponius legatus auxiliares — monuit, ut anteirent populatores; 14, 48 *Antistius — probrosa carmina factitavit, vulgavitque celebri convivio. — exin a Cossutiano — majestatis delatus est;* Hist. 4, 23 *illis hibernis obsideri premique Germanias Augustus crediderat, neque unquam id malorum, ut oppugnatum ultro legiones nostras venirent. inde* (ideo) *non loco neque munimentis labor additus.* Huc pertinent etiam Ann. 2, 69 *hinc graves in Pisonem contumeliae; nec minus acerba, quae ab illo in Caesarem tentabantur. dein Piso abire Syria statuit;* 15, 17 *ducum inter se brevis sermo secutus est: hoc conquerente inritum laborem — ille integra utrique cuncta respondit. — exin Paetus per Cappadociam hibernavit.* Quamquam in his locis temporis quoque ratio haberi potest. Denique de loco etiam usurpatur *deinde* Germ. 42 *Juxta Hermunduros Narisci ac deinde Marcomanni et Quadi agunt,* ubi Hess. contulit Lucret. 5, 789 et *inde* ap. Liv. 1, 1.

DELATOR vox hac aetate creberrima (*delatio* etiam ap. Cic. legitur. Cf. Ann. 11, 29; Hist. 2, 10) Ann. 2, 50 *Apulejam Variliam — majestatis delator arcessebat;* Hist. 1, 2 *nec minus praemia delatorum invisa quam scelera* (cf. integrum locum); de origine delationum Augusti temporibus v. Ann. 3, 28; de aucta sub Tiberio licentia delatorum Ann. 4, 30 *sic delatores, genus hominum publico exitio repertum et poenis quidem nunquam satis coercitum, per praemia eliciebantur;* de imminuta eorum potentia sub Vespasiano Hist. 4, 30; de summo hujus mali fastigio Domitiano imperatore Agric. 45; quomodo exsciderit hanc pestem Trajanus Plin. in paneg. 34 sqq. Ad haec mali intestini stadia respicit Tacitus Ann. 1, 73 *ut quibus initiis, quanta Tiberii arte gravissimum exitium irrepserit, dein repressum sit, postremo arserit, cunctaque corripuerit, noscatur.* V. Walch. ad Agric. 45.

DELECTABILIS (Apulej., Gell.) Ann. 12, 67 *delectabilis cibus.*

DELECTUS = delecti milites v. abstracta.

DELINIMENTUM Ann. 15, 63 *vitae inquit delinimenta monstraveram tibi, tu mortis decus mavis;* Agric. 21 *discessum ad delinimenta vitiorum, porticus et balnea et conviviorum elegantiam.* Ita saepius etiam Livius.

DELINQUERE (de h. verbi vi et sign. v. Doederlein. Synon. T. II. p. 140) cum accusat. constr. ut vulgo Ann. 13, 31 *quae libidine deliquerant;* 14, 3 *quem adeo iniquum, ut sce-*

leri adsignet quod venti et fluctus deliquerint. — saepius absolute Ann. 12, 58 *prout bellis externis meruerant aut domi seditione deliquerant; 15, 2 si cunctatione deliqui, virtute corrigam;* 14, 14 *ejus flagitium est, qui pecuniam ob delicta potius dedit quam ne delinquerent.* Sed prioribus etiam, maxime Ciceroni hic usus frequentatur. Cf. locos a Forcellino omissos Cic. Tusc. 2, 4 *philosophus in ratione vitae peccans hoc turpior est, quod in officio, cujus magister esse vult, labitur, artemque vitae professus, delinquit in vita;* invent. 2, 10 *hac quoque in re eum deliquisse,* tum *si nunc primum deliquerit,* et, unde optime vim hujus verbi perspicias, *necesse est eum, qui velit peccare, aliquando primum delinquere;* cp. 29 *si ille deliquerit;* cp. 44 *quare deliquerit;* Mur. 29 *nec minus delinquere eum, qui cet.;* Att. 5, 11 *ut sibi sit delinquendi locus;* Sall. Cat. 52 *deliquere homines adolescentuli per ambitionem;* Liv. 1, 32 *Quod* (quoniam) *populi priscorum Latinorum — adversus populum Romanum Quiritium fecerunt, deliquerunt — ob eam rem ego — Latinis bellum indico facioque.* Vix tot exempla apud argenteae aetatis scriptores invenias. Vid. Quintil. 1, 5, 49 *non minus — deliquerit;* Plin. Ep. 9, 21 *deliquisse se sentit.*

DEMERERI Ann. 15, 21 *plura saepe peccantur dum demeremur quam dum offendimus.* Ita singulis locis Plaut., Livius, Colum., Quintil.

DEMISSUS 1) ut vulgo, de eo qui ad infima quaeque descendit, abjectus Ann. 14, 26 *usque ad servilem patientiam demissus;* 15, 73 *in adulationem demissus.* 3) i. q. derivatus, originem trahens Ann. 12, 58 *Romanum Trojâ demissum.* Cf. Virg. Aen. 1, 288 *Julius a magno demissum nomen Julo,* et locos Horatii et Statii, quos Forcell. laudavit.

DEMORARI Ann. 12, 68 *jam primum Agrippina — Britannicum — demorari, ne cubiculo egrederetur;* 15, 69 *ille nihil demoratus exsurgit.* Ita Cic. quoque, Caesar, Plautus, alii nonnunquam.

DEMOVERE a Livio quoque, Cicerone, Caesare, Quintiliano, sed rarius usurpatum Ann. 1, 79 *Clanis solito alveo demotus;* 2, 43 *Tiberius demoverat Syriâ Creticum Silanum;* 4, 60 *si — jam labefactum demovisset* (evertisset); 6, 30 *in insulas — demoti sunt;* 11, 38 *effigies privatis ac publicis locis demovendas;* 13, 14 *Nero — demovet Pallantem curâ rerum;* Hist. 4, 58 *tolerant obsidium legiones, nec terrore aut promissis demoventur.*

DEMUTARE Ann. 4, 16 *placitum instituto flaminum nihil demutari.* Ita Plautus, Cato, Apulej., Gellius.

DENIQUE saepius quam aliis Tacito frequentatur, si quid aliis rebus praemissis brevi praeciditur, ut Ann. 1, 72 *si quis proditione exercitum, aut plebem seditionibus, denique male gesta republica majestatem populi Romani minuisset*; cp. 26 *cur venisset, neque augendis militum stipendiis, neque adlevandis laboribus, denique nulla benefaciendi licentia?*; 6, 22 *non initia nostri, non finem, non denique homines diis curae.* Simili modo usurpatur *postremo*, sed ita ut minus praecidatur oratio, quam, incertis rebus enuntiatis, confirmetur eo quod dubium non esse videatur Ann. 1, 2 *invalido legum auxilio, quae vi, ambitu, postremo pecunia turbabantur* (gewiß doch); Hist. 1, 39 *agitasse Laco — de occidendo T. Vinio dicitur, sive ut poena ejus animos militum mulceret, seu conscium Othonis credebat, ad postremum vel odio.* Idem est quod *denique* apud Plin. Pan. 4 *Enituit aliquis in bello, sed obsolevit in pace; alium toga, sed non et arma honestarunt. — postremo adhuc nemo exstitit, cujus virtutes nullo vitiorum confinio laederentur.* — Insolentius in hunc modum adhibentur *breviter* Plin. H. N. 3, 6 et multis ap. eum locis, *in summâ* Hirt. b. Alex. 71; Quintil. 9, 2, 72; Plin. epist. 6, 21 et saepius. Cf. p r o r s u s.

DENOTARE i. q. vultu significare, animadvertere Ann. 3, 53 *ne denotantibus vobis ora ac metum singulorum, qui pudendi luxus arguerentur, ipse etiam viderem eos ac velut deprenderem*; Agirc. 45 *cum denotandis tot hominum palloribus sufficeret saevus ille vultus.* Cf. similes locos e Cicerone, Plin. maj., Colum., Tertull. desumptos ap. Forcellin. et Vellej. 2, 70 *cum — neque pulvere facies aut signa denotari possent.*

DENSĔRE pro densare Ann. 2, 14 *densērent ictus, ora mucronibus quaererent*; vox utraque poetica, sed d e n s a t u s etiam ap. Livium Curtiumque, d e n s a r e ap. Liv. Quintil. et Plin. maj. legitur. Cf. Liv. 30, 34; 33, 8.

DENUBERE infra nobilitatem gentis, omnino ita nubere ut inde dedecus oriatur nubenti Ann. 6, 27 *Julia, Drusi filia, denupsit in domum Rubellii Blandi*; 15, 37 *nisi paucos post dies uni ex illo contaminatorum grege — in modum solennium conjugiorum denupsisset.* Ita de eodem Nerone Sueton. Nero 29 *Doryphoro liberto — sicut ipsi Sporus — ipse denupsit.* Pro simplici *nubere* usurpant Ovid. et Apulej.

DEPELLERE vulgarem in modum usurpatur a Tacito, nisi quod nonnunquam ellipsis latet in verbo, ut Ann. 2, 1 *quamquam depulisset* (sc. regno suo) *exercitus ducesque Romanos;* 3, 73 *Tacfarinas quamquam saepius depulsus;* non igitur est simpliciter *vincere*, ut quidam auctores sunt.

DEPORTARE (Justinian.) de exsilio Ann. 14, 45 *ut liberti quoque — Italiá deportarentur.* Cf. relegare.

DEPRECABUNDUS apud solum Tacitum Ann. 15, 53 *deprecabundus et genibus principis accidens.* plurima hujus generis exempla exhibet Livius; sunt vero haec: *concionabundus, comissabundus, cunctabundus* (v. haec vox), *deliberabundus, gratulabundus, lacrimabundus, indignabundus, minitabundus, mirabundus, moribundus, peregrinabundus, populabundus, praedabundus*, *tentabundus, venerabundus, vitabundus.*

DEPRIMERE fossam Ann. 15, 42, ut Hirt. b. Gall. 8, 40 *hoc flumen — sic in imis radicibus montis ferebatur, ut nullam in partem depressis fossis derivari posset;* cp. 9 *fossam duplicem deprimi;* cf. Plin. H. N. 37, 2 (9); 9 (43) *deprimere puteum;* Plin. epist. 10, 69 *arctius pressam fossam.* Similia sunt ap. auct. b. Afr. 51 *is locus depressus erat;* Sall. Cat. 55 *est locus in carcere, quod Tullianum appellatur, ubi paullulum adscenderis ad laevam, circiter duodecim pedes humi depressus;* Cic. Verr. 5, 27 *totum est ex saxo in mirandam altitudinem depresso.*

DERIDICULUM „proprie adject. est et valde ridiculum, ut *deparcus* et al.“ Rup. ad Ann. 6, 2 *per deridiculum auditur;* 3, 57 *deridiculo fuit senex foedissimae adulationis;* 12, 49 *ignavi animi et deridiculo corporis juxta despiciendus.* Cf. Liv. 39, 26 *alterum deridiculum esse, alterum mores suos respuere;* Quintil. 1, 8, 21 *in fabulosis usque ad deridicula.* Locos aliquot Plauti, Varronis, Gellii v. ap. Forcell.

DERIPERE v. diripere.

DERUPTUS i. q. praeruptus Ann. 2, 80 *colle arduo et derupto;* 4, 45 *per derupta et avia;* 6, 21 *per avia ac derupta.* Ita Liv. quoque loquitur. Cf. abrumpere.

DESERERE absolute = exercitum deserere Ann. 13, 35 *quia duritiam coeli militiaeque abnuebant deserebantque, remedium severitate quaesitum est.* Ita Quintil. 9, 2, 85 *adversante filio ire in aciem coactus deseruit.*

DESERTOR Hist. 1, 72 *ejusdem desertor ac proditor.* Ita Cicero, Caesar, Virgil., alii. Cf. Cic. Att. 8, 9 *desertor ami-*

corum. — Absolute de eo qui injussu ducis deseruit exercitum, apud nullum saepius quam ap. Tacitum Ann. 1, 21 *solvunt vincula, desertoresque — sibi jam miscent;* 3, 20 *increpat signiferos, quod inconditis aut desertoribus miles Romanus terga daret;* Hist. 1, 30 *transfugae et desertores* (ita Curt. 10, 2, 18 s. 10, 10 ed. Zumpt.); 2, 8 *adjunctis desertoribus;* cp. 44 *desertorem proditoremque increpant;* 4, 59 *desertor primae legionis.* Cf. Liv. 3, 69 *pro desertore futurum, cujus non probassent causam;* 23, 18 *magna pars sine commeatibus ab signis dilabebantur: neque aliae latebrae quam Capua desertoribus erant;* 25, 22 *ut desertores de exercitu volonum conquirerent* (21 43 *desertor exercitus sui*); Vell. 2, 85 *imperator, qui in desertores saevire debuerat, desertor exercitus sui factus est;* cp. 119 *non — desertis superfuit, sed desertor occidit.* V. defector.

DESERTUM, sed plur. numero, de loco deserto, ut ap. Virg. et Plin. maj. Ann. 3, 21 *pellit in deserta.* Sing. num. ap. seriores.

DESIDERIUM maxime plurali numero de postulatis, petitionibus Ann. 1, 19 *desideria militum.* Ita Sueton. (v. Forcell.) Plin. Pan. 79 *videmus ut provinciarum desideriis — occurrat;* epist. 10, 34 *videris mihi desiderio eorum indulgere posse;* epist. 35 *possumus desiderio eorum indulgere.* Cf. praeterea Quintil. 1, 12, 7; Plin. H. N. 10, 95; 11, 55.

DESOLATUS i. q. solus relictus, desertus, μονωθείς Ann. 12, 26 *desolatus — servilibus ministeriis;* 16, 30 *marito — in exsilium pulso viduata desolataque;* 1, 30 *mox desolatus aliorum discessione imminentem necessitatem sponte praevenit.* Cf. similes locos Virgilii, Plin. min., Suetonii, Justini ap. Gron. in observatt. 4, 21.

DESPECTUS a. um i. q. contemptus, abjectus, quae omnia uno loco exhibet Cicero Pis. 41; Ann. 13, 47 *despecta et nullius ausi capax natura ejus a crimine abhorrebat;* Hist. 5, 8 *despectissima pars servientium.*

DESPECTARE i. q. contemnere Ann. 2, 43 *liberos ejus, ut multum infra, despectare;* Hist. 2, 30 *ne ut victi et ignavi despectarentur.* Ita Ammian. *omnia terrena despectare;* (aliis significatt. etiam Liv., Virg., Ovid.).

DESTINARE 1) designare (ad munus capessendum), minus valet quam eligere, cum destinatio praecedat electionem. Ann. 1, 3 *destinari consules;* 2, 36 *praetores destinarentur;* cp. 42 *se collegam consulatui ejus destinavit.* Hist. 2, 1 *in-*

temperantia civitatis donec unus eligatur multos destinandi. Cf. Liv. 10, 32 *nemini dubium erat, quin Q. Fabius omnium consensu destinaretur;* 39, 32 *haud dubie destinabantur;* Suet. Caes. 1 *flamen Dialis destinatus.* 2) latius patet e vulgari consuetudine, ubi est deliberatione aliquid praestituere et ita alicui rei addicere Ann. 1, 36 *destinatum excidio Ubiorum oppidum;* 6, 22 — *quin primo cujusque ortu ventura destinentur;* Hist. 1, 82 *quia neminem unum destinare irae poterant;* 3) absolute i. q. constituere, decernere, sibi proponere Ann. 3, 16 *destinatum* (*fuisse*) *promere* (*litteras*) *apud patres, principemque arguere;* 13, 19 *destinavisse eam, Rubellium Plautum — extollere;* cp. 20 *ut Burrum etiam demovere praefecturâ destinaret;* 4, 50 *utrique destinatum* (*erat*) *cum libertate occidere*; cp. 71 *ni mihi destinatum foret suum quaeque in annum referre;* 15, 65 *Flavium destinavisse, ut — Piso quoque interficeretur;* Hist. 4, 84 *ne destinata deo ultra moraretur.* Nemo saepius ita. Cf. Liv. 24, 2 *quas urbes direpturos se destinaverant;* 43, 7 *si Cretenses destinarent — habere;* Nep. Eum. 2 *Macedoniam praeoccupare destinaverat;* Curt. ed. Zumpt. 4, 9 *urbi, quam obsidere destinassent, exitium portendere;* 8, 21 *cum aprum telo occupasset, quem rex ferire destinaverat;* cp. 32 *iter, per quod ferri destinavit, odoribus complent;* Vell. 2, 110 *pars suis sedibus praesidium esse destinaverat.* Ita praeterea Plin. Epist. 3, 6; 5, 19; 10, 26; Quintil. 12, 11, 4. Sallustius quoque nonnullis locis hoc modo usurpavit.

DESTINATIO (Liv. uno loco 32, 35; Plin. maj., Statius, Ammian.) Ann. 12, 32 *destinationis certus;* Hist. 1, 77 *ceteri consulatus ex destinatione Neronis aut Galbae mansere;* 2, 47 *praecipuum destinationis meae* (moriendi) *documentum;* cp. 79 *haud dubia destinatione* (imperandi) *discessere.*

DESTINATUM Ann. 2, 55 *quo properantius destinata inciperet;* 4, 40 *neque Liviae destinatis adversabor;* 6, 32 *destinata retinens;* Hist. 1, 4 *antequam destinata componam, repetendum videtur qualis status urbis;* 4, 18 *si destinata provenissent.* Ita ap. Livium et Curtium est vox jaculantium et significat scopum praestitutum (atque eadem ratio est verbi *jaculare,* quod vid.); Suet. et Seneca exhibent *ex destinato.* V. admissum.

DETEGERE 1) proprie Ann. 13, 38 *si detecta corpora objicerentur.* Cf. Cic. Acad. 4, 39 *medici — aperuerunt corpora. — nec eo tamen ajunt empirici notiora esse illa; quia*

possit fieri, ut patefacta et detecta mutentur, et ita passim. 2) translate saepius ap. nostrum ejusque aequales quam ap. priores, Livium si excipias, Hist. 1, 81 *modo constantiam simulare, modo formidine detegi*; Dial. 25 *supersunt aliqua epistolis eorum inserta, ex quibus mutua malignitas detegitur* et postea *solum inter hos arbitror Brutum — simpliciter et ingenue judicium animi sui detexisse.* Cf. Liv. 10, 4 *detegant nequidquam conditas insidias*; 22, 43 *detecta fraus*; 23, 5 *auxit rerum suarum suique contemptum consul nimis detegendo cladem nudandoque.*

DETERERE translate Hist. 2, 76 *si quid ardoris ac ferociae miles habuit, popinis et comissationibus et principis imitatione deteritur.* Ita Horatius, Plin. maj., Silius.

DETRACTOR ap. solum Tacitum Ann. 11, 11 *haudquaquam sui detractor* i. e. detrectator. V. Rupert ad h. l.

DEURERE Ann. 4, 64 *deusto monte Coelio*; 6, 45 *deusta parte Circi.* Ita tribus fere locis Livius, singulis Caes., Curt., alii. Cf. deuti, quod est ἁπαξλεγόμενον, Nep. Eum. 11.

DEVELLERE i. q. divellere Ann. 3, 14 *effigies Pisonis traxerant in Gemonias ac devellebant, ni jussu principis protectae repositaeque forent.* Plautus et Plinius major pro *evellere* usurpant.

DEVORTIUM Agric. 19 *devortia itinerum et longinquitas regionum.* Ita Lipsio auctore pro *divort.* J. Beckerus et Walchius cum aliis legunt. V. Drak. ad Liv. 1, 51, 8 „semper *devertere* dicendum est, si notat a via ordinaria deflectere vel hospitium subire."

DEVOTIO Ann. 2, 69 *carmina et devotiones* non est ἓν διὰ δυοῖν figura, ut quidam interpretantur, nam carmina in universum rem indicant, devotiones ad ipsam mortis imprecationem pertinent. Cf. Ann. 2, 28 *ut infernas umbras carminibus eliceret*; Virg. Ecl. 8, 69. 70 *Carmina vel coelo possunt deducere Lunam: Carminibus Circe socios mutavit Ulyxi.* — Ann. 3, 13 *ipsum devotionibus et veneno peremisse*; 4, 52 *veneficia in principem et devotiones objectabat*; 12, 65 *quod conjugium* (conjugem) *principis devotionibus petivisset*; 16, 31 *nullos, inquit, impios deos, nullas devotiones, nec aliud infelicibus precibus invocavi.* V. de re Ann. 2, 30 ibique Rupert. Eadem sign. usurpant Suet. et Apulej. Nam alia res est Deciorum devotio et quae similia habent priores. Cf. tamen Nep. Alcib. 6, 5 *Restituta huic sunt publice bona; iidemque illi Eumolpidae sacerdotes rursus resacrare sunt*

coacti, qui eum devoverant; pilaeque illae, in quibus devotio fuerat scripta, in mare praecipitatae.

DEXTRA de amicitiae significatione 1) ipsa manus aenea aurea, argentea vel lignea, quae amicitiae signum ac documentum mitti solebat. Ceterum in Taciti quidem locis duas dextras junctas, quales visantur in numis, intelligendas esse recte monuit Oberl. ad Hist. 1, 54 *miserat civitas Lingonum vetere instituto dona legionibus, dextras, hospitii insigne;* 2, 8 *Sisennam dextras, concordiae insignia, Syriaci exercitus nomine ad praetorianos ferentem, variis artibus adgressus est.* V. Montefalc. antiq. 3, 2 et Bremium ad Nep. Dat. 10. 2) translate e more poetarum Ann. 2, 58 *cupere renovari dextras;* 12, 19 *quod suam dexteram petendae veniae delegerit;* cp. 47 *mos est regibus, quotiens in societatem coeant, implicare dextras cet.* Cf. Liv. 29, 24 *ne fas, fidem, dextras, deos testes fallat.*

DICERE 1) = commemorare, exponere, componere (ap. poetas i. q. canere) Ann. 1, 1 *temporibus Augusti dicendis non defuere decora ingenia;* Hist. 1, 1 *inconruptam fidem professis nec amore quisquam et sine odio dicendus est.* Cf. Vellej. 2, 13 *Mithridates — vir neque silendus neque dicendus sine cura.* Ita Plin. quoque maj. saepius loquitur. 2) = praedicere, et hoc poetarum more, Ann. 11, 4 *tamquam — ea imagine gravitatem annonae dixisset.*

DIDERE vox poetica Ann. 11, 1 *didita per provincias fama,* praeterea ap. alium nullum prosae orat. auctorem legitur.

DIES c. genit. v. in genitivo sub fin.

DIFFERRE i. q. divulgare, Plauto, Terentio, Valerio Flacco aliisque poetis, sed Livio etiam Nepotique usurpatum, Tacito est frequens, qui nonnunquam absoluto verbi usu recedit a vulg. consuetudine Ann. 1, 4 *pars multo maxima imminentis dominos variis rumoribus differebant;* 3, 12 *differri etiam per externos, tanquam veneno interceptus esset;* 4, 25 *differtur per manipulos, Tacfarinatem — consectentur.* Cf. d i s p e r g e r e; Ann. 3, 10 *haud fallebat Tiberium — quâ ipse famâ* d i s t r a h e r e t u r; 1, 72 *viros — procacibus scriptis* d i f f a m a v e r a t.

DIFFERTUS i. q. repletus (Horat., Caes.) Ann. 16, 6 *corpus — regum externorum consuetudine differtum odoribus conditur, tumuloque Juliorum infertur.*

DIFFUGIUM ap. solum Tacitum Hist. 1, 39 *proximorum diffugia*, ut dicitur *effugium, refugium, perfugium, confugium, suffugium, transfugium.*

DIGNATIO vox ap. Tacitum longe creberrima i. q. dignitas, auctoritas, honor Ann. 2, 33 *ut locis, ordinibus, dignationibus antistent* (plur. num. ap. solum fortasse Tacitum invenitur); cp. 53 *quo plus dignationis adulatio haberet;* 13, 20 *ope Senecae dignationem Burro retentam;* cp. 42 *veterem ac domi partam dignationem subitae felicitati submittere;* 3, 75 *ut Labeonem — dignatione ejus magistratus anteiret;* 4, 16 *ut — glisceret dignatio sacerdotum;* cp. 52 *is recens praeturâ, modicus dignationis;* Germ. 13 *magna patrum merita principis dignationem etiam adolescentulis adsignant;* cp. 26 *agros inter se secundum dignationem partiuntur;* Hist. 1, 19 *illi auctoritatem senatus, hic dignationem Caesaris laturus;* cp. 52 *imponere — imperatoris dignationem;* 3, 80 *auxit invidiam — propria dignatio viri.* Ita haud raro Sueton. et Plin. maj., Vellej. 2, 52. 59. 69, et singulis locis Curt., Livius, Cicero. Vide Drakenb. ad Liv. 2, 16, 5 et Hess. ad Germ. 13.

DIGNUS cum genit. v. in ablat. 5.

DILANIARE translate Ann. 11, 36 *dilaniata veste.* Similiter Ovid. *dilaniare comas.* Proprie etiam Cicero usurp. vocem.

DIMITTERE i. q. remittere, condonare Hist. 3, 55 *his tributa dimittere, alios immunitatibus juvare.* Ita Caes. B. C. 1, 8 *Caesarem quoque pro sua dignitate debere et studium et iracundiam suam reipublicae dimittere.* Saepius ap. priores quoque idem valet quod omittere, ut Hist. 3, 36 *praeterita, instantia, futura pari oblivione dimiserat*, a se quasi amandaverat.

DIPLASIASMUS *rettulimus, rettulerant* Hist. 2, 63. 33; *repperit* Ann. 3, 56; *rettudit* Ann. 5, 11 et sic saepius una cum vulgari scriptura similium vocum quales sunt *religio, reliquiae*, quas poetae et ipsas geminata consonante exhibere solent.

DIRIPERE et *deripere*, ut *discessus* et *decessus, discedere* et *decedere, digredi* et *degredi* cum ap. alios tum apud Tacitum haud raro permutantur in Manuscr. et libris editis. Recte Crollius ad Ann. 2, 44 *discessu Romanorum*, ubi perperam Ernestius praefert *decessu* „decedit, inquit, de provincia praefectus, qui eam successori relinquit (hinc *decessor*), discedit loco, qui in alium se confert,“ non cedens sci-

licet alteri, nam tum quoque *decedere* dicendum esset, ut Ann. 3, 31 *questus est apud senatum, quod sibi inter spectacula gladiotorum loco non decessisset.* Eadem ratio est ceterorum verborum. Recte igitur Ann. 2, 45 *tela Romanis derepta*, quod ii nominantur, quibus eripiuntur tela. Cf. Walch. ad Agric. p. 258 et 298, ubi optime agitur de discrimine quod interest inter *digredi* et *degredi*, contenditurque in *di* particula et *de* et *trans* inesse. de vocis *deminuendi* ap. Tacitum scriptura Pichena ad Ann. 1, 14 monet in libris scriptis Tacit. nunquam *dimin.*, semper *demin.* reperiri.

DISCORDARE vox argenteae maxime aetatis e poetis adsumpta Ann. 1, 9 *non aliud discordantis patriae remedium fuisse quam ut ab uno regeretur;* 12, 28 *Cherusci, cum quîs aeternum discordant.* Sed Cicero quoque duobus locis *inter se* et *secum disc.* exhibet. Cf. locum a Forcell. omissum Plin. Ep. 8, 20 *discordantibus ventis.*

DISCORS saepissime ap. poetas et Tacitum legitur. Ann. 3, 38 *Thracia discors agebat*; cp. 42 *discors Floro; 6, 4 siqua discordes jecissent, melius oblitterari;* 11, 6 *discors Suilio Silius;* 14, 38 *discors Suetonio;* Hist. 1, 2 *opus — discors seditionibus;* cp. 11 *provincia discors et mobilis; 2, 5 invidiâ discordes;* cp. 10 *in civitate discordi.* Adde locis e Livio et Cicerone allatis a Forcell. Liv. 21, 31 *gens — tum discors erat.* Cum dativo conj. etiam Vellej. 2, 37 *filius Tigranis — discors patri.*

DISJUNCTUS Dial. 18 *disjunctus orator*, ubi Dronkius „*disjuncta oratio est, quam Cicero vocat dissipatam, diffluentem, solutam; cf. Ern. lex. techn. p. 129 s. v. dissipatus.*“ Vulgo idem est quod *remotus* et cum a praepositione construitur.

DISPERGERE sign. vulgari, sed poetis et argenteae aetatis scriptoribus usitatiore Ann. 3, 74 *tripartitum exercitum plures in manus dispergit;* Hist. 5, 8 *magna pars Judaeae vicis dispergitur; habent et oppida;* (cf. Plin. H. N. 6, 26 *Mesopotamia vicatim dispersa* i. e. *in vicos divisa*); Dial. 9 *libellos dispergit.* De rumore Ann. 4, 24 *disperso rumore;* absol. Hist. 2, 1 *sed vulgus fingendi avidum disperserat, accitum in adoptionem.* Ita nemo praeterea locutus esse videtur. Cf. differre.

DISPICERE intendere aciem oculorum ad videndum et ita discernere, perspicere, maxime obscura et longinqua; Agric. 10 *dispecta est et Thule;* Ann. 3, 22 *haud facile quis*

dispexerit illa in cognitione mentem principis: adeo vertit ac miscuit irae et clementiae signa; 13, 27 *dispiceret quisque merita, tardeque concederet quod datum non adimeretur;* Hist. 4, 55 *coalita libertate dispecturas Gallias, quem virium suarum terminum velint.* Ita priores quoque, maxime Cicero. Adde locis in indice Schützianio congestis Acad. 4, 19.

DISPOSITUS, us ap. solum Tacitum Hist. 2, 5 *dispositu provisuque civilium rerum peritus.*

DISSERERE v. accusativus.

DISSERTARE Ann. 12, 11 *ubi haec atque talia dissertavere;* 13, 38 *rectius de his quae in publicum consulerentur totis exercitibus coram dissertaturos respondit;* Hist. 4, 69 *pacis bona dissertans.* Ita Cato, Plaut., Gellius. Livius 22, 54 exhibet *edissertare.*

DISSIDERE v. accusat. 6, γ et in Proleg. de brevitate stili Tacitei.

DISSOCIARE Ann. 1, 28 *legionem a legione dissociant;* 12, 55 *cum barbarorum copias dissociasset;* 13, 56 *excidium minitans, nisi causam suam dissociarent;* Hist. 4, 37 *res adversae discordiam peperere, iis qui e superiore exercitu erant causam suam dissociantibus.* Ita Cicero, Nepos et poetae quibusdam locis.

DISSOCIATIO Ann. 16, 34 *de dissociatione spiritus corporisque anquirebat.* Ita saepius Plin. in hist. nat.

DISTARE de tempore (Horat., Quintil.) Ann. 3, 24 *haud multum distanti tempore Calpurnii Pisonem, Aemilii Lepidam amiserant.*

DISTERMINARE, ut singulis locis Cic. (in Arat.) et Plin. maj. Ann. 11, 10 *flumen quod Dahas Ariosque disterminat.*

DISTINCTUS, us (Statius) Ann. 6, 28 *ore ac distinctu pinnarum a ceteris avibus diversum.*

DISTRAHERE i. q. distinere, sed plus valet, Ciceroni quoque aliisque et proprie et translate usurpatum, nulli tamen frequentius quam Tacito Ann. 1, 4 *qui rempublicam interim premant, quandoque distrahant;* cp. 60 *Caecinam distrahendo hosti — ad flumen Amisiam mittit;* 2, 40 *Tiberium anceps cura distrahere;* 3, 10 *haud fallebat Tiberium moles cognitionis, quaque ipse fama distraheretur* (cf. differre et dispergere); 6, 17 *quanto quis obaeratior, aegrius distrahebant* (i. e. vendebant; ita Suet., Justin., Gellius et seriores dumtaxat); cp. 35 *distraheret turmas;* cp. 44 *distrahi consiliis, iret contra an bellum cunctatione tractaret;* Hist. 4, 10

obsessos hinc fides inde egestas inter decus ac flagitium distrahebant.

DISTRIBUTIVA v. adjectivum.

DISTRICTUS i. q. adductus, severus Ann. 4, 36 *ut quis districtior accusator.* Ita saepius Valer. Max. et seriores; Plin. min. eadem sign. utitur adverbio. Apud priores plerumque idem est quod distractus, occupatus.

DIU pro die Ann. 15, 12 *continuum diu noctuque iter properabant;* Hist. 2, 5 *noctu diuque.* Ita Plaut. et Sallustius; v. Forcellin.

DIVERSITAS v. diversus.

DIVERSUS cujus vocis apud nullum magis quam apud Tacitum variat usus 1) de locorum diverso situ Ann. 2, 60 *Graeciam repetens diversum ad mare terramque Libyam dejectus;* 3, 2 *etiam quorum diversa oppida, tamen obvii;* cp. 59 *diverso terrarum distineri;* 1, 17 *trahi adhuc diversas in terras;* 13, 40 *adsultare ex diverso;* 15, 37 *feras diversis e terris petiverat;* Hist. 1, 81 *diversa urbis itinera;* 2, 1 *in diversa parte terrarum;* 3, 46 *si Dacus Germanusque diversi inrupissent;* 4, 16 *directa ex diverso acies;* Agric. 11 *procurrentibus in diversa terris;* cf. Cic. Verr. 3, 83 *loca inter se maxime diversa;* Manil. 4 *locis disjunctissimis maximeque diversis;* Caes. B. C. 1, 40 *diversam aciem in duas partes constituit;* cp. 58 *diversi pugnabant;* B. G. 2, 23 *diversae duae legiones proeliabantur;* Liv. 10, 12 *diversi — proficiscuntur;* 26, 27 *quod locis diversis ignes coorti essent,* et ap. hunc saepius. 2) i. q. separatus, secretus (minus aperte quidem ita ap. priores) Ann. 13, 40 *si laxare ordines et diversos consectari posset;* 15, 56 *diversi interrogantur;* 16, 30 *steterunt diversi;* Germ. 16 *colunt discreti ac diversi;* cp. 28 *sedes promiscuas adhuc et nulla regnorum potentia diversas.* 3) de rebus ad hostem partesque discordantes pertinentibus Ann. 13, 47 *diversam aciem* (hostilem) *Marti ac Mercurio sacravere;* 14, 30 *stabat pro littore diversa acies* (hostium); 15, 15 *iis* (Parthis) *usui fuit* (pons); *nostri per diversum* (hostilem) *iere;* cp. 17 *Armeniam quoque diversis praesidiis vacuam fieri expostulabat;* Hist. 2, 34 *exploratores, curâ diversa* (ea quae ad hostes pertinebant) *sciscitandi, sua non occultabant;* 3, 5 *ne majore ex diverso mercede* (ab adversariis acceptâ) *jus fasque exuerent;* cp. 13 *quas enim ex diverso legiones? nempe victas;* cp. 73 *ex diverso trepidi milites.* Hujus quoque significationis ratio minus apparet apud priores, sed haud

haud multum recedit ab ea, qua 4) diversus idem fere est quod alienus, abhorrens ab aliqua re, diversam causam, diversam sententiam sequens et omnino pertinet ad ea, quae inter se opposita sunt Ann. 2, 2 *diversus a majorum institutis;* 13, 15 *sors regni — ceteris diversa;* 6, 33 *diversa induere* (verschiedenes Interesse); cp. 22 *sapientissimos veterum — diversos reperies* (div. sententiam sequi). Ita Liv. 4, 55 *consules ambo profecti sint — an alter — substiterit, incertum diversi auctores faciunt;* Quintil. 5, 10, 8 *utrumque autem quamquam diversi auctores eodem modo finiunt.* — Ann. 2, 73 *diversi interpretabantur;* cp. 9 *exin diversi ordiuntur;* 12, 69 *nullo in diversum auctore;* Hist. 1, 86 *prodigia insuper terrebant diversis auctoribus vulgata* (prout quisque aut Vitellio, aut Othoni aut Vespasiano favebat); Ann. 13, 9 *quo componeret diversos* (discordes); — Ann. 3, 14 *judices per diversa implacabiles erant* (aus verschiedenen, entgegengesetzten Gründen); 4, 74 *quamquam diversis super rebus consulerentur;* 6, 20 *quem (Galbam) accitum et diversis sermonibus pertentatum — adlocutus (Tiberius) cet.* i. e. qui minime spectabant ad eam rem, cujus causa eum arcessiverat; 11, 19 *is terror milites hostesque in diversum adfecit* (similiter Liv. *in diversum trahere*); cp. 23 *studiis diversis apud principem certabatur;* 12, 60 *tunc ordinum diversa studia;* 13, 2 *diversa arte ex aequo pollebant* (cf. Liv. 34, 4 *diversis duobus vitiis, avaritia et luxuria, civitatem laborare*); 14, 57 *non se, ut Burrum, diversas spes, sed solam incolumitatem Neronis spectare;* cp. 10 *diversa simulatione moestus* (cf. Sall. Jug. 25 *metu atque libidine divorsus agitabatur*); Hist. 1, 32 *eodem die diversa pari certamine postulaturis;* cp. 25 *suspensos ceterorum animos diversis artibus stimulant* (spe et metu); Agric. 32 *exercitus — contractus ex diversissimis gentibus;* Dial. 1 *cum singuli diversas — causas adferrent.* — Cum genitivo constr., cujus nullum exstare videtur ap. alios exemplum Ann. 14, 19 *ut par ingenio, ita morum diversus.* — Eadem ratio est substantivi, quod et ipsum saepissime Tacitus, praeter eum Plinii et Quintil. soli usurpasse videntur: Germ. 15 *ipsi hebent mirâ diversitate naturae* (indem ihre Natur merkwürdige Gegensätze darbietet); Ann. 15, 16 *Corbulo — obvius non eam speciem insignium et armorum praetulit, ut diversitatem exprobraret;* Hist. 1, 62 *mira inter exercitum imperatoremque diversitas;* 4, 27 *tanta illi exercitui diversitas inerat licentiae patientiaeque* (solche Gegensätze); cp. 76 *diremit con-*

siliorum diversitatem. Vide quae accuratissime de discrimine quod intercedit inter *varius* et *diversus* exposuit Doederl. in Synon. III. p. 269 sqq.

DIVIDERE i.q. secernere, sejungere Ann. 1, 43 *dividite turbidos;* 3, 15 *paullatim segregari a marito, dividere defensionem (suam) coepit;* i.q. distinguere Ann. 13, 27 *dignitatem ordinum dividerent.* Cf. Cic. Orat. 32 *cum ambigue multa dicantur, quomodo quidque eorum dividi explanarique oporteat;* Legg. 1, 16 *atqui nos legem bonam a mala nulla alia nisi naturae norma dividere possumus;* Att. 5, 20 *Amanus — Syriam a Cilicia ima aquarum divortio dividit;* pro Flacco cp. 26 *Quae (Massilia) tam procul a Graecorum omnium regionibus, disciplinis linguaque divisa* (remota).

DIVORTIUM peculiari prorsus modo pro freto Ann. 12, 63 *artissimo inter Europam Asiamque divortio.* Cf. devortium.

DIURNA v. acta.

DOMINATIONES v. abstracta.

DOMINUS Ann. 2, 87 *acerbe increpuit eos, qui divinas occupationes ipsumque dominum dixerant.* Lips. in exc. ad h. l. probat, patres a liberis, fratres a fratribus, uxores a maritis nonnunquam dominos, dominas appellatos esse, sed imperatorum dumtaxat aevo. Poetarum sunt loci, qui ad priora tempora respiciunt. Taciti aetate jam comitatis tantum urbanitatisque exprimendae causa frequentabatur vox domini. Cf. Sen. Epist. 3 *obvios si nomen non succurrit, dominos salutamus.* Ad Taciti locum explicandum optime adhiberi potest Suet. Oct. 53 *domini appellationem ut maledictum et opprobium semper exhorruit. — dominumque se — appellari ne a liberis quidem aut nepotibus suis, vel serio vel joco, passus est: atque hujusmodi* blanditias *etiam inter ipsos prohibuit.*

DOMUS 1) domicilium, quae propria est hujus vocis significatio, ut semper exprimat aedificium in quo quis habitat, unde ferarum quoque *domus* vocantur a poetis; de ducis tabernaculo Ann. 1, 39 *vexillum in domo Germanici situm.* 2) saepissime ap. Tacitum praeeuntibus prioris aevi scriptoribus designat familiam, maxime imperatoris. Cf. inter alios multos locos Agric. 46 *placide quiescas, nosque, domum tuam — ad contemplationem virtutum tuarum voces;* Ann. 6, 40 *Blaesis sacerdotia, integra eorum domo destinata, convulsâ distulerat;* 3, 24 *inlustrium domuum adversa;* 12, 1

caede Messallinae convulsa principis domus, etiam latiori sensu Agric. 19 *primum domum suam coercuit* „Alles, was mit Agricola und seinem Gefolge in unmittelbarer Beziehung stand" ut recte interpretatus est Walchius. 3) idem fere est quod aula (v. h. vox) Ann. 4, 6 *rari per Italiam Caesaris agri, modesta servitia, intra paucos libertos domus* (der Hofstaat); 13, 47 *usu et senecta Tiberio abusque domum principum edoctus* (i. e. ingenium aulae) 4) ut *domi habere, domi esse* ap. priores nonnunquam ad certam possessionem significandam dicitur, ita Hist. 1, 11 *domi retinere Aegyptum provinciam*, i. e. principum familiae peculiarem servare.

DONATIVUM militibus, *congiaria* plebi dabantur; sed illi quoque congiaria interdum accipiebant. Vid. Capitol. Ant. Pius. 8 *congiarium populo dedit, militibus donativum addidit;* cp. 4 *congiarium militibus ac populo de proprio dedit.* Cf. ap. Tacitum inter alios locos Ann. 12, 41. 69; 14, 11; Hist. 1, 5. 18; 4, 19; *donum* simpliciter vocatur donativum Ann. 1, 2.

DONEC v. conjunctivus n. 4, b.

DUCERE 1) i. q. trahere ad moram et tergiversationem designandam, ut notissima est locutio *ducere bellum* (Ann. 12, 30; Hist. 2, 32) Ann. 2, 34 *tempus atque iter ducens;* 11, 37 *lacrimae et questus inriti ducebantur.* Cf. Liv. 3, 41 *si leniter ducta res sine populari strepitu ad consules rediisset;* 4, 53 *cum res diu ducta esset;* Nep. Them. 7 *ut quam longissime tempus duceret;* Caes. B. G. 1, 16 *diem ex die ducere Aedui;* Plin. epist. 6, 31 *jucundissimis sermonibus nox ducebatur;* Sen. Thyest. 466 *diem somno ducere.* 2) absolute pro *ducere exercitum* Ann. 13, 54 *ereptum jus legatis ducendi in hostes.* Ita saepissime loquitur Livius 22, 15; 27, 43; 21, 58; 22, 12; 10, 17; 32, 6; eodem modo *educere* 8, 9; 4, 17; 21, 60; — 33, 37 *eadem via, qua adduxerat, reduxit;* 22, 1 *Hannibal ex hibernis movit;* (cf. Drakenb. ad 38, 41, 2 et maxime ad 10, 4, 9 ubi magnam exemplorum turbam congessit); 33, 38 *misit* (exercitum) *ad Smyrnam obsidendam;* cp. 39 *in consilium advocavit* (exercitum); Curt. 9, 18 *jam admovebat rex.* Cf. expedire. 3) absolute pro *sortiri* (vulgo *sortem ducere, sorte ductus;* et ita Tacitus quoque Ann. 1, 54 *sorte ducti e primoribus;* 6, 2 *sorte ducti;* 13, 29 *sorte ducebantur*) Ann. 3, 58 *si hi duxissent provincias.* Vix apud alium simile quid reperias. — De loco vexatissimo Agric. 6 *ludos — abundantiae duxit* v. s. v. modus.

DUCTARE Ann. 4, 65 *cum auxilium adpellatum ductavisset;* Hist. 2, 100 *quem* (exercitum) *ipse ductaverat.* Ita Plaut., Terent., Sallust.

DUCTOR, praecipue de barbarorum ducibus, Ann. 2, 10 *Romanis in castris ductor popularium;* 4, 46 *si mitterent auxilia, suos ductores praeficere;* 12, 34 *gentium ductores circumire.* Cf. Cic. Tusc. 1, 37 *non modo ductores nostri, sed universi etiam exercitus;* Liv. 10, 21 *qui haud dubie tum primus omnium ductor (Romanorum); 22, 61 Carthaginiensium ductor* (cf. Drak. ad Liv. 22, 12, 6). Ita Virg. *ductor classis, apum,* Stat. *Tiberis ductor aquarum.* Quae ista est Forcellini negligentia! locos omnes et Taciti et Livii omisit.

DUINT Ann. 4, 38 ap. Livium quoque et Cic. legitur, saepius ap. Plautum Terentiumque; ita *perduint* Cic. Att. 15, 4 et *faxint* ib. epist. 29.

DUM v. praesens s. v. tempora et indicat.

DUMTAXAT (dum taxat aliquis, Prisciano interprete *dumtaxat* melius et tutius, quam *duntaxat.* Illud multis, hoc una tantum inscriptione Domitiani probatur. *Cellar.*) semel ap. Tacitum et vulgari quidem significatione, qua idem est quod *tantummodo,* Germ. 25 *exceptis dumtaxat iis gentibus cet.* Sed operae pretium est hujus vocis apud ceteros scriptores usum accuratius exponere, cum praesertim indices et lexica vix adumbrationem hujus rei exhibeant, unde orta est praejudicata multorum opinio, abstinendum esse hoc vocabulo quasi prisco et obsoleto. Eodem modo, quo Tacitus, Livius quoque, Caesar aliique quidam usurpant *dumtaxat* pro *solum, tantummodo.* Cf. Liv. 2, 61; 7, 32; 10, 25; 27, 17; 34, 7; 37, 53; Caes. B. C. 2, 41; a. b. Afric. 87. 90; Curt. (uno loco excepto 9, 41 ed. Zumpt., ubi est i. q. *saltem*) 3, 1. 30; 4, 42; 8, 4; 9, 36; 10, 31. Apud Ciceronem autem, Plin. maj., et Quintilianum praeter illam significationem *dumtaxat* idem quoque valet quod *sed tantum, saltem* et *dummodo.* En omnes, quod sciam, Ciceronis locos: 1) tantum, tantummodo est de orat. 2, 14. 20. 27; Brut. 82; de opt. gen. or. 3; ad Q. post. red. 4; in Pis. 14; Marcell. 7; Att. 2, 9; ad Brut. 3 ubi cum vi quadam dicitur *consules duos, bonos quidem, sed dumtaxat bonos, amisimus;* N. D. 1, 38; de div. 2, 13; de legg. 1, 2; amic. 15; parad. 1, 1; rep. 2, 32. 2) sed tantummodo et saltem Brut. 62; pro Quint. 18; Att. 2, 14; N. D. 1, 44; de div. 2, 43; N. D. 2, 18; Q. fratr. 1, 1; ad Brut. 15; petit. cons. 13; fin. 5, 25; Fam. 12, 1; 16, 26; Att. 1, 1; 2, 18;

4, 3; 5, 10; 11, 12; 16, 2; de or. 1, 58; 3, 37. 47. Brut. 28; Caecin. 20; Mil. 2; Dejot. 1; Fam. 5, 20 (bis); 8, 1 (Coel.). 3) dummodo fin. 2, 7 *dumtaxat cetera caverent.* (ita Sall. Jug. 79 usurp. *tantummodo: cum Poeni aliam conditionem, tantummodo aequam peterent*). — Saepius fortasse quam Cicero et eadem significationis varietate usus est hac particula Plin. maj. Cf. inter multos locos 2, 101; 3, 9; 8, 6. 55; 9, 18. 29. 39; 20, 41; 23, 57; 28, 11. 23; minus saepe Quintil. V. Spald. ad 3, 8, 10 *et* 6 *prooem.* 11. Hic *demum* quoque usurpavit pro *tantummodo* Prooem. 3. V. ibi Spald.

DURARE 1) obdurare Ann. 3, 15 *durat mentem;* Hist. 4, 59 *ad omne facinus duratus.* Ita Liv. quoqe et alii. 2) perdurare, usque ad certum tempus (etiam finem) permanere, superesse, Cicerone, Livio aliisque praeeuntibus saepius multo hujus aevi scriptores, maxime Tacitus (Plin. maj. haud raro de frugibus) Ann. 1, 30 *durabat formido coelestis irae;* 3, 16 *qui nostram ad juventam duraverunt;* 6, 11 *durat simulacrum;* cp. 50 *nec ultra biduum duraturum spiritum;* Germ. 30 *durant — colles, paullatimque rarescunt* (non enim probaverim cum Passov. et Hessio interpunctionem post durant. Quidni Tacitus, qui tam multa minus vulgarem in modum transtulit, etiam de spatio usurpaverit durare (cf. in Proleg. prosopopoeiae exempla, ubi de poet. stili Tacitei colore agitur et quae praecedunt, e. g. *terra erigit montem, Tiberim nolle — minore gloria fluere.*? Et totius loci nexus hanc interpretationem postulare videtur). Agric. 44 *durare in beatissimi saeculi luce;* Dial. 17 *Asinius paene ad extremum Augusti principatum duravit* (Liv. imperson. quoque 10, 46 *neque durari extra tecta poterat;* ita etiam Quint. 11, 3, 23 *in sudata veste durandum*) 3) permanere, persistere in aliqua re et constanter quidem ac pertinaciter Ann. 14, 1 *usque ad caedem ejus duratura filii odia;* 2, 76 *durare in partibus;* 4, 18 *durare in obsequio;* Hist. 5, 10 *duravit patientia Judaeis;* Germ. 21 *nec implacabiles durant* (inimicitiae); cp. 33 *maneat duretque odium.* Cf. Vell. 2, 79 *cui in tantum duravit hoc facinore contractum odium, ut ...;* cp. 85 *illis etiam detracto capite* (*Antonio*) *in longum fortissime pugnandi duravit constantia;* 1, 12 *adeo odium — ultra metum durat.* Ita saepissime Quintil. et uterque Plin. — Ad ipsas personas etiam refertur absolute positum Ann. 12, 40 *ut major laus compositis vel, si duravissent* (in armis) *venia justior tribueretur;* 1, 6 *in nullius unquam suorum necem duravit* (er be-

stand nicht darauf). Cf. Quint. 9, 2, 88 *ut non durat ultra poenam abdicationis, ita abdicat tamen.* V. ibi Spald. et §. 91 *dura, anime, dura; here fortior fuisti;* 4 prooem. 7 *durandum est quia coepimus;* Petron. Sat. c. 105 *cujus tam crudeles manus in hoc supplicium durassent.* Similiter absolute usurpavit Virg. Ecl. 6, 35 *tum durare solum et discludere Nerea ponto coeperit.* — Cf. Germ. 45 *jam solis fulgor edurat in ortus.* Ita Sen. et Gell. pro *perdurare.* V. Plin. H. N. 2, 31 *plures soles — qui a matutino tempore duraverunt in occasum,* et Hess. ad Germ. 45.

E, EX 1) saepius quam ap. alios a praepositionis locum obtinet, non aliam ob causam, quam qua *in* a Tacito crebrius usurpatur quam *ad* particula, quippe cum major insit vis in illis. Ann. 1, 29 *adjiciendos ex duce metus;* 2, 38 *si nullus ex se metus aut spes;* 11, 20 *metus ex imperatore;* Hist. 2, 67 *e praetoriis cohortibus metus;* Agric. 16 *ex legato timor;* Ann. 1, 80 *ex optimis periculum sibi,* a *pessimis dedecus publicum metuebat;* 3, 50 *nec quidquam — ex eo metuas;* 4, 6 *nulla in eo culpa ex principe;* 3, 65 *ex posteritate et infamia metus;* cp. 55 *poena ex legibus et metus;* 4, 55 *ducum e nominibus indita vocabula;* 15, 54 *proditio coepit e domo Scevini;* Hist. 4, 55 *ipse e* (inde a) *majoribus suis hostis populi Romani quam socius jactabat.* — Alia pariter apud ceteros sed minus saepe quam ap. Tacitum recedunt a vulgari hujus vocis usu: 2) ex eo i. q. deinde Ann. 6, 9; 12, 7 et saepius; quare idem nonnunquam valet quod *post:* Ann. 3, 6 *ex moerore solatia;* 15, 68 *odium — ex intima sodalitate coeperat;* Hist. 3, 46 *Agrippa ex Asia (pro consule eam provinciam — tenuerat) Moesiae praepositus est.* Germ. 22 *statim e somno — lavantur.* 3) i. q. propter, secundum, pro Hist. 2, 11 *e fiducia tarditas inerat;* cp. 27 *e petulantia etiam perfidiam suspectabat;* 15, 43 *ea ex utilitate accepta, decorem quoque — adtulere;* 3, 27 *leges — ex delicto — latae;* 13, 46 *non ex priore infamia, sed integre sancteque egit;* 11, 25 *ex severitate prisca;* Hist. 2, 85 *ex nuntiis cunctabundus aut properus;* Ann. 1, 24 *ex re* (ut 3, 1 *pro tempore*); Hist. 4, 56 *e praesentibus;* Agric. 8 *Cerialis eum aliquando majoribus copiis ex eventu praefecit;* Ann. 2, 63 *scripsit Tiberio, non ut profugus aut supplex, sed ex memoria prioris fortunae.* 4) i. q. de Ann. 3, 55 *haec nobis certamina ex honesto maneant;* (proprie *ex honesto oriunda, profecta,* inde *de honesto*). 5) i. q. unus ex Ann. 13, 47 *Graptus ex liber-*

tis Caesaris; (cf. 1, 23 *qui e servitio Blaesi erant*); Hist. 4, 50 *Massa, e procuratoribus Africae*. 6) i. q. per aut pro simplici ablativo Ann. 1, 17 *truncato ex vulneribus corpore*; cf. 14, 17 *trunco per vulnera corpore*. 7) pro dativo Hist. 2, 43 *signa vexillaque ex hostibus rapuit* (hostibus eripuit). 8) latissime patet usus hujus praepositionis pro adjectivis adverbiisque ad modum designandum. Ita poetae maxime locuti sunt e more Graeco, ut Ann. 2, 2. 55 *ex facili*; tum in vulgarem sermonem abierunt *ex improviso, ex inopinato, ex insperato, ex composito, ex praeparato, ex aequo, ex occulto* et similia; insolentius jam Livius usurpat *ex tuto, ex vano* 26, 38 *quantum ex tuto poterat*; 33, 31 *nec tota ex vano criminatio erat* (idem exhibet *ex industria, ex supervacuo*. v. Tursell). Ita Quintil. 5, 6, 2 *adjicit ex abundanti*; 4, 5, 15 *addit ex abundanti* (zum Ueberfluß); Plin. H. N. 37, 4 *nullam non duritiem ex facili cavantes*; Colum. 6, 1 *quae in emendis bubus sequenda quaeque vitanda sint, non ex facili dixerim*; Justin. 1, 9, 19 *ex continenti* (continuo) *ad regiam pergunt*. Alia hujus generis exempla e Vellejo, Suetonio, Seneca, Columella, aliis petita, *ex commodo, ex compacto, ex constituto, ex integro, ex pari, ex dissimulato, e diverso* (e contrario), *ex toto* (prorsus, omnino) v. apud Tursell. de particulis, et Graeca, ut *ἐκ τοῦ ἐμφανέος*, etiam plurali num. a Latinis nunquam ita usurpato (*ἐκ τῶν δυνατῶν*), in Matthiae Gr. Gr. §. 574. Apud nostrum cf. Hist. 3, 49 *cetera ex facili*; Agric. 15 *tanquam ex facili tolerantibus*; Hist. 1, 57 *quibus praesentia ex adfluenti*. — Ann. 15, 13 *pacem ex aequo* (*ἀπὸ τοῦ ἴσου*) *utilem*, i. e. integris ab utraque parte viribus; Hist. 4, 64 *sincerus et integer et servitutis oblitus populus aut ex aequo agetis* (i. e. ceteris potentia pares), *aut aliis imperitabitis*; Hist. 3, 9 *tentatis levi proelio animis ex aequo discessum*; Agric. 20 *quibus rebus multae civitates, quae in illum diem ex aequo egerant, datis obsidibus iram posuere* (i. e. quae ex aequo pugnaverant contra Romanos, non vero, quae Ernestii interpretatio est „quae sui juris, liberae fuerant;“ bene ad h. l. monuit Walchius, illud *ex aequo* reapse incertum, significationem, quam quovis loco obtineat, trahere ex opposito). — Hist. 2, 97 *trium legionum legati, pares jure et prosperis Vitellii rebus certaturi ad obsequium, adversam ejus fortunam ex aequo* (pariter) *detrectabant*. Cf. Colum. 6, 31 *ex aequo miscentur radices agrestis herbae sulfurque*; Sen. epist. 88 *Protagoras ait, de omni re in utramque par-*

tem disputari posse ex aequo. — De omissa hac praep. v. ablat.

EBLANDIRI Hist. 3, 37 *nec defuit, qui unum consulatus diem — eblandiretur.* Ita Cic. quoque et Livius, saepius arg. aet. scriptores.

EBURNUS poetice pro *eburneus* Ann. 2, 83; 4, 26. Cf. Drakenb. ad Liv. 5, 41, 2.

EDERE v. editio.

EDICTUM *ponere* i. e. proponere (Ann. 1, 7) v. s. v. ponere; Ann. 1, 8 *populum edicto monuit, ne — Augustum in foro potius quam in campo Martis — cremari vellent;* 3, 6 *ut premeret vulgi sermones, monuit edicto cet;* 5, 5 *Caesar — increpita per edictum plebe — postulavit;* 14, 45 *Caesar populum edicto increpuit;* 15, 36 *edicto testificatus (Nero) non longam sui absentiam — fore;* cp. 73 *Nero vocato Senatu — edictum apud populum — confessionesque damnatorum adjunxit;* Hist. 3, 73 *quod (consul) edicta in populum pro Vespasiano magnifica, probrosa adversus Vitellium jecerat;* 4, 49 *anxio deinde edicto Carthaginiensibus increpitis, ne solita quidem munia usurpabat.* Cf. Hist. 2, 91 *funesti ominis loco acceptum est, quod maximum pontificatum adeptus Vitellius de caerimoniis publicis XV kal. Augustas* edixisset, *antiquitus infausto die Cremerensi Alliensique cladibus.* — „Moris aetate illa, ut princeps (vel talia ad senatum scriberet, vel) populum peccantem aut exorbitantem adloqueretur per libellum coerceretque. — Edictis non tantum jubebant aut vetabant aliquid fieri, sed et monebant populum, increpabant, docebant." Ita Ruperti ad Ann. 3, 6 e Lipsii Muretique adnotationibus, collatis Suetonii locis Aug. 89; Cal. 6. 45; Claud. 16. 32. 38. Adde Sen. epist. 94 *praecepta sapientiae, quae affectus nostros velut edicto coercent et obligant.* De senatu edictis consulum aliorumque magistratuum, quibus senatum habendi jus erat, convocato vid. Drakenb. ad Liv. 3, 38, 13.

EDITIO de munere gladiatorio Ann. 3, 37 *diem editionibus traheret.* Ita scriptt. hist. Augustae. Cf. Ann. 1, 76 *edendis gladiatoribus — praesedit;* cp. 15 *proprio sumptu ederent ludos;* 14, 17 *gladiatorio spectaculo, quod Livineius Regulus — edebat.* Haud raro ita Suetonius; sed Livius jam exemplum praebet 28, 21 *ad munus gladiatorium edendum rediit.*

EDUCERE 1) i. q. educare Ann. 1, 4. 41; 6, 15. 41 ut ap. Terentium, Cic., Liv. alios satis multis locis. 2) i. q.

erigere, exstruere, poetico more Ann. 2, 61 *instar montium eductae pyramides;* Hist. 4, 30 *eduxerant Batavi turrim;* 5, 18 *e mole, quam eductam in Rhenum rettulimus;* cf. Virg. Aen. 12, 674; 2, 185 sq. Sil. 10, 561; J. Fr. Gron. ad Liv. 32, 11.

EDURARE v. durare.

EFFERRE 1) se efferre pro egredi Ann. 15, 7 *seque vallo extulit,* poetico loquendi genere. cf. Liv. 3, 5 *legatum longius extulit cursus* 2) i. q. exponere sed cum vi quadam affectus, (ap. Cic. et Quintilianum simpliciter pertinet ad pronuntiationem) Ann. 2, 63 *exstat oratio, qua magnitudinem viri — extulit;* 4, 33 *neque refert cujusquam, Punicas Romanasve acies laetius extuleris;* 6, 9 *quia repertus est qui efferret quae omnes animo agitabant.* Sed hoc loco *efferre* idem prope valet quod *evulgare,* ut priorum exemplis praeeuntibus Ann. 3, 41 *quo dissimularent defectionem magisque in tempore efferrent.* 3) i. q. augere haud raro ap. Tacitum e vulgari usu, sed insolentius in malam partem Hist. 4, 42 *Regulum subversa Crassorum et Orphiti domus in summum odium extulerat.*

EFFLUVIUM Ann. 12, 57 *effluvium lacûs.* Ita praeter locum Plinii maj. a Forcell. laudatum Vellej. 2, 120 *ita illas (catenas) illisit capiti, ut protinus pariter sanguinis cerebrique effluvio exspiraret;* nam ita haud dubie cum Lipsio legendum pro *influvio.*

EFFUGIUM vox notissima quidem, sed minus saepe obvia ap. priores ceterosque omnino scriptores Ann. 2, 47 *solitum in tali casu effugium;* 12, 56 *cincto ratibus ambitu, ne vaga effugia forent;* Hist. 3, 18 *quanto plus spei ad effugium — dabant;* 15, 63 *quoniam senile corpus — lenta effugia sanguini praebebat.* De via ipsa qua quis effugit Ann. 3, 42 *qui effugia insederant (milites);* 12, 31 *obseptis effugiis;* 16, 15 *effugia villae clausit.* Cf. Liv. 24, 26 *si effugium patuisset in publicum.* v. egressus.

EFFULGERE Ann. 13, 13 *ornatu, quo principum conjuges — effulserant;* Hist. 4, 29 *si quis audacia aut insignibus effulgens, ad ictum destinabant.* Ita plerumque poetae, sed Liv. quoque. V. glossarium Liv. Ernestii.

EGENUS i. q. egens Ann. 1, 53 *omnis spei egenam — peremit;* 4, 30 *egenam aquae utramque insulam referens;* 12, 46 *castellum commeatu egenum;* 15, 3 *egena aquarum regio;* cp. 12 *qua proximum et commeatibus non egenum.*

Ita poetae et Liv. 9, 6 *circa viam — omnium egeni corpora humi prostraverunt.* Vide ad h. l. Drakenb.

EGERERE Liv. 6, 3 *praedam ex hostium tectis;* 25, 25 *bona egessere;* 21, 37 *tantum nivis egerentes;* 38, 7 *egerentes humum* et passim. Praeter eum saepissime poetae et argenteae aet. scriptores, maxime Tacitus Ann. 15, 64 *multum vitalis spiritus egestum* (ita alii *dapes ore, animam egerere*); Hist. 5, 6 *lacus — bitumen egerit;* cp. 7 *modicum id littus, et egerentibus* (vitrum) *inexhaustum;* Agric. 31 *bona fortunasque in tributum egerunt* (Romani) ubi vidend. est Walchius.

EGREDI v. excedere et accusat.

EGREGIUS 1) absolute, ut substantivum sit, ap. solum Tacitum Ann. 14, 60 *postquam cuncta scelerum suorum pro egregiis accipi videt;* 3, 70 *egregium publicum.* Ita Liv. et Sall. *bonum publicum* (Tacit. Ann. 14, 38) *malum publ., pessimum publicum.* V. Liv. 2, 1; 27, 6; Sall. Cat. 51; Jug. 25. Ad Dial. 41 *bono seculi sui quisque — utatur* Osannus adnot. „singularis *bonum* insolentius positus. Sed tamen Cicero Tusc. 5, 23 *bonum mentis est virtus.* Cf. Fam. 15, 14, 4. 2) i. q. honorificus, sine alio, ut videtur, exemplo Ann. 3, 6 *idque et sibi et cunctis egregium.* 3) ironice apud nullum saepius Ann. 1, 42 *egregiam duci vestro gratiam refertis;* 3, 17 *egregiam aviam — sanguine miserrimae domus exsatiaret;* Hist. 1, 33 *dum egregius imperator cum fortibus amicis — domum cludit;* 4, 32 *egregium pretium laboris.*

EGRESSUS nulli magis frequens vox quam nostro Ann. 11, 12 *ventitare domum, egressibus* (ejus) *adhaerescere;* 3, 33 *duorum egressus coli, duo esse praetoria;* 15, 53 *Caesar rarus egressu domoque aut hortis clausus;* Dial. 6 *togatorum comitatus et egressus;* cp. 11 *nec comitatus istos et egressus aut frequentiam salutationum concupisco.* Ita praeter Cic. et Ovidium, quorum locos aliquot laudavit Forcell., Plin. Pan. 26 *principis egressus in publicum.* — De loco unde quis egreditur (v. effugium) Ann. 16, 10 *egressus obsidens.* Sic Ovid. et Petron., laudante Forcellino; adde Sall. Jug. 35 *itinera egressusque ejus explorat.* Cf. excedere.

EJECTAMENTUM Germ. 45 *ejectamenta maris.* Praeterea unum exstat hujus vocis exemplum ap. Apulej.

EJURARE i. q. abdicare (similiter Plin. min.; in fr. Plauti ap. Festum *ejurare militiam*) Ann. 12, 4 *adactus Silanus ejurare magistratum;* 13, 14 *ire Pallantem, ut ejuraret* (arbitrium regni. v. Rup. ad h. l.); Hist. 3, 37 *pridie Kal.*

Nov. Rosius Regulus iniit (consulatum) *ejuravitque;* cp. 68 *ejurari ab eo imperium;* inde in universum est cum adseveratione quadam deserere, non agnoscere Hist. 4, 28 *ejuratâ patriâ — Agrippinenses vocarentur.* Ita Justin. *patriae nomen ejurare* dicit, Seneca *patrem ejurare.*

ELABI insolentius usurpatum Hist. 4, 81 *illi elapsos in pravum artus* (verrenkt, verkrüppelt). De constr. h. vocis cum accus. v. accusat.

ELECTI v. vexillarii.

ELECTIO Cic. de or. 1, 5 *electio verborum;* Liv. 34, 19 *trium conditionum electionem ferre;* Vell. 2, 72 *cum fortuna non electionem daret;* saepius ap. argenteae aetatis scriptores, exempli causa Sen. ad Marc. 12 *si ponatur electio;* Quint. 1, 12, 4; 2, 12, 6; Plin. Epist. 2, 3, maxime ap. Tacitum Ann. 6, 22 *electionem vitae nobis relinquunt;* Hist. 1, 14 *seu propria electione* (adopt. Pisonem Galba) *sive — Lacone instante;* cp. 19 *senatus electionem* (legatorum) *Galbae permiserat;* 3, 63 *de electione littorum loqui;* 5, 25 *si dominorum electio sit;* Dial. 23 *electio inventionis;* cp. 35 *vitiatarum electiones* „respicit ad legem scholasticam, quae raptarum dicitur: *rapta raptoris mortem vel nuptias optet.* Pithoeus. vid. Quint. 4, 2; 68 ibique Gessner.; 7, 8, 4." Dronk. Quint. utroque loco *optionis* vocabulo usus est.

ELIDERE praegn. modo usurpatum Ann. 2, 24 *miles — fame absumptus, nisi quos corpora equorum eodem elisa toleraverant,* i. e. adlisa (ut Caes. B. C. 3, 27 *pars — ad scopulos adlisa*) et ita vi ejecta. Ita *escendere* pro *adscendere, eniti* pro *adniti* usurpatur, maxime a Tacito.

ELINGUIS Dial. 36 *mutum et elinguem videri.* Cf. Liv. 10, 19 *mutus atque elinguis;* Cic. p. red. in sen. 3 *mutum forum, elinguis curia;* cp. 6 *elinguis, tardus;* Brut. 26 *Fannius nunquam habitus elinguis;* pro Flacco 10 *convicit et elinguem reddidit.*

ELLIPSIS nomin., verbi et partic. quarundam v. in Proleg. de brevitate stili Tacitei. De ellipsi pronom. v. pronomen; de ellipsi praepositionum ablat. et accusat.

ELOQUI i. q. dicere Ann. 3, 65 *Tiberium eloqui solitum, o homines ad servitutem paratos;* de elocutione oratoria Ann. 4, 31 *solutius promptiusque eloquebatur.* Uterque verbi usus ap. Cic. quoque obtinet.

ELUCTARI Hist. 3, 59 *vix quieto agmine nives eluctantibus;* Agric. 17 *super virtutem hostium locorum quoque dif-*

ficultates eluctatus. Cf. Liv. 24, 26 *cum tot ac tam validae eluctandae manus essent;* Virg. Georg. 2, 244 *aqua eluctabitur omnis Scilicet et grandes ibunt per vimina guttae;* sic saepius ap. poetas. Insolens vero locutio est Taciti Ann. 4, 31 *Tiberius compositus alias et velut eluctantium verborum.*

ELUCUBRARE (ap. Cic. etiam elucubrari) Dial. 9 *unum librum extudit et elucubravit.* v. Dronk.

ELUDERE congruit ap. T. cum vulgari usu, notandae tamen sunt nonnunquam minus usitatae juncturae. 1) ut de gladiatoribus dicitur *eludere ictum* i. e. declinatione corporis quasi cavillando evitare, ita Ann. 3, 74 *quia — plures per globos incursaret eluderetque;* 4, 25 *adversum eludentes optatae toties pugnae;* 2, 52 *ne bellum metu eluderent;* 14, 41 *praevaricando ultionem elusurus.* Hist. 3, 47 *classi quoque faces intulit, vacuo mari eludens.* 2) oratione aliquid cum dolo et irrisione declinare aut vanum esse ostendere Ann. 2, 79 *eludens respondit;* 3, 67 *neque refellere aut eludere dabatur;* Hist. 1, 26 *quaedam* (indicia seditionis) *apud Galbae aures praefectus Laco elusit.* Hinc simpliciter est 3) i. q. illudere Ann. 6, 46 *solitus eludere medicorum artes;* 16, 28 *qui — Montanum detestanda carmina factitantem eludere impune sinerent.* Cf. Liv. 40, 5, 7 *singulos principum eluderent,* ubi ex eodem scriptore plura exempla congessit Drakenb.

ELUMBIS Dial. 18 *Ciceronem — male audivisse — a Bruto,* ut ipsius verbis utar, *tamquam fractum atque elumbem.* Ita Festus et Prudentius; cf. Cic. or. 69 *delumbare sententias.*

ELUVIES ap. alios i. q. stagnum, torrens, cloaca (inde Cic. translate *eluvies civitatis*) ap. Tacitum i. q. inundatio Ann. 13, 57 *eluvie maris arescente unda.* Cf. inluvies et J. Fr. Gron. ad Liv. 1, 4, 5, ubi pro *adluvie* legi vult *eluvie,* et similiter scribendum esse censet pro *inluvie* ap. Tacit. Ann. 12, 51. Sed sine librorum auctoritate ap. nostrum quidem nihil mutandum.

EMERCARI (Ammian.) Ann. 12, 14 *missis corruptoribus exuendam ad fidem hostes emercari;* cp. 45 *avaritiam praefecti emercatur;* 13, 44 *ingentibus donis adulterium et mox ut omitteret maritum emercatur;* 16, 1 *principis aditum emercatus.* Sed e vulgari quoque usu *emere* et *mercari* usurpantur hac signif. Ann. 13, 5 *ne quis ad causam orandam mercede aut donis emeretur;* Hist. 4, 57 *illuc commeantium centurionum militumque emebantur animi;* 3, 55 *stultissimus*

quisque pecuniis mercabatur. Ita passive *mercatus* ap. Prop. et Plin. maj.

EMICARE paullo insolentius translate Ann. 13, 16 *Agrippinae is pavor, ea consternatio mentis, quamvis vultu premeretur, emicuit, ut cet.* Idem q. excellere est ap. Curt., Plin. maj., Justin., Ammian.; propria signif. vox ea apud poetas frequens; cf. Vellej. 2, 70 *cor emicat* (ita Plaut.); 2, 125 *incendium;* Plin. H. N. 2, 111 *flamma;* cp. 23 *sidus;* cp. 44 *procella;* 12, 11 *rami in excelsum emicant;* Quint. 8, 5, 29 *emicant inter fumum scintillae.* V. etiam quae Forcell. attulit e Livio aliisque et Doederl. Synon. II p. 79 de v. micare.

EMPTITARE Ann. 14, 41 *qui talem operam emptitasset vendidissetve perinde poena teneretur ac si publico judicio calumniae condemnatus.* Ita Plaut., si lectio certa, Plin. maj., Colum.

EMUNIRE Agric. 31 *silvis ac paludibus emuniendis,* ubi perquam scite Hertelius „praepositio h. l. vim verbi auget, quae est notissima ejus significatio; est vero etiam alia viris doctis minus animadversa; interdum enim initium ejus rei fieri significat, quae in verbo inest; sic. Hor. Od. 1, 5, 8 *emirabitur insolens* (aufstaunen); sic erubescere erröthen." Cf. etiam *emereri* Vell. 2. 47; Quint. 4, 1, 2 et prooem. — *emunire* etiam ap. Liv., Virg., Sen., Colum, Plin. maj., Statium legitur; ap. Liv. quidem solo participio *emunitus.*

ENITI i. q. adscendere, prorumpere v. accusat. — Quod ap. Liv. aliosque est *partum, fetum, marem cet. eniti,* absolute posita vox exprimit Ann. 5, 1 *ne spatio quidem ad enitendum dato.* Similiter Colum. de matricibus pavonum *includendae sunt enitentes.*

ENORMIS i. e. normam excedens aut formae aut magnitudinis Ann. 15, 38 *enormibus vicis* (unregelmäßig); Agric. 10 *enorme spatium;* Ann. 2, 14 *immensa barbarorum scuta, enormis hastas — perinde haberi quam pila et gladios;* Agric. 36 *enormes gladii.* Est vero haec vox argenteae aetatis propria, item *enormitas, enormiter.* Cf. praeter locos a Forcell. congestos Sen. de brev. vit. 12 *quanta arte scindantur aves in frusta non enormia.*

ENOTESCERE i. q. innotescere Hist. 3, 34 *quod ubi enotuit.* Obvia est h. vox praeterea ap. Sen., Suet., Plin. min.

EO i. q. ideo. v. ablativus.

EQUESTER i. q. eques ap. solum Tacitum Ann. 13, 10 *Julius Densus equester;* 12, 60 *apud equestres, qui Aegypto praesiderent.* Cf. militaris.

EQUES sing. pro plur. v. Singularis. — Reipublicae temporibus *equites inlustres, insignes, splendidi,* oppositi *obscuris,* generis antiquitate et auctoritate eminebant. Inde a temporibus Augusti illi etiam dignitate praestabant *modicis equitibus* (Ann. 1, 73); nam qui *insignes* (Ann. 11, 5), *inlustres* (Ann. 2, 59; 4, 58; 6, 18; 11, 4. 35; 15, 28) appellantur, censum senatorum (decies H S) possidentes, senatoriam dignitatem ab Augusto acceperant, habebantque jus tunicae laticlaviae, unde *equites laticlavii* s. simpliciter *laticlavii* dicebantur. Cf. Tacit. Ann. 16, 17 *Mella et Crispinus equites Romani dignitate senatoria;* Suet. Nero 26 *a quodam laticlavio — prope ad necem caesus;* hunc quidem Tacitus Ann. 13, 25 appellat *Julium Montanum, senatorii ordinis, sed qui nondum honorem capessisset.* Sed hunc Montanum senatoris fortasse filium fuisse inde probari potest, quod senatorum quoque liberis latum clavum induere et curiae interesse permisit Augustus. V. Suet. Oct. 38. Cf. quae accuratissime super hac re exposuit Walch. ad Agric. 4 p. 135 sq. coll. Drakenb. ad Liv. 30, 18, 15.

EQUIDEM pro simpl. quidem Dial. 27 *apud me equidem.* Ita priores jam. Vid. Osann. ad h. l. Primae quidem personae junctum sed insolentius cum plurali legitur ap. Cic. Sext. 57 *equidem audiebamus.*

ERADERE Ann. 4, 42 *Merulam — albo senatorio erasit.* Utuntur hac voce, et propria quidem signif., Varro, Colum., Plin. maj., translate Horat. (*elementa cupidinis*), Seneca, (*vitia*) Phaedrus (*curam habendi corde erad.*).

ERGA promiscue usurp. cum *in, adversum, contra* praepositionibus, quod ubi hostilem alienatumque animum exprimit rarum ap. priores, Ann. 2, 2 *fastu erga patrias epulas;* cp. 71 *invidia erga viventem;* cp. 76 *discordia erga Germanicum;* 4, 11 *atrociore semper fama erga dominantium exitus;* Hist. 4, 49 *alienato erga Vespasianum animo.* Cf. Nepos Dat. 10 *odio communi, quod erga regem susceperant.* — Id quoque in Taciteo sermone a vulgari usu abhorret, quod *erga* ad inanimas etiam res refertur. Cf. praeter locos inter supra laudatos huc pertinentes Ann. 4, 20 *ea prima Tiberio erga pecuniam alienam diligentia* (avaritia) *fuit;* 3, 2 *suprema erga memoriam filii sui munera* (cf. 14, 55 *tua quidem*

erga me munera); 11, 25 *isque illi finis inscitiae erga domum suam fuit;* Hist. 1, 20 *iisdem erga aliena sumptibus.* — Nonnunquam nihil est nisi *quod attinet ad:* Ann. 4, 74 *anxii erga Sejanum.*

ERGO v. igitur.

ERIGERE 1) maxime Tacito frequentatur, haud raro peculiari junctura, similia tamen exhibentibus Livio, Cicerone, aliis, ubi ad animi intentionem refertur Ann. 2, 25 *fama classis amissae ut Germanos ad spem belli, ita Caesarem ad coercendum erexit* (similiter Cic. *erectus ad libertatem recuperandam;* Livius *erectus in exspectationem belli*); cp. 71 *paullisper ad spem erectus;* Hist. 2, 74 *Vespasianus — in spem erectus;* 4, 81 *erecta* (i. e. intenta, adrecta, ut est 3, 11 *adrecta omni civitate,* et haud raro ap. Livium) *quae adstabat multitudine;* 2, 11 *erecta in Othonem studia;* 3, 59 *erectus Samnis Pelignusque et Marsi aemulatione;* Ann. 14, 57 *erectas Gallias ad nomen dictatorium, nec minus* suspensos *Asiae populos claritudine Drusi;* Hist. 2, 8 *multis ad celebritatem nominis erectis rerum novarum cupidine;* 5, 15 *ejus proelii eventus utrumque ducem, diversis animi motibus, ad maturandum summae rei discrimen erexit;* Agric. 18 *eoque initio* (secundo proelio) *erecta provincia* (commota); cf. Flor. 2, 12 *dum aliae aliaeque gentes Syriaci belli sequuntur ruinam, Macedonia se rursus erexit.* — Ann. 3, 7 *erectis omnium animis spe petendae — ultionis;* Hist. 4, 71 *ejus adventu erectae spes;* 2, 48 *erecto animo capesserent vitam;* Hist. 3, 65 *haudquaquam erecto animo eas voces accipiebat;* Agric. 4 *sublime et erectum ingenium — gloriam vehementius quam caute adpetebat.* Cf. Cic. pro Sull. 11 *erigite mentes auresque vestras;* Quintil. 1, 3, 10 *erectae mentis esse,* et quod apud ipsum nostrum optime hanc vocis signif. explicat Ann. 3, 69 *excitari quosdam ad meliora magnitudine rerum, hebescere alios.* 2) propria quoque significatione ap. nullum fortasse saepius Germ. 27 *sepulcrum cespes erigit;* Ann. 15, 6 *raptim erectis tuguriis;* Hist. 5, 22 *erigere castra;* Agric. 18 *erigere aciem* (Livio freq.); Hist. 5, 6 *praecipuum montium Libanum erigit* sc. terra; Germ. 46 *quidquid — silvarum ac montium erigitur;* Agric. 12 *extrema et plana terrarum humili umbra non erigunt tenebras;* Hist. 1, 53 *erecto incessu.*

ERIPERE insolentiore junctura Ann. 11, 32 *vehiculo, quo purgamenta hortorum eripiuntur, Ostiensem viam intrat* (cf.

Ter. Adelph. 2, 1, 44 *domo me eripuit, verberavit*) i. e. quo purg. hortis erepta avehuntur; praegnans igitur est constr. illa.

EROGARE *pecuniam in aliquem* Ann. 16, 17 i. e. ei legare, largiri. Cf. Suet. Nero 30 *in Tiridatem — octingena numum millia diurna erogavit;* Liv. 1, 20 *unde in eos sumptus pecunia erogaretur* i. e. penderetur.

ERUDITUS cum infinit. Agric. 8 v. infin. Ann. 16, 18 *non ganeo et profligator — sed erudito luxu.* Ita Colum. *docta et erudita palata;* Quintil. *eruditae aures;* Cicero: *tempora, oculi, oratio erudita.*

ERUERE 1) i. q. evertere poetice Hist. 4, 72 *avido milite eruendae civitatis.* 2) i. q. invenire latentem, ut Vatinius loquitur ap. Cic. Fam. 5, 10 de servo fugitivo *illum aliquando eruam,* Hist. 3, 83 *abditos in tabernis — erui jugularique.* — Utraque signif. conjuncta latet Ann. 14, 16 *ut contraria adseverantium discordiae eruerentur.*

ESCENDERE v. accusat.

ESCENSUS, us, ap. solum Tacitum Ann. 13, 39 *capta escensu munimenta.*

ESSE saepe adverbiis jungitur a Tacito: impune (haud raro etiam ap. Cic. et alios) Ann. 1, 72 *dicta impune erant;* 3, 28 *deterrima quaeque impune ac multa honesta exitio fuere;* cf. 12, 54 *malefacta sibi impune* (futura) *ratus;* 2, 52 *quod Camillo ob modestiam vitae impune fuit;* Hist. 3, 5 *ut transmittere in Italiam impune et usui foret;* Germ. 25 *nisi quod impune* (est); Ann. 13, 32 *idque illi — impune.* Ita cum singulari quoque adverb. est, non adjectivum (v. impune). — Hist. 1, 75 *utrisque* frustra *fuit, Vitellianis impune;* Agric. 13 *ingentes adversus Germaniam conatus frustra fuissent;* (Ann. 13, 37 *quaesito diu proelio frustra habitus*); cf. Sall. Jug. 85 *ut — illi frustra sint;* cp. 112 *pacem frustra fuisse;* cp. 73 *ea res frustra fuit;* Hist. 3 orat. Macri *spem frustra fuisse;* Plaut. Merc. 3, 1, 30 *ne tu frustra sis;* Amph. 3, 3, 20 *frustra sunt — qui me Amphitruonem rentur esse;* Nep. Hannib. 2 *neque ii frustra fuissent* (haec vera et genuina lectio). — Hist. 1, 72 *praemia, — quia* velocius *erat, vitiis adeptus,* sine exemplo, ut videtur. — Hist. 2, 95 *ipse* abunde *ratus, si praesentibus frueretur;* cp. 97 *sed experimentum* contra *fuit;* cp. 16 *insulam esse quam incolerent et* longe *Germaniam viresque legionum.* Cf. Sall. Jug. 87 *Romanos — remoto metu laxius licentiusque futuros;* cp. 14 *ut*

ut ubivis tutius quam in meo regno essem (utroque loco *esse* idem est quod *degere*); Catil. 58 *commeatus abunde* (erit); Ter. Phorm. 3, 2, 44 *ego hunc esse aliter credidi*; Plaut. Mil. 1, 1, 28 *indiligenter hic eram*; Cic. S. Rosc. 5 *omnes hanc quaestionem — haud remissius sperant futuram*; Liv. 23, 44 *sero jam esse mutare eam* (fidem). In vulg. sermonem abiere *bene, male, belle, recte, rectius, rectissime, aegre, satis, perinde est* et similia. — De ellipsi verbi subst. v. Proleg. de brevitate stili Taciteì.

ET (QUE) tam crebro variat vim suam ap. Tacitum, ut cum Vav Hebraeorum comparari queat, nam praeter simplicem copulam est 1) i. q. etiam Ann. 6, 34 *illis sola in equite vis: Pharasmanes et pedite valebat*; Agric. 17 *cum cetero orbe Vespasianus et Britanniam recuperavit*, et sic passim; minus frequens est hic usus ap. priores; cf. Cic. Verr. 1, 1; Att. 3, 7; 13, 49; Liv. 1, 13. 28. 59; 2, 26; 3, 18. 24; 8, 6. 12; 21, 33. 60; 22, 48. Vide Drakenb. ad 5, 26, 10; 23, 42, 13; 43, 14, 2. Eodem modo *que* ponitur Ann. 14, 28 *auxitque patrum honorem statuendo cet.*; Germ. 3 *quod in ripa Rheni situm hodieque incolitur*; Dial. 34 *quas hodieque cum admiratione legimus*. Ita priores quoque locuti sunt, plerumque tamen, (non semper, ut quidam putarunt) apud eos *hodieque* orditur sententiam. Cf. Vellej. 1, 4. 11; 2, 27; Cic. pro Coel. 2; Planc. 11. 36; Flacc. 30; Rub. 16; Phil. 11, 14; Liv. 5, 4, 14; cp. 27, 1; 31, 7, 9; 1, 26; 1, 17, 9; 40, 12, 10; 42, 34, 2 (sed cave credas in omnibus his locis certam esse scripturam et consule Drakenb. ad 5, 27, 1). V. etiam Dronk. ad Dial. p. 212. 2) i. q. et quidem, isque, explicationi inserviens Ann. 1, 1 *pauca de Augusto et extrema tradere*; sic centies. V. Walch. Emendatt. Livv. p. 65. 3) saepius quam ap. priores transitionibus servit, sed cum vi quadam, ut nonnunquam *re vera, profecto, statim* et similia involvat (v. Ruhnk. ad Vell. 2, 4) Ann. 1, 11 *Versae inde ad Tiberium preces, et ille varie disserebat*; 2, 28 *statim corripit reum, adit consules, senatus cognitionem poscit: et vocantur patres*; cp. 57 *convenere firmato vultu, Piso adversus metum, Germanicus ne minari crederetur: et erat, ut rettuli, clementior*; cp. 69 *saevam vim morbi augebat persuasio veneni a Pisone accepti; et reperiebantur cet.*; cp. 36 *Et* (und nun) *certamen Gallo adversus Caesarem exortum est*; 4, 43 *Et* (und eben so auch) *Segestani postulavere*; 13, 56 *Et commotus his Avitus* (Avitus nun); 14, 32 *delapsum Camuloduni simu-*

lacrum Victoriae. — *et* (worauf auch) *feminae in furorem turbatae adesse exitium canebant;* Hist. 2, 16 *et* (und so) *aversi repente animi;* cp. 70 *et erant cet.;* 3, 6 *et fuere qui cet.* (und es fehlte in der That nicht an Solchen); Agric. 17 *Et terrorem statim intulit Cerialis;* Ann. 1, 11 *Plus in oratione tali dignitatis quam fidei erat: Tiberioque — supensa semper et obscura verba* (i. e. nec mirum, Tiberio enim cet.); 2, 37 *censusque — juvit* (i. e. ceterum, praeterea, deinde — juvit); cp. 52 *compulerantque Cinithios* (und auch wirklich); 13, 2 *ibaturque in caedes, nisi — obviam issent.* 4) i. q. cum, praecedentibus particulis, quae ad tempus designandum pertinent Hist. 2, 68 *Interim — insimulatur; et ruebat ad convivium miles* (da stürzte *cet.*); cp. 95 *nondum quartus a victoria mensis, et libertus Vitellii Asiaticus Polycletos, Patrobios et vetera odiorum nomina aequabat;* Ann. 4, 23 *jam tres laureatae in urbe statuae, et adhuc raptabat Africam Tacfarinas.* Eodem modo Graeci usurpant *καὶ*, Angli *and*, nos und. Optime inde perspicitur indicativi ratio *cum* particulae juncti in hoc dicendi genere. 5) i. q. sed, vero Ann. 1, 13 *Gallum Asinium avidum et minorem;* 5, 3 *litterae, quas pridem adlatas et cohibitas ab Augusta credidit vulgus;* Hist. 2, 20 *speciosis et inritis nominibus;* Agric. 9 *gravis, intentus, severus, et saepius misericors;* Hist. 2, 74 *Muciani animus nec Vespasiano alienus, et in Titum pronior* (in T. vero etiam pronior). Cf. Liv. 1, 37 *montes effuso cursu Sabini petebant, et pauci tenuere.* Exempla e Cicerone collecta v. in Matthiae oratt. Cic. p. 229 in addendis. 6) i. q. et tamen Agric. 15 *sic Germanias excussisse jugum, et flu**inc*, non Oceano defendi.* Cf. Liv. 25, 25 *inter Neapolim et Tycham* (*nomina partium urbis, et instar urbium sunt*) *posuit castra.* 7) Interdum abundare videtur, sed re vera non est ita, retinet potius peculiarem aliquam vim, Ann. 2, 72 *haec palam et alia secreto* (alia vero); 4, 12 *Sejanus — ferox scelerum et* (i. e. praesertim) *quia prima provenerant, volutare secum cet.;* cp. 28 *qui taedio curarum et* (maxime vero ideo) *quia periculum pro exitio habebatur, mortem in se festinavit;* Hist. 3, 44 *quod illic secundae legioni a Claudio praepositus et* (et quidem) *bello clarus egerat.* 8) que pro ve positum Agric. 12 *rarus duabus tribusque civitatibus ad propulsandum commune periculum conventus.* V. Walch. Emendatt. Livv. p. 53. De simul — et pro et — et v. simul. Cf. etiam nec.

ETIAM TUM (DUM) v. adhuc.

EVADERE v. accusat.

EVALESCERE i. q. crescere, augeri Ann. 14, 58 *dum manus alia permeat, multa secutura quae ad usque bellum evalescerent;* Hist. 1, 80 *tempus in suspicionem, causa in crimen, adfectatio quietis in tumultum evaluit.* Ita Quintil. et Plin. maj.; poetae h. voce utuntur pro *valere, posse.*

EVEHERE Dial. 13 *licet illos certamina et pericula sua ad consulatus evexerint.* Ita poetae maxime. Cf. Curt. 4, 14, 20 *imperium ad summum fastigium evehere;* Vellej. 2, 90 *quem usque in tertium consulatum — amicitia principis evexerat.* — i. q. prorumpere, procedere est *evehi* Ann. 1, 62 *evehi equites campumque, quem hostis insederat, eripi jubet;* 12, 14 *donec Carrhenen — longius evectum integer a tergo globus circumveniret;* cf. Liv. 4, 33 *princeps calcaribus subditis evectus — in medios ignes infertur;* 29, 34 *primo incaute se evehentes Masinissa excipiebat.* Plura vide in ind. Drakenb. — i. q. exire Ann. 12, 36 *fama ejus evecta insulas et proximas provincias pervagata per Italiam quoque celebrabatur.* Cf. Cic. Brut. 13 *ut semel e Piraeeo eloquentia evecta est, omnes peragravit insulas, atque ita peregrinata tota Asia est, ut se externis oblineret moribus.*

EVENIRE de prospero successu Ann. 4, 33 *cunctas nationes et urbes populus aut primores aut singuli regunt: delecta ex his et consociata reip. forma laudari facilius quam evenire, vel si evenit, haud diuturna esse potest.* Cf. Sall. Cat. 9 *ubi pax evenerat.* Ita ap. Colum. idem est quod *provenire* de plantis. Vid. seq.

EVENTUS de prospero successu (vid. evenire) Ann. 2, 26 *satis jam eventuum, satis casuum;* cp. 77 *utendum eventu;* Agric. 22 *damna aestatis hibernis eventibus pensare;* cp. 27 *prompti post eventum ac magniloqui.* Ita Plin. epist. 5, 20 *Egi ego pro Vareno, non sine eventu,* sed addit: *nam bene an male liber indicabit.* Cf. Cic. Att. 9, 7 in epist. Balbi et Oppii *etiam amplissimorum virorum consilia ex eventu, non ex voluntate, a plerisque probari solent.* V. opinio. Sed cum media sit vox, etiam de adversa fort. accip. e. g. Agric. 29. — Eventum, ap. Cic. haud rara vox, legitur Ann. 4, 33 *plures aliorum eventis docentur.*

EVILESCERE Hist. 3, 53 *cujus criminationibus eviluissent pericula sua.* Ita Suet. et Valer. Max.

EVINCERE i. q. vincere, more poetico Ann. 3, 46 *evincere Aeduos.* Item *evictus* saepius promiscue usurpatur cum *victus* i. e. affectu quodam cogente vel alia quacumque re

M 2

permotus Ann. 11, 37 *ad miserationem evicta erat; 12, 25 his evictus;* cp. 49 *donis ejus evictus; 15, 64 blandimentis vitae evictam;* Hist. 2, 64 *nec ullis postea fortunae inlecebris — in gaudium evicta.* Cf. Ann. 1, 57 *victa in lacrimas; — 4, 8 victo gemitu; 11, 2 victo silentio prorupit reus;* Hist. 2, 2 *his ac talibus inter spem metumque jactatum spes vicit.*

EVINCIRE (Virg., Ovid., Stat. *evinctus*) Ann. 6, 42 *patrio more Tiridaten insigni regio evinxit*; 15, 2 *Simul diademate caput Tiridatis evinxit.*

EVOLUTUS = deturbatus Ann. 13, 15 *evolutus sede patria rebusque summis.* Seneca *evolutus bonis,* Cicero *evolutus tegumentis dissimulationis et nudatus* exhib.; Germ. 39 *per humum evolvuntur* potestate media (*se evolvunt*) est capiendum, ut recte cum Orellio Hess. coll. *advolvi genua* Ann. 1, 13; 6, 49.

EVULGARE Ann. 13, 19 *quod — Octaviae injurias evulgaret; 14, 14 evulgatus pudor.* Ita Liv. 9, 46 *civile jus repositum in penetralibus pontificum evulgavit.*

EX v. e.

EXANIMUS Ann. 6, 40; 16, 13; exanimis 12, 68; 14, 7; ita *inermus* Ann. 1, 6 (scriptura apud alios quoque rara); *inermis* 16, 9; *semermus* Ann. 1, 68; 3, 45; *semermis* 3, 39 (Livius saepius); *semisomnus* Ann. 1, 51; 4, 25; Hist. 5, 22; sed *semisomnis*, apud alios obvia vox, apud Tacitum non invenitur.

EXARMARE Hist. 1, 31 *Longinum manibus coercent exarmantque; 2, 76 exarmat cohortes.* Ita hujus seriorisque aevi scriptores, maxime poetae; sed jam Vellej. 2, 17 *Italico bello — Romani — exarmati* i. e. debilitati. Cf. Liv. 4, 10 *dearmatus exercitus.*

EXCEDERE 1) i. q. superare Ann. 1, 14 *jurejurando obstrinxit se non excessurum (numerum); 4, 40 excessisse jam pridem equestre fastigium.* Cf. Vellej. 2, 51 *excedente humanam fidem temeritate;* cp. 122 *laborum periculorumque semper excessit modum;* Liv. 26, 19 *multa alia — admirationis humanae in eo juvene excesserant modum; 28, 25 ne — puniendo modum excederet.* absolute i. q. praestare, eminere Ann. 2, 24 *Quanto violentior cetero mari Oceanus et truculentiâ coeli praestat Germania, tantum illa clades novitate et magnitudine excessit;* Agric. 42 *modestiam — eo laudis excedere.* Cf. Vell. 2, 68 *in hoc* (huc, eo) *tamen saepe lacessiti principis ira excessit;* Liv. 8, 33 *quo ultra iram violen-*

tiamque ejus excessuram fuisse; (9, 26 *eoque ira processit, ut*...); 3, 41 *cum libertus non ultra vocem excessisset*; 33, 35 *ne in altercationem excederet res*. Sed hi omnes loci magis pertinent ad priorem significationem verbi *excedere*, quae tamen arctissime cohaeret cum hac altera et in loco illo Agric. 42 et ipsa latet. Vid. quae Walchius doctissimus congessit ad hunc locum explicandum. 2) i. q. e g r e d i r e l a t i o n e m, ut latiore signific. Liv. 29, 29 *operae pretium videtur excedere paullulum ad enarrandum, quam varia fortuna usus sit in amittendo — regno*, de iis quae minus ad ipsas senatus actiones pertinentia loco sententiae dicebantur, ut illud Catonis *ceterum censeo Carthaginem esse delendam*: Ann. 2, 33 *excessit Fronto ac postulavit cet.* (ita Plin. epist. 5, 6 et ipse absolute usurp. vocem) et post statim: *erat quippe adhuc frequens senatoribus, si quid e republica crederent, loco sententiae promere*; cf. 15, 74 *pro sententia dicere*. Hinc Quintil. 3, 9, 4 egressio, *vel, quod usitatius esse coepit*, excessus (Cic. in hunc modum haud raro exhibet *digressio*, c. c. de or. 3, 53); 4, 3, 12 *hanc partem παρέκβασιν vocant Graeci, Latini* egressum *vel* egressionem. Ita noster Dial. 22 *otiosus* (*orator*) *circa excessus*; Ann. 4, 32 *plebis et optimatium certamina libero egressu memorabant* (*veteres*); Plin. epist. 9, 26 *Jam quid audentius illo pulcherrimo ac longissimo excessu*; cf. etiam Plin. H. N. in praef. 3) a b s o l u t e pro e x c e d e r e v i t a more argenteae aetatis Ann. 1, 5. 33; 2, 75; 3, 19. Inde *excessus* i. q. *mors* sed *σεμνῶς* dictum Ann. 1, 7. 14 et saepius. Cf. Cic. legg. 1, 1 *post excessum suum Romulus Proculo Julio dixerit se deum esse*; rep. 2, 30 *post obitum vel potius excessum Romuli*. V. in Proleg. de varietate stili Tacitei.

EXCERPERE i. q. secernere, seligere e majore numero, maxime honoris causa Dial. 26 *neminem sequentium laudare ausus est nisi in publicum et in commune — ne multos offenderet, si paucos excerpsisset*. Ita haud raro Seneca, sed Horat. etiam Serm. 1, 4, 40; Quintil. 10, 1, 45.

EXCESSUS v. e x c e d e r e.

EXCOQUERE Hist. 5, 7 *arenae admixto nitro in vitrum excoquuntur*. Ita aequales Taciti et poetae, translate etiam, ut Sen. epist. 2 *unum excerpe quod illo die excoquas*.

EXCRESCERE Germ. 20 *in hos artus, in haec corpora, quae miramur, excrescunt*. Usurpant hanc vocem praeter Tacitum Quintil., Colum., Plin. maj. et alii huj. aetatis.

EXCUBIAE de principum, etiam conjugum matrumque eorum satellitibus Ann. 12, 69 *Nero egreditur ad cohortem, quae more militiae excubiis adest;* 13, 18 *excubias militares, quae ut conjugi imperatoris olim, tum et ut matri servabantur — degredi jubet;* 14, 44 *num excubias transiret, cubiculi fores recluderet?* Hist. 4, 11 *adparatu, incessu, excubiis vim principis amplecti, nomen remittere;* cp. 58 *Tutorin' Trevero agentur excubiae? signum belli Batavus dabit?*

EXCUSATIUS Ann. 3, 68 *quo excusatius sub exemplo acciperentur,* vox argenteae aetatis, item *excusatior, excusatissimus.*

EXEDERE Ann. 2, 27 *quae per tot annos rempublicam exedere.* Cf. Virg. Aen. 5, 785 *exedisse nefandis urbem odiis;* Cic. Tusc. 5, 6 *quos nulli metus terrent, nullae aegritudines exedunt.* — Hist. 4, 81 *huic non exesam vim luminis.* Similiter *dens exesus, aedes exesae* et alia hujus generis leguntur ap. poetas maxime et arg. aet. scriptores.

EXEMPLUM (EXEMPLAR) „est tum facinus, quod alii imitari possunt, sive bonum sive malum, et quod imitari seu fas seu nefas sit, (Beispiel, ut *documentum* Ann. 12, 6, 3), tum quod exemplum fit et *documentum*, vel ex quo documentum capere possint alii, qui illud intuentes docentur, quid fugiendum sit timendumve, et terrentur (Warnung, ut *documentum* Ann. 15, 27, 1) unde etiam pro *supplicio* ponitur, v. c. Ann. 12, 20 *meritum quidem novissima exempla Mithridatem,* h. e. ultimum s. extremum supplicium; 14, 44 *habet aliquid ex iniquo omne magnum exemplum,* supplicium." Ruperti ad Ann. 1, 38 *bono magis exemplo quam concesso jure;* cf. locum simillimum Velleji 2, 47 *P. Clodius a Milone — exemplo inutili, facto salutari reip. — jugulatus est.* V. Spald. ad Quintil. 4, 1, 7.; Ruhnk. ad Vell. 1, 5 et ejusdem scriptoris lib. 2, 25. 119. Nulli magis frequens est h. vox quam Tacito: Ann. 3, 50 *neque servatus in periculum reip., neque interfectus in exemplum ibit;* 6, 32 *exemplar apud posteros adulatorii dedecoris habetur;* 13, 44 *commoverat quosdam magnitudine exempli* (egregii facinoris); 14, 48 *publicae clementiae maximum exemplum futurum* (Antistium); 16, 35 *in ea tempora natus es, quibus firmare animum expediat constantibus exemplis* (i. e. constantiae, ut Hist. 2, 64 *Triariae licentiam modestum e proximo exemplum onerabat Galeria imperatoris uxor*); Hist. 4, 67 *amicorum ejus constantiam et insigne Epponinae exemplum suo loco reddemus;* Ann. 11, 24 *inve-*

terascet hoc quoque, et quod hodie exemplis tuemur, inter exempla erit.

EXERCERE nulli magis frequens quam Tacito 1) i. q. colere, poetice Agric. 31 *neque enim arva nobis aut metalla aut portus sunt, quibus exercendis reservemur;* Ann. 12, 43 *Africam potius et Aegyptum exercemus* (pertinet ad annonam); 13, 54 *solum exercere;* Germ. 30 *qui decumates agros exercent.* — 2) de quovis negotio, ut *medicinam, vectigalia, judicium, quaestionem exercere* et his similia vulgaris quoque sermo exhibet, Ann. 6, 29. 31; 12, 32 *bellum exercere;* 11, 16 *arma contra patriam exercere;* 1, 44 *judicium et poenas de singulis exercere;* cp. 72 *exercendas leges esse;* Hist. 2, 10 *accusationes cum praemio exercere;* Ann. 6, 7 *infimas etiam delationes exercere;* cp. 16 *fenus exercere;* cp. 11 *nescius exercendi* (potestatem); 4, 6 *minorum quoque magistratuum exercita potestas;* 6, 17 *emptio exercita ad formam S. C.;* 13, 3 *cantus aut regimen equorum exercere;* cp. 14 *imperium exercere;* cp. 23 *exercendis apud aerarium sectionibus famosus;* cp. 28 *contentiones proprias exercuit;* cp. 42 *qui — eloquentiam tuendis civibus exercerent;* 15, 48 *facundiam tuendis civibus exercebat;* Hist. 2, 82 *destinantur validae civitates exercendis armorum officinis;* Ann. 3, 55 *luxus mensae — per annos centum profusis sumtibus exerciti;* 4, 19 *cuncta quaestione majestatis exercita;* 13, 51 *in iis quae veno exercerent;* 14, 20 *gymnasia et otia et turpes amores exercendo;* 6, 1 *dona in promptos, minas adversum abnuentes, — vim, raptus suaque ipsi libita — exercebant.* Cf. Liv. 6, 22 et Sall. Cat. 38 *foede et crudeliter exercere victoriam.* — Hinc exercitus est is, qui longo usu alicujus rei facultatem ac peritiam nactus est, Ann. 3, 67 *exercitam quoque eloquentiam debilitat metus;* cp. 20 *exercitus militiâ;* 14, 2 *exercita ad omne flagitium;* 16, 32 *habitu et ore ad exprimendam imaginem honesti exercitus;* Hist. 4, 4 *ingenium adulatione exercitum;* Ann. 15, 45 *Graeca doctrina ore tenus exercitus.* Sed refertur etiam ad molestiam negotiorum Agric. 39 *talibus curis exercitus;* Ann. 1, 17 *duram hiemem, exercitas aestates;* cp. 35 *finem tam exercitae militiae — orabant;* 4, 11 *Tiberius tantis rebus exercitus.* Ita Cicero quoque, Virgil., alii loquuntur. 3) saepe ad animum et mores pertinet, et maxime exprimit malas artes (ita Cic. *inimicitias, crudelitatem exercere* et similia usurpat, sed etiam *facilitatem et lenitudinem animi*) Ann. 3, 37 *moestam vigilantiam et malas*

curas exerceret; Hist. 1, 72 *crudelitatem mox, deinde avaritiam et virilia scelera exercuit*; Agric. 9 *calliditatem fori non exercere*; Ann. 5, 4 *exercentibus plerisque per occultum, atque eo procacius libidinem ingeniorum*; 13, 19 *inter Agrippinam et Domitiam infensa aemulatio exercebatur*; cp. 47 *per juvenilem licentiam, quae tunc passim exercebatur*; cp. 37 *odium promptius exercebat*; 15, 60 *si amicitiam familiari congressu exercuissent*; Hist. 1, 14 *exercita cum Pisone amicitia*.

EXHAURIRE v. haurire.

EXIGERE 1) insolentius pro quaerere Ann. 2, 85 *exactum et a Titidio Labeone — cur — omisisset*. Sed non ita valde abhorret a priorum usu, quo idem est quod examinare, ponderare, ut Germ. 7 *numerare aut exigere plagas* i. e. diligenter examinare, cujus vulnera sint leviora, cujus graviora et honestiora; ita recte Hess. quem vide. Cf. Quintil. 6, 5, 5 *quid dicendum, quid tacendum, quid differendum sit exigere consilii est*; Plin. epist. 9, 26, 13 *jam nunc destines diem, quo et de illis et de his coram exigere possimus* v. existimare. 2) i. q. degere est Ann. 3, 16 *exquirit qualem Piso diem supremum noctemque exegisset*; Hist. 1, 47 *exacto per scelera die*. Ita Plaut., Terent., Virgil., Plin. minor, Petron. loquuntur.

EXIMERE 1) i. q. tollere, adimere, ap. priores plerumque pertinet ad ea quae oneri sunt, ut *onus, religionem, curas, lassitudinem eximere*, (ita noster Ann. 13, 15 *quia dissimulationem nox et lascivia exemerat*), raro de rebus gratis et utilibus, ut Cic. Amic. 7 *si exemeris ex natura rerum benevolentiae conjunctionem*, Tacitus Ann. 1, 32 *plurium vecordia constantiam (ei) exemerat*; 11, 32 *quamquam res adversae consilium eximerent*. 2) i. q. liberare ap. priores quidem *ex* et *de* praepositionibus verbo junctis, ap. Liv. cum ablat. et dativo, ap. Tacitum ejusque aequales cum hoc solo, ut videtur, tertio casu (cf. inesse) Ann. 1, 48 *cunctos infamiae, se ipsos morti eximant*; cp. 64 *nox demum inclinantis jam legiones adversae pugnae exemit*; 3, 22 *exemit etiam Drusum — dicendae primo loco sententiae*; cp. 18 *Pisonem ignominiae exemit*; 12, 51 *ut morte honesta contumeliis captivitatis eximeretur*; cp. 56 *post multum vulnerum occidioni exempti sunt*; 14, 40 *Marcellum — preces Caesaris poenae magis quam infamiae exemere*; cp. 48 *ut — intercessione tribunicia morti eximeretur*. — Insolentius imperson. positum est *eximi* Ann. 6, 22 *plurimis mortalium non eximitur* (sc. opinio, ſie laſſen es

sich nicht nehmen) *quin primo cujusque ortu ventura destinentur.* Bene Gron. in observatt. 2, 14 „*non eximi* est non potest eximi, non potest opinio ista eripi." 3) i. q. excipere, ut Horat. Od. 2, 2, 18 *numero beatorum eximere;* Ann. 4, 6 *leges, si majestatis quaestio eximeretur, bono in usu;* 14, 49 *paucis exemptis.*

EXIN v. deinde.

EXIRE v. accusat.

EXISTIMARE insolentius usurpatum Hist. 4, 81 *existimari* (i. e. quaeri, inquiri dein judicari et judicium ferri; vid. exigere.) *a medicis jubet, an talis caecitas ac debilitas ope humana superabiles forent.* Sed non multum recedit a Ciceronis usu, qui dicit *de ingeniis, de consilio existimare* pro *judicare.*

EXITIABILIS Hist. 2, 69 *exitiabile id reipublicae;* Ann. 6, 7 *quod maxime exitiabile tulere illa tempora;* cp. 24; 15, 44; 16, 5 *animus, superstitio, morbus exitiabilis.* Ita singulis modo locis Cic., Liv., Vellej., Suet., Ovid. pro usitatiore voce *exitialis.*

EXITIOSUS, cujus nonnulla exstant exempla ap. Cic. et Tertullianum, Tacito frequens est, qui idem saepius quam ceteri usurpat exitium, Ann. 6, 36 *desererent regem saevum in pace et adversis proeliorum exitiosum;* 11, 17 *privatim degeneres, in publicum exitiosi;* Hist. 1, 68 *exitiosum adversus veteranos proelium;* 2, 31 *Otho luxu, saevitia, audacia reipublicae exitiosior ducebatur.* Ad personas Tertull. quoque refert, non ita Cicero.

EXITUS i. q. mors v. in Proleg. de varietate stili Tacitei.

EXOLESCERE, EXOLETUS Tacito ejusque aequalibus magis in usu quam prioribus; illud Liv. nonnunquam usurpat, hoc legitur ap. Cic. Mil. 21 de adolescentibus muliebris patientiae, ut est Ann. 15, 37 *remiges exoleti,* ap. Liv. idem est quod *oblitteratus, obsoletus.* Ann. 3, 55 *luxus — paullatim exolevere;* 4, 10 *non omiserim — rumorem, validum adeo ut nondum exolescat;* cp. 34 *spreta exolescunt;* cp. 64 *nondum ea clades exoleverat;* 11, 15 *ne disciplina per desidiam exolesceret;* 14, 21 *Graeci amictus — tum exoleverant;* Hist. 4, 8 *cur antiquitus instituta exolescerent.*

EXONERARE (poetis, Livio et arg. aetati frequens) Hist. 5, 2 *multitudinem (Judaeorum) — proximas in terras exoneratam* (cf. Liv. 10, 6 *exonerata plebs* coloniis deductis;

5, 34 exonerare praegravante turba regnum cupiens); Hist. 4, 40 *fastos adulatione temporum foedatos exonerarent* (cf. Liv. 2, 2 *exonera civitatem vano forsitan metu*); Ann. 3, 54 *exonerari laborum meorum partem fateor* i. e. me parte laborum, ut est ap. Liv. 10, 21 *parte curae exonerarunt senatum — consulis litterae.* Eadem brevitas inest in locutione nostri *liberare obsidium urbis.* Vid. in Prol. de brevitate stili Tacitei.

EXOSCULARI Ann. 1, 34 *prensa manu ejus, per speciem exosculandi, inseruerunt digitos*; Hist. 1, 45 *exosculari Othonis manum*; 2, 49 *tulere corpus praetoriae cohortes, cum laudibus et lacrimis, vulnus manusque ejus exosculantes.* Ita aequales dumtaxat seriorisque aevi scriptores locuti sunt. Cf. locum a Forcell. omissum Plin. epist. 5, 17, 4 *multum ac diu exosculatus adolescentem.* Oppositum est *breve osculum* Agric. 40.

EXPASSUS Hist. 5, 13 *sxpassae repente delubri fores.* Ita Gellius; Plin. maj. aliique quidam *expansus.*

EXPEDIRE 1) e vulgari usu i. q. praeparare, parare, conficere: Ann. 2, 79 *arma primo expediere*; 6, 43 *alimenta arcu expediens*; 14, 7 *quod contra subsidium sibi? nisi quod Burrus et Seneca expedirent*; Hist. 2, 21 *sudes — expediunt*; cp. 52 *privatim expedito consilio*; 3, 73 *neque alienis consiliis regi, neque sua expedire*; Ann. 14, 55 *qui me non tantum praevisa sed subita expedire docuisti* de orationis facilitate. Inde 2) i. q. exponere, Terentio, Virgilio aliisque poetis exempla praebentibus, Ann. 4, 1 *nunc originem, mores — expediam*; Hist. 1, 51 *nunc initia causasque motus Vitelliani expediam*; 4, 12 *id bellum quibus causis ortum — altius expediam*; cp. 48 *ea de caede quam verissime expediam* (ita quidem cum *de* praepositione insolentius; vid. accusat. n. 3); Germ. 27 *nunc singularum gentium instituta — sxpediam* ubi Hess. laudat Cort. ad Sall. Jug. 5., Parei Lex. crit. p. 448. 3) absolute pro *expeditionem suscipere* solus Tacitus usurpasse videtur Hist. 1, 10 *nimiae voluptates cum vacaret; quotiens expedierat magnae virtutes*; cp. 88 *multos — secum expedire jubet*; 2, 99 *Valentem expedire ad bellum jubet.* Livius: *expedire se ad pugnam.* cf. Ann. 15, 15 *specie sibi illud iter expedientis.* Vid. ducere.

EXPENDERE 1) i. q. examinare, ut haud raro ap. Ciceronem et poetas Ann. 13, 3 *Tiberius artem quoque callebat, qua verba expenderet*; Hist. 1, 87 *expensis belli consiliis.* 2) ex-

pendere poenas Ann. 12, 19, ut saepius Virg. et poetico loco Cicero.

EXPERIMENTUM singulis locis ap. Cic., Sall., Vellejum, saepius ap. Quintilianum, Plin. min., maxime ap. alterum Plin. et Tacitum, qui non solum pro *documento, periculo, experientia*, sed etiam *eventu* hac voce utitur Ann. 13, 24 *plebes daret experimentum an amotis custodibus modestiam retineret;* 15, 24 *datum et lenitatis experimentum;* Agric. 16 *segnior et nullis castrorum experimentis;* Hist. 1, 11 *post experimentum domini minoris;* 2, 97 *sed experimentum contra fuit.*

EXPETIBILIS ap. solum Tacitum Ann. 16, 21 *juvenalium ludicro parum expetibilem operam praebuerat.*

EXSATIARE Ann. 3, 17 *patruum sanguine exsatiaret.* Ita poetae maxime, sed etiam Liv. Curtiusque locuti sunt.

EXSECUTIO Ann. 3, 31 *exsecutionem ejus nogotii libens suscepit;* 15, 25 *Syriae exsecutio* (i. e. administratio) *Cincio — permissa.* Ita aequales Taciti.

EXSEQUI praeter vulg. sign. 1) i. q. ulcisci, punire Agric. 19 *omnia scire, non omnia exsequi;* cf. Liv. 3, 25 *cum deorum hominumque simul violata jura exsequemur;* 5, 11 *iis publici privatique doloris exsequendi jus potestatemque ex duobus noxiis capitibus datam ab se memorant;* saepius ita argenteae aetatis scriptores. 2) i. q. exponere Ann. 4, 4 *quod mihi quoque exsequendum reor;* 3, 65 *exsequi sententias haud institui;* 12, 58 *vetera facunde exsecutus;* 11, 21 *vera exsequi pudet.* Ita Liv. quoque; Cic. *exsequi verbis aliquid.*

EXSILIUM v. abstracta.

EXSOLVERE nulli saepius frequentatum 1) i. q. solvere, exonerare, poetice Ann. 4, 22; 11, 3; 16, 17 *venas exsolvere;* 15, 63 *brachia ferro exsolvere;* Hist. 3, 68 *exsolutum a latere pugionem;* cp. 31 *catenas Caecinae exsolvunt;* Ann. 13, 15 *transmisit exsoluta alvo parum validum* (*venenum*); Hist. 5, 6 *sanguine, quo feminae per menses exsolvuntur;* Ann. 3, 39 *ad exsolvendum obsidium;* cp. 28 *exsoluti plerique legis nexus;* cp. 33 *quae Oppiis quondam aliisque legibus constrictae, nunc vinclis exsolutis — jam et exercitus regerent;* Hist. 3, 12 *exsoluta statim vincula.* Ita soli praeterea poetae locuti esse videntur, maxime Plautus. 2) i. q. liberare, qua sign. praeter aequales et poetas Livius quoque utitur h. v., Ann. 1, 15 *senatus largitionibus ac precibus sordidis exsolutus;* 6, 44 et Hist. 3, 61 *pudore proditio-*

nis aliquem exsolvere; Germ. 24 *ut se quoque pudore victoriae exsolvant;* Ann. 12, 46 *velut custode exsolutus;* cp. 42 *ni praetoriarum cohortium cura exsolverentur;* 13, 36 *precibus universi exercitus exsoluti sunt;* 14, 12 *Iturium et Calvisium poenâ exsolvit.* Ita *solvere* Ann. 12, 58 *ut Ilienses omni publico munere solverentur.* 3) i. q. expendere, remunerare et ipsum saepius quam ap. Cic. et alios Ann. 6, 45 *exsolutis domuum et insularum pretiis;* 1, 36 *legata, quae petiverant, exsolvi duplicarique;* Germ. 12 *pars multae — propinquis — exsolvitur;* Hist. 1, 41 *exsolvendo donativo;* cp. 46 *dum mercedem centurioni exsolveret;* Ann. 2, 26 *addidit munificentiam Caesar, quantum quis damni professus erat exsolvendo;* 1, 10 *poenas morte exsolvisse;* 14, 13 *grates exsolvit;* 4, 18 *beneficia — dum videntur exsolvi posse;* Hist. 4, 3 *tanto proclivius est injuriae quam beneficio vicem exsolvere;* cp. 62 *initium exsolvendae* (i. e. expiandae) *in posterum culpae fecere.*

EXSPES Ann. 6, 24 *ubi exspes vitae fuit.* Utuntur h. voce Horat. et Ovid., cum genitivo Accius ap. Nonium *orbus, exspes liberûm.*

EXSTIMULARE (Ovid. et al. poetae, Colum., Plin. maj.) Ann. 4, 59 *exstimulatur, ut — ostenderet;* 16, 1 *illum ambiguum novus insuper nuntius contumeliae exstimulat;* 15, 50 *hic occasio solitudinis, ibi ipsa frequentia tanti decoris testis pulcherrimum animum exstimulaverant, nisi cet.;* Hist. 1, 65 *Lugdunenses exstimulare singulos militum.*

EXSTIMULATOR ap. unum Tacitum Ann. 3, 40 *exstimulator acerrimus.* Cf. Cic. pro dom. 5 *seditionis instimulator.*

EXSULTARE e vulgari usu Ann. 14, 34 *copiae passim per catervas et turmas exsultabant;* Hist. 1, 17 *Pisonem — nullum turbati aut exsultantis animi motum prodidisse;* Agric. 8 *nec Agricola unquam in suam famam gestis exsultavit;* Dial. 18 *Cicero — supra modum exsultans et superfluens.* — Insolentius usurpata est haec vox Ann. 11, 28 *dum histrio cubiculum principis exsultaverit,* i. e., Gronovio recte interpretante, profanaverit. Ita *ἐξορχεῖσθαί τινα, τι* est proprie Eleusinia mysteria extra ipsam caerimoniam imitari. Eodem modo *ἐξορχεῖσθαί τινι* exprimit *insultare.* Cf. idem Gron. ad Liv. 29, 6, 4.

EXTEMPORALIS de subita oratione Dial. 6 *extemporalis audaciae atque ipsius temeritatis vel praecipua jucunditas est.*

Ita saepissime Quintilianus. Cf. 10, 6, 6 *extemporalis temeritas*; §. 5 *color*; 7, 16 *actio*; §. 13 *successus*; §. 18 *facilitas*; 11, 2, 3 *oratio*; 2, 4, 15 *garrulitas*; §. 27 *dictio*; 10, 6, 1 *fortuna*.

EXTERNUS. praeter vulg. usum, quo ad gentes peregrinas pertinet, ut Ann. 11, 16 *ire externum ad imperium*; 12, 15 *externas et ipsi gratias quaesivere missis legatis ad Eunonen*, externa sunt ap. Tacitum *hostilia* Hist. 4, 32 *ut absisteret bello, neve externa armis falsis velaret*; 3, 5 *ne inter discordias externa molirentur*. Non vero huc trahendi sunt cum Oberlinio (ad Hist. 4, 32) loci Hist. 4, 72; 1, 79.

EXTRANEUS qui ad familiam domumque non pertiuet (item qui ex alia gente et patria) Agric. 43 *Finis vitae ejus nobis luctuosus, amicis tristis, extraneis etiam ignotisque non sine cura fuit*; Ann. 4, 11 *insita — etiam in extraneos* (opp. filio) *cunctatione et mora adversum unicum et nullius ante flagitii compertum uteretur*. Ita aequales et Justinus. Cic. exhibet *res extraneae* et similia.

EXTREMUS, ut *ultimus, supremus, novissimus* ad periculi mortisque discrimen pertinet haud raro (etiam ap. Cic.) Ann. 13, 1 *necessitate extrema ad mortem agitur*; 14, 61 *vitam ipsam in extremum adductam*; Hist. 5, 25 *ventum ad extrema, ni resipiscere incipiant*; 2, 47 *plura de extremis loqui pars ignaviae est*; 4, 59 *famem ferrumque et extrema passuros*.

EXTUNDERE magno labore perficere Dial. 9 *unum librum extudit et elucubravit*. Apud Quintil. idem est quod *extundendo fingere* 1, 3, 6 *alios continuatio extundit, in aliis plus impetus facit*. V. Spald. ad h. l.

EXTURBARE Ann. 2, 2; 11, 12; 12, 15 et passim, saepius multo quam e Forcellini lexico credideris Cicero usurp. (cf. etiam Vell. 2, 19; Plin. Pan. 32. 35), qui idem d e t u r b a r e, d i s t u r b a r e maxime frequentat.

EXUBERARE Ann. 14, 53 *tantis agrorum spatiis, tam lato fenore exuberat animus*; Dial. 30 *exundat et exuberat illa admirabilis eloquentia*. Ita Virg., Val. Flacc., Suet., Colum.

EXUERE vox nulli scriptorum frequentior, sed in universum congruenter cum priorum usu: 1) i. q. p r i v a r e, s p o l i a r e Ann. 1, 2 *exuto Lepido*; 4, 21 *bonis exutus*; 12, 45 *exutus campis*; 13, 39 *exuere sedibus hostem*; 14, 31 *avitis bonis exuuntur*; cp. 55 *neutrum datis a se praemiis exuit*;

15, 71 *exuti tribunatu; 16, 33 exutus omnibus fortunis.* 2) i. q. deponere, omittere, negligere, ut ad personas ap. Graecos refertur *ἐκδύσασθαί τινα* opp. *induere* (ita maxime poetae, sed Cic. quoque, Liv., alii quibusdam locis) Ann. 1, 4 *exuta aequalitate;* cp. 35 *fidem exuere;* cp. 59 *exuere tributa;* cp. 75 *virtutem; 2, 85 profanos ritus; 3, 7 justitium;* cp. 12 *obsequium erga imperatorem;* cp. 26 *aequalitatem; 4, 39 imposita munia;* cp. 72 *pacem; 6, 8 amicitiam;* cp. 25 *feminarum vitia;* cp. 41 *paedorem;* cp. 43 *pacta; 11, 19 jussa;* cp. 20 *otium;* cp. 25 *ordinem* (senatorium); 12, 14 *fidem;* 13, 13 *obsequium in matrem;* cp. 44 *promissa;* 14, 52 magistrum; 16, 28 *adspectum;* Hist. 1, 55 *reverentiam; 2, 86 senatorium ordinem; 3, 5 jus fasque;* cp. 42 *sacramentum; 4, 70 societatem; 5, 5 patriam;* Agric. 9 *avaritiam* h. l. „die strenge, von Vespasian gebotene Genauigkeit" Walchio interprete.

EXUNDARE Ann. 3, 72 *exundantis opes;* Germ. 45 *vi tempestatum in adversa littora exundant* (tura et balsama); Dial. 30 *ex multa eruditione — exundat et exuberat illa admirabilis eloquentia.* Ita haud raro ejusd. aetatis poetae et scriptores.

EXURERE Ann. 14, 50 *libros exuri jussit;* 15, 41 *Numaeque regia — exusta.* Ita cujusvis aetatis scriptores, etiam Cicero; adde locis a Forcell. allatis de lege Manil. 2.

FABULA 1) i. q. confabulatio Dial. 2 *ut fabulas quoque eorum et disputationes — penitus exciperem;* cp. 29 *servorum fabulis et erroribus teneri statim et rudes animi imbuuntur* et *ne praeceptores quidem ullas crebiores cum auditoribus suis fabulas habent;* Ann. 6, 5 *ne verba prave detorta neu convivalium fabularum simplicitas in crimen duceretur postulavit.* Apud aequales tantum Taciti, serioresque haec verbi signif. obtinuisse videtur. 2) i. q. rumor Dial. 3 *Nihne te, inquit, Materne fabulae malignorum terrent.* Ita praeter aequales prioris quoque aevi poetae. Vid. Drakenb. ad Liv. 1, 11, 8.

FACERE cum ab aliis, tum a Tacito, et ab hoc quidem haud raro insolentiori modo usurpatur aliorum verborum loco, maxime pro *reddere.* Ann. 1, 74 *formam vitae iniit, quam postea celebrem miseriae temporum — fecerunt;* 3, 54 *securiorem luxum fecerunt;* Hist. 2, 76 *jam desiderabilem — principem fecit.* Ita efficere Ann. 14, 19 *quam clariorem effecit.* — Ann. 6, 33 *mittit qui auxilia mercede facerent* (i. e.

colligerent, ut est apud Vellejum *exercitum facere*, ap. Cic. *manum* et *pecuniam facere*); 12, 31 *multa et clara facinora fecere* (i. e. edidere; sic Cic. fin. 2, 29; Liv. 1, 41; 24, 22 et saepius); 3, 54 *simultates faciunt* (i. e. concitant); Hist. 2, 70 *mox perniciem ipsis fecere* (i. e. paravere); Ann. 13, 33 *tanquam insonti periculum fecissent* (i. e. creassent; ita Sall. Cat. 33; cf. Liv. 2, 30 *plus ibi sanguinis factum*; 28, 4 *populationes facere*; 25, 12 *ludos facere* pro instituere, instaurare, cum alias sit i. q. *ludificari*; 36, 30 *sacrificium facere*); Ann. 6, 36 *ni — metum Romani belli fecisset* (i. e. commovisset; ita haud raro priores); Hist. 3, 10 *equites vanam formidinem ut hostes fecere*; cp. 48 *inopiam ac discordiam hosti facturus* (creaturus); 1, 40 *facere scelus* (committere); Ann. 15, 67 *faciendis sceleribus promptus*; 14, 12 *sibi causam periculi fecit* (paravit); Hist. 1, 56 *faciendum imperatorem*; 4, 78 *speciem novi auxilii fecerant* (dederant); Dial. 19 *terminum antiquitatis constituere solent, quem usque ad Cassium Severum faciunt* (i. e. producunt, insolentius quidem, sed non eum in modum, ut Osannus *terminum facere ad aliquem* non Latinum esse recte contendere posse videatur, maxime Taciteo usu observato); Hist. 5, 1 *castra facit* (ponit); cp. 2 *clara alii Judaeorum initia Solymos — conditam urbem Hierosolyma nomine suo fecisse* (i. e. per Zeugma: urbem — condidisse atque ita Jud. initia clara reddidisse); 4, 79 *secundum proelium fecit* (i. e. commisit; sic. Cic. pro Dejot. 5; Liv. 25, 1); Ann. 15, 1 *faciendum certamen*; 12, 40 *acre proelium fecere*; 3, 48 *qui bellum patriae fecisset* (intulisset). Cf. ind. Drakenb. ad Liv.

FACIES i. e. species, quam res aliqua praebet, qua in adspectum cadit, ut e vultu hominum quo animi motu affecti sint perspicitur. Ann. 1, 41 *non florentis Caesaris neque suis in castris, sed velut in urbe victa facies*; Hist. 1, 85 *strepitus telorum et facies belli erat*; 2, 89 *decora facies, et non Vitellio principe dignus exercitus*; cp. 42 *non una pugnae facies*; Agric. 38 *protinus dies faciem victoriae latius aperuit*; Hist. 3, 30 *rursus nova laborum facies*; Ann. 14, 8 *aliam fere littore faciem nunc*; cp. 10 *non ut hominum vultus ita locorum facies mutantur*; cp. 15 praegnante vi vocabuli *facies accesserat, cohors militum* (i. e. species, die Sache hatte ein Ansehn bekommen; cf. Cic. Phil. 8, 8 de Popillio Laenate *senatus faciem secum attulerat, auctoritatem populi Romani*); Ann. 13, 38 *dum positis loricis et galeis in faciem pacis ve-*

niretur (i. e. ut esset species et imago quaedam pacis, non belli); Hist. 1, 85 *facies belli erat; 5, 23 superfusus amnis — insulam in faciem stagni opplevit; 2, 54 publici consilii facie* (specie) *discessum Mutina;* Dial. 34 *qui faciem eloquentiae, non imaginem praestaret.* V. imago et species. Ita rarius multo ceteri, praecipue priores. Cf. praeter locos a Forcellin. collectos Virg. 6, 560 *Quae scelerum facies?* Quintil. 12, 10, 69 *plures — eloquentiae facies;* Plin. Pan. 35 *memoranda facies: delatorum classis permissa omnibus ventis;* cf. cp. 82.

FACILIS (FACILITAS) 1) poetice cum infin. Hist. 4, 39 *conrumpi facilis.* 2) cum dativo i. q. proclivis, pronus Ann. 2, 27 *juvenem improvidum et facilem inanibus* (i. e. faciles aures praebentem inanibus); Hist. 2, 17 *faciles occupantibus et melioribus incuriosos;* cum *in* praepositione Agric. 21 *homines — rudes eoque in bella faciles;* cum *ad* praeposit. Ann. 14, 4 *facili feminarum credulitate ad gaudia* (ita vulgo cum gerundio) — Ann. 16, 2 *securi de facilitate credentis; 11, 22 quaestura — ex facilitate tribuentium gratuito concedebatur;* Germ. 21 *poscendi invicem eadem facilitas.* Magis respondet priorum usui ubi idem est quod *comitas* Ann. 6, 15 *facilitate — commendabatur;* vid. quae sequuntur. 3) quod sine labore tractari, ferri, acquiri potest, ut nonnunquam priores etiam loquuntur, Germ. 5 *numerus argenteorum facilior usui;* Hist. 4, 28 *facili damno;* Ann. 15, 17 *facilitate camporum praevenientem equitem* (ita Curtius *facilis humus* de agro qui sine labore tractari potest; Sall. Jug. 87 *in locos difficilis abeunt;* item Vell. 2, 116); 11, 26 *facilitate adulteriorum in fastidium versa.* 4) i. q. levis i. e. nullius pretii, etiam proprie i. q. parvi ponderis Ann. 16, 19 *levia carmina et faciles versus;* Hist. 1, 79 *Romanus miles facili lorica — adsultans.* Ita Val. Flacc. *facilis arcus* i. q. habilis. Ex facili v. in ex.

FACTITARE saepe involvit irritum conatum et contemptum Ann. 6, 39; 14, 14. 48. 52; 16, 14. 28 *factitare carmina;* Hist. 2, 10 *factitare delationes.* Eodem modo priores, sed saepius aequales *factitare versus, accusationem* et similia exhibent.

FALSUS ad homines pertinet 1) passive Hist. 2, 17 *ita ceteros terruere, ut adesse omnem Caecinae exercitum trepidi ac falsi nuntiarent.* Ita maxime comici. Cf. Sall. Jug. 85 *nae illi falsi sunt, qui — exspectant;* Liv. 4, 46 *nec falsus*

vates

vates fuit i. e. verum viderat. 2) active Ann. 1, 7 *quanto quis inlustrior, tanto magis falsi ac festinantes vultuque composito; 3, 2 ne falsi intelligerentur; 13, 13 cavere insidias mulieris semper atrocis tum et falsae; 16, 32 dedit exemplum praecavendi, quomodo fraudibus involutos aut flagitiis commaculatos, sic specie bonarum artium falsos et amicitiae fallaces; 6, 44 falsus in amore.* Cf. Cic. div. 2, 11 *testibus uti, qui aut casu veri, aut malitia falsi fictique esse possunt;* Sall. Cat. 10 *ambitio multos mortalis falsos fieri subegit.* 3) neutrum et sing. et plurali numero cum adverbii (ita solo singul. num.) tum substantivi loco ponitur Ann. 6, 60 *Tiberius torvus aut falsum renidens vultu* (vid. adject.); cp. 58 *mox patuit breve confinium artis et falsi; 3, 56 modica de moribus adolescentis neque in falsum aucta rettulit; 4, 50 telis non in falsum jactis* (i. e. incassum; nullum hujus locutionis simile exemplum inveneris); — 2, 82 *nec obstitit falsis* (rumoribus) *Tiberius; 6, 45 simulationum falsa in sinu avi perdiderat;* Hist. 2, 70 *falsa, vera aut majora vero miscebant.* Ita multo minus saepe priores. — Falso apud priores saepe ita usurpatum ut ad modum *frustra, nequidquam* vocabulorum nude positum integrae sententiae vice fungatur, ut Nep. Alcib. 9 *in Thraciam se abdidit, sperans ibi facillime suam fortunam occuli posse. Falso. Nam Thraces — insidias ei fecerunt*, insolentius jungitur Germ. 36 *inter impotentes et validos falso quiescas* i. e. falluntur qui putant — quiesci posse.

FAMILIA vox notanda ob usum pluralis num. minus usitatum in *filii familiarum, filios familiarum, filiis familiarum* Ann. 1, 26; 3, 8; 11, 13. Vid. Cort. ad Sall. Cat. 43, 2. Antiquam genitivi scripturam *familias* nunquam exhibuit noster; cf. Germ. 10 *pater familiae;* Dial. 22 *patrem familiae.* Ita plerique omnes in alterutrius vocis usu sibi constant; Cicero, Nepos, Hirtius, Plin. major, Quintilianus semper exhibent *familias* in illo dicendi genere, Livius contra et Caesar *familiae* (cf. Drakenb. ad Liv. 34, 2, 1.); Seneca variat: de ira 3, 35 *pater familias;* ad Helviam 14 *filius familias;* Epist. 47. 64. *pater familiae.*

FAMOSUS 1) sign. vulgari, qua idem est quod infamis, δύσφημος Ann. 1, 72 active *famosi libelli — quibus inlustres viri feminaeque diffamantur* (cf. Suet. Oct. 55, 56 *famosi libelli;* Tib. 28 *famosa de se ac suis carmina;* Hor. epist. 1, 19, 31 *famosum carmen*); Ann. 3, 7 *famosam veneficiis Martinam*

(2, 74 eadem dicitur *infamis veneficiis*); 6, 47 *multorum amoribus famosa Albucilla;* 11, 25 *famosus probris;* Hist. 4, 41 *crebris apud Neronem delationibus famosos;* 2, 97 *proconsulatum — famosum invisumque Vespasianus egerat;* Ann. 13, 23 *exercendis apud aerarium sectionibus famosus.* 2) praeeunte Horatio in art. poet. 469 de Empedocle *ponet famosae mortis amorem* apud scriptores argenteae aetatis idem fere est quod πολύφημος, apud Apulejum maxime aliosque nonnullos etiam εὔφημος exprimit. Hist. 1, 10 *Licinius Mucianus — vir secundis adversisque juxtà famosus;* 3, 38 *nota per eos dies Junii Blaesi mors et famosa fuit;* 5, 2 *famosae urbis* (Hierosolymorum) *supremum diem traditurus.* Cf. Flor. 3, 7 *nec quidquam tamen amplius de tam famosa victoria quam cognomen Creticum reportavit;* Plin. epist. 2, 11 *quod per hos dies actum est personae claritate famosum;* 6, 23 *petis ut agam causam pertinentem ad curam tuam pulchram alioquin et famosam.*

FAS praeter vulgarem usum, quo ad rationem pertinet quae inter homines et numen divinum intercedit (e. c. Ann. 1, 10), peculiari prorsus modo ad alias quascunque rationes a Tacito refertur, ut idem fere sit quod *jus*, nisi quod major inest vis in illa voce Ann. 1, 19 *cur contra morem obsequii, contra fas disciplinae vim meditentur;* cp. 42 *fas gentium;* 2, 10 *fas patriae;* 3, 17 *fas aviae;* Hist. 4, 58 *fas armorum.*

FASTIDITUS Ann. 13, 1 *segnis et dominationibus aliis fastiditus.* Verbum hoc Ciceroni etiam aliisque usitatissimum; participio praeter Tacitum Ovidius quoque, Lucanus, Plin. maj. utuntur, Forcellino quidem auctore.

FATIGARE Ann. 4, 6 *plebes acri — annona fatigabatur;* 15, 71 *dextram osculis fatigare;* Hist. 3, 31 *adspernantem tumentemque lacrimis fatigant;* omisso abl. Hist. 1, 29 *Ignarus interim Galba et sacris intentus fatigabat alieni jam imperii deos* (sc. precibus, ut loquuntur Sallustius et Valer. Flaccus). Poeticum hoc loquendi genus, sed ap. Sall. Liviumque nonnunquam obvium.

FATISCERE a *fatim* et *hiscere* Servio quidem auctore, ut fatigare a *fatim agere*, castigare a *castum agere*, purgare a *purum agere* — i. q. fatigari, sedari, otiosum, consilii inopem esse Ann. 3, 38 *non accusatores fatiscebant;* 6, 7 *a plerisque scriptoribus omissa multorum pericula et poenas dum copiâ fatiscunt;* 14, 24 *ipse exercitusque, ut nullis ex proelio damnis, ita per inopiam et labores fatiscebant;* 16, 5 *cum*

manibus nesciis fatiscerent; Hist. 3, 10 *donec fatisceret seditio.* Nemo saepius usus est hac voce, obvia etiam ap. Virgilium aliosque poetas et argent. aetatis scriptores, ut Plin. H. N. 11, 16. 105.

FAVORABILIS „saepe apud Quintilianum aliosque sub Caesaribus dicitur idem fere qui *gratiosus* apud priores. Sed eam significationem vocabuli usurpavit jam Vellejus, primus ni fallor 2, 34. 40. Livianum locum 22, 26, 4 vix defendas." Ita recte Spald. ad Quintil. 4, 1, 21, nisi quod omnino hanc vocem ap. priores ante Vellejum neque activa neque passiva significatione inveniri apertius dicendum erat. Sic noster active Ann. 2, 36 *favorabili in speciem oratione vim imperii tenuit;* 12, 6 *haec favorabili oratione praemisit;* Dial. 7 *in civitate minime favorabili natus.* passive Hist. 2, 97 *integrum illic ac favorabilem proconsulatum Vitellius, famosum invisumque Vespasianus egerat;* adde locis a Forcell. allatis Sen. clem. 10 *clementia — gratum ac favorabilem reddidit.*

FERALIS more Virgilii, Ovidii aliorumque poetarum et *ad mortuos pertinens* et *funestus* (Ann. 1, 65 *funestas tenebras* i. e. quasi vitae finem portendentes) Ann. 2, 31 *feralibus jam sibi tenebris;* Germ. 43 *ipsa formidine atque umbra feralis exercitus terrorem inferunt* ubi vid. Hess.; Ann. 14, 30 *in modum Furiarum veste ferali;* 3, 1 *feralem urnam tenens;* 2, 75 *feralis reliquias sinu ferre;* 4, 64 *feralem annum ferebant;* Hist. 5, 25 *bellum ferale ipsis.* Inde feralia (ap. Cic. quoque) secundum Varronem et Festum *a ferendis epulis vel a feriendis pecudibus*, neutrum fortasse recte, *a ferendis* potius *mortuis, cineribus*, unde etiam *ferculum, feretrum.* Ann. 1, 62 *attrectare feralia* illicitum sacerdotibus. Cf. Sen. Cons. ad Marciam 15 *Tiberius — pro rostris laudavit filium* (Tacit. Ann. 4, 12) *stetitque in conspectu posito corpore, interjecto tantummodo velamento, quod pontificis oculos a funere arceret.*

FERENTARIUS Ann. 12, 35 *eo quoque inrupere ferentarius gravisque miles, illi telis adsultantes, hi conserto gradu.* Sunt vero secundum Varr. ac Festum *levis armaturae milites, a ferendo, quia ea tantum arma habebant, quae feruntur, non quae tenentur, quippe qui fundis lapidibusque vel arcu et telis pugnabant;* Nonio auctore *a ferendo auxilio.* Vegetius ferentarios una cum funditoribus nominat eosque e velocissimis et exercitatissimis lectos esse dicit. Legitur haec vox etiam ap. Sall. Cat. 60 *postquam eo ventum, unde a feren-*

tariis proelium committi posset, maxumo clamore concurrunt, vid. ibi Cort., et ap. Plautum in Trin. 2, 4, 55 *ferentarius amicus* i. e. qui opem celeriter ferre potest. Jocose ita servus divitem appellat, nec raro Plautus a re militari repetit jocose dicta.

FERME usitatissimum Tacito pro *fere*, rarius multo ap. priores 1) i. q. plerumque, ut est *fere* ap. Cic. inv. 1, 29 *probabile autem est id quod fere fieri solet*, et sic passim, Ann. 6, 17 *acribus, ut ferme talia, initiis*; 4, 5 *cohortes Etruria ferme Umbriaque delectae*; cp. 58 *ferme Graeci*; 2, 2 *laetantes, ut ferme ad nova imperia*; cp. 54 *ferme Mileto accitus*; 4, 9 *ut ferme amat posterior adulatio*; 12, 36 *ut ferme intuta sunt adversa*; Hist. 4, 70 *ut ferme acerrima proximorum odia sunt*. Cf. Liv. 21, 54, 1 *rivus — circa obsitus palustribus herbis et, quibus inculta ferme vestiuntur, virgultis vepribusque*, ubi vide Drakenb. Similiter priores *non ferme* (et *non fere*) pro *non facile* usurp. Cf. Ter. Andr. 3, 1, 2 *fidelem haud ferme mulieri invenias virum*; Cic. Tusc. 5, 38 *Sapientis autem cogitatio non ferme ad investigandum adhibet oculos advocatos*. 2) i. q. propemodum Ann. 3, 76 *cum ferme cunctos nominavisset*; 2, 38 *his ferme verbis usus*; 14, 55 *sic ferme respondit*; 15, 25 *in tantum ferme modum aucta potestate*. Ita priores quoque singulis locis. 3) i. q. circiter (fere) Ann. 6, 51 *tribus ferme et viginti annis*; 15, 18 *ducentae ferme naves*.

FEROX (FEROCIA, FEROCITER) secundum Doederl. Syn. I p. 38 (collatis additamentis Tom. III p. 307 sq.) a *ferus* et *ox* i. e. *ὤψ* wild aussehend ap. poetas et rerum scriptores non solum feritatem ac superbiam sed etiam summam fortitudinem et concitati animi audaciam constantiamque designat Agric. 11 *plus tamen ferociae Britanni praeferunt, ut quos nondum longa pax emollierit*; cp. 31 *virtus porro ac ferocia subjectorum ingrata imperantibus*; Hist. 2, 76 *siquid ardoris ac ferociae miles habuit, popinis — deteritur*; cp. 24 *ferocissimos auxiliarium — componit*; Ann. 1, 2 *nullo adversante, cum ferocissimi per acies aut proscriptione cecidissent*; Hist. 2, 63 *Triaria L. Vitellii uxor ultra feminam ferox*; Ann. 2, 72 *exueret ferociam* (*Agrippina*, cujus *animum indomitum* dicit Ann. 1, 33), *saevienti fortunae submitteret animum*; 4, 21 *de Calpurnio Pisone, nobili ac feroci viro*; 15, 5 *mandata ferociter edidit*; Hist. 4, 71 *ferociâ verborum militem incendebat*. Cf. Liv. 3, 39; 9, 6; 7, 10; 3, 47; 1, 12; 28, 42;

36, 17; Nep. Them. 2; Eum. 11; Hamilc. 1. Cum genitivo Ann. 1, 32 *Cassius Chaerea — tum adolescens et animi ferox;* 4, 12 *Sejanus — ferox scelerum;* Hist. 1, 35 *nimii verbis, linguae feroces.* Ita Ovid. Met. 8, 613 *deorum spretor erat mentisque ferox Ixione natus.*

FERRAMENTUM Germ. 30 *omne robur in pedite, quem super arma ferramentis quoque et copiis onerant.* Item singulis locis Cic., Liv., alii h. v. usurpant. Nostro loco *ferr.* sunt, Passovio notante, rastra, ligones, secures.

FERRATUS Ann. 3, 45 *in fronte statuerat ferratos, in cornibus cohortes, a tergo semermos,* i. e. ferreis loricis indutos. Ita Horatius *ferrata agmina* et inscriptiones *ferratus miles.* Apud Plautum *ferratus servus* est catenis onustus. Ceteri ad res, non ad homines vocem referunt.

FERRE praeter vulgarem usum 1) i. q. rapere, raptim ducere, ut notissima est locutio *ferre atque agere, ferre agere, ferri agique* de praeda et ap. Virgilium *omnia fert aetas; te fata tulerunt,* Ann. 2, 39 *Postumi Agrippae servus — fraude aut vi raptum Agrippam ferre ad exercitus Germanicos non servili animo concepit;* Dial. 8 de vi, quam quis ingenio et oratione exercet *principes fori — agunt feruntque cuncta.* 2) absolute i. q. ferri Dial. 10 *quod, cum natura tua in ipsam arcem eloquentiae ferat, errare mavis;* Ann. 2, 23 *postquam mutabat aestus eodemque quo ventus ferebat.* Cf. Nep. Dat. 4 *quem procul Aspis conspiciens ad se ferentem pertimescit;* Plin. H. N. 2, 96 *in Tarquiniensi lacu — duo nemora circumferunt.* notissima sunt *tempus, occasio, animus fert;* ita omisso substantivo Ann. 3, 15 *sociam se cujuscunque fortunae et, si ita ferret,* (res, fortuna) *comitem exitii promittebat;* Hist. 2, 44 *hos certe nondum victos et, si ita ferret, honestius in acie perituros.* 3) poetice i. q. nuntiare Ann. 1, 5 *fama eadem tulit;* 6, 47 *tormentis servorum Macronem praesedisse commentarii ad senatum missi ferebant;* 15, 60 *haec ferre Granius Silvanus — et — percunctari Senecam jubetur.* Huc pertinet etiam quodammodo Germ. 7 *ad conjuges vulnera ferunt* exquisitius dictum pro *vulnera ostendunt,* notante jam Hessio. 4) i. q. jactare Ann. 2, 43 *avum M. Antonium, avunculum Augustum ferens.* Cf. Vell. 1, 11 *qui se Philippum regiaeque stirpis ferebat.* 5) i. q. auferre, accipere, v. Walch. ad Agric. 31. Prave intellexit Forcellinus locum Cic. Fam. 8, 8, nam ibi *calumniam ferre* non est *inferre alicui cal.,* sed *calumniae damnari,* auferre quasi calumniae causam agendam;

neque etiam Taciti locus Ann. 12, 4, quem cum illo comparavit, huc pertinet, ibi enim legitur *serere crimina.*

FESSUS v. in Proleg. de poetico stili Tacitei colore.

FESTINARE poetice cum accusativo, nonnunquam peculiari prorsus modo usurp. Ann. 4, 28 *mortem in se festinavit: 6, 40 festinatis lictorum manibus in carcerem raptus;* cp. 44 *quibus proelium et festinati casus placebant;* 12, 25 *adoptio — festinatur;* 14, 33 *caedes, patibula, ignes, cruces — festinabant.* Hist. 1, 90 *festinata jam pridem exactione;* 2, 57 *festinatis per Gallias delectibus;* cp. 82 et Ann. 6, 50 *cuncta — festinabantur;* Hist. 3, 37 *cum belli civilis praemia festinarentur;* 4, 67 *festinatum temere proelium;* Germ. 20 *nec virgines festinantur* ubi vid. Hess. Cf. Sall. Jug. 73 *ad bellum cuncta parat festinatque.* A multis priorum *maturare* ita usurpatur, etiam cum infin., ut Caes. B. G. 1, 7 *maturat ab urbe proficisci* (ita Curt. 6, 6, 25 *sequi festinat*), et absolute, ut Caes. B. G. 1, 37 *maturandum sibi existimavit.* Eodem modo Tacitus *e. c.* Ann. 12, 41 *virilis toga Neroni maturata;* 15, 59 *nuptias — maturare parat.* V. properare.

FESTUS dies vulgo recepta locutio; apud Tacitum ejusque aequales latius patet h. verbi usus poetarum more Ann. 2, 69 *festa plebs;* 3, 9 *domus — festa ornatu;* 14, 13 *festo cultu senatum (inveniunt);* Hist. 5, 5 *Liber festos laetosque ritus posuit;* Ann. 5, 4 *festis in Caesarem ominibus;* 12, 69 *festis vocibus exceptus;* Germ. 40 *festa loca.* Cf. Plin. H. N. 2, 45 et 14, 1 *festa pax;* Plin. epist. 2, 17 *festi clamores;* Quint. 6, 3, 16 *certis diebus festae licentiae.*

FIDUS poetice ad res inanimas relatum, ut ap. Virg. *fidus ensis,* ap. Ovid. *fidae aures,* Ann. 15, 15 *rumor incesserat pontem cessurum oneri dolo fabricatum; sed qui ingredi ausi sunt validum et fidum intellexere;* Hist. 5, 6 *tantos inter ardores opacum fidumque nivibus (montem);* Ann. 3, 1 *oppidum Brundisium, quod naviganti celerrimum fidissimumque adpulsu erat;* 5, 8 *qui — in hortos Pomponii quasi fidissimum ad subsidium perfugisset;* 1, 52 *paucioribus Drusum — laudavit, sed intentior et fida oratione;* Hist. 2, 92 *nec unquam satis fida potentia, ubi nimia est.*

FIGERE i. q. ponere, collocare Ann. 13, 54 *jamque fixerant domos, semina arvis intulerant.* Ita Juv. 3, 2 *sedem figere.* Insolentius Ann. 6, 50 *Caesar fixus in silentium.* Cf. tamen Agric. 34 *extremo metu corpora defixere in his vestigiis;* Ann. 3, 1 *egressa navi defixit oculos;* Sen. epist. 11 *figunt in terram oculos et deprimunt.*

FINIS (FINIRE) absolute positum de obitu, etiam de imperii fine, ut *suprema*, *excessus*, *exitus* opp. *initio*, *initiis*, *primordio*, *primordiis*. Ann. 1, 4 *aderat finis* (*Augusti*); cp. 16 *fine Augusti et initiis Tiberii auditis*; cp. 31 *audito fine Augusti*; 2, 39 *comperto fine Augusti*; cp. 71 *ubi finis aderat* (*Germanici*); 4, 19 *voluntarius finis*; 5, 6 *egregius finis*; 6, 26 *honestus finis*; cp. 25 *negatis alimentis adsimulatus est finis qui videretur sponte sumptus*; 2, 2 *post finem Phraatis et sequentium regum*; 12, 52 *quasi finem principis per Chaldaeos scrutaretur*; 14, 9 *hunc sui finem multos ante annos crediderat Agrippina contempseratque*; 15, 63 *claritudinis plus in tuo fine*; Hist. 1, 37 *septem a Neronis fine menses sunt*. Ita primus Vell. 2, 123 locutus esse videtur: *nec quidquam jam de fine, si fata poscerent, recusans Augustus*. — Cf. Ann. 6, 22 *non initia nostri, non finem, non denique homines diis curae*; cp. 39 *nec dispares — Rufi et — Paconiani exitus*; 3, 49 *suprema Germanici*; 1, 7 *laeti excessu principis — tristiores primordio*. — Ann. 6, 50 *sic finivit Tiberius*; Hist. 1, 16 *finita Juliorum Claudiorumque domo*; similiter dictum Ann. 14, 51 *spiritum finiebat*. Cf. Plin. epist. 1, 12 *qui morbo finiuntur*; Sen. prov. 6 *mors vos aut finit aut transfert*. Etiam e Cicerone et Trogo locos attulit Ruhnk. ad Vell. 2, 123. — Idem est *finis* quod *absolutio*, *perfectio* Ann. 1, 78 *sedecim stipendiorum finis* (cf. cp. 17 *sextusdecimus stipendii annus finem adferet*; cp. 19 *missio ab sedecim annis*); 3, 27 *finis aequi juris*, ubi Ernesti contulit Cic. Planc. 25 *honorum populi finis est consulatus*; Tusc. 2, 1 *finis sperandi*.

FIRMAMENTUM translate Hist. 5, 8 *honor sacerdotii firmamentum potentiae adsumebatur*. Ita satis multis locis Cic.; Seneca etiam, quem cum nostro plane praetermisit Forcellinus, haud raro usurpat hanc vocis sign., e. g. de ira 1, 16, 28; 2, 1, 2.

FIRMARE i. q. affirmare, confirmare, ut ap. omnes paene, maxime ap. poetas et rerum scriptores, Ann. 1, 71 *cunctos alloquio et cura sibique et proelio firmabat* (confir.); cp. 81 *vix quidquam firmare* (affirmare) *ausim*; 6, 6 *praestantissimus sapientiae firmare solitus est cet.* (i. e. affirmare, adseverare); 16, 35 *in ea tempora natus es, quibus firmare* (confirm.) *animum expediat constantibus exemplis*; Hist. 2, 9 *trierarchi — adloquendos sibi milites — firmaverunt* (adseverarunt). Sign. propria Ann. 4, 73 *proxima aestuaria aggeribus — firmat*.

FIRMATOR Ann. 2, 46 *pacis firmator*. Ita praeterea Plin. epist. 10, 38 *firmator disciplinae militaris*.

FIRMITUDO v. claritudo.

FISCUS proprie vas vimineum vel junceum, κύρτος ἁλιευτικός, in quo pecunia, maxime publica condebatur. Imperatorum temporibus principis patrimonium vel potius pecunia quae ex imperatoriis provinciis ipsi redibat ita appellabatur, cum aerarium, cujus e senatoriis provinciis erant reditus, reipublicae esset. Ann. 1, 37 *cum fisci de imperatore rapti inter signa interque aquilas veherentur*; 6, 2 *bona Sejani ablata aerario, ut in fiscum cogerentur, tanquam referret.* Cf. praeter locos a Forcellino congestos e Cic., Phaedro, Seneca, Plin. Pan. 36 *At fortasse non eadem severitate fiscum qua aerarium cohibes. Immo tanto majore, quanto plus tibi licere de tuo quam de publico credis.* In aerarium, cum ad rem publicam pertineret, etiam imperatorum aevo decreta et acta senatus deferebantur: Ann. 3, 51 *factum S. C. ne decreta patrum ante diem decimum ad aerarium deferrentur;* 13, 28 *ne multam ab iis dictam quaestores aerarii in publicas tabulas ante quattuor menses referrent.* Qui praeerant aerario, reip. temporibus quaestores, in universum plerumque *praefecti aerarii s. aerario* dicebantur; erant autem Caesare auctore aediles (Dio 43, 48), ex Augusti instituto praetores (Dio 53, 2; Suet. Oct. 36), sub Claudio quaestores (Suet. Claud. 24), Vespasiano imperatore iterum praetores. Cf. Ann. 13, 28. 29; Hist. 4, 9, ibique Ernestium; Plin. Pan. 91. 92. De aerario militari v. s. v. aerarium.

FLAGITIUM proprie, ut nonnullis Plauti locis, acris turpisque efflagitatio Ann. 1, 27 *militiae flagitia — adspernari;* 3, 17 *pro Plancina cum pudore et flagitio disseruit, matris preces obtendens.* Cf. Doederl. Synon. II p. 142 sq. Inde vulgo est i. q. *scelus flagrans*, maxime virgine post turpem ejusmodi efflagitationem vitiata. Vide etiam Hess. ad Germ. 6. 12.

FLAGRARE (FLAGRANS) transl. sign. longe usitatissimum Tacito, apud quem plerumque latius patet quam ap. priores ipsosque poetas, ut sit nonnunquam idem quod *vigere, florere; acer, ferox, cupidine vel studio alicujus rei incensus*, intenta nimirum horum vocabulorum vi. Adverbium Ann. 1, 3 *flagrantissime cupiverat* solus praeter Tacitum Ammianus usurpasse videtur. — Ann. 14, 39 *flagrante etiam tum libertate;* 13, 4 *ea maxime declinans, quorum re-*

cens flagrabat invidia; Hist. 3, 3 *flagrans oculis.* — Hist. 2, 31 *Othonis flagrantissimae libidines* opp. *ignavis Vitellii voluptatibus;* Ann. 14, 1 *Nero flagrantior in dies amore Poppaeae;* cp. 51 *flagrantissima flagitia et adulteria* opp. *segni innocentiae;* 1, 21 *flagrantior inde vis, plures seditioni duces;* 3, 54 *aeger et flagrans animus;* Hist. 1, 24 *flagrantibus jam militum animis velut faces addiderat;* Ann. 16, 26 *flagrans juvenis;* Hist. 4, 79 *flagrantissimâ cohortium suarum integrâ;* Agric. 4 *ni — incensum ac flagrantem* (studio philosophiae) *animum coercuisset;* Ann. 11, 29 *flagrantissimâ eo in tempore gratiâ Pallas;* 13, 45 *Otho — flagrantissimus in amicitia Neronis habebatur.* Cf. praeter locos Forcellinianos Cic. de or. 1, 30 *flagrare cupiditate;* Quintil. Prooem. 6 *litterarum amore flagrans;* Vell. 2, 48 *bello civili — non alius majorem flagrantioremque — subjecit facem;* cp. 130 *flagrat pectus incendio abstruso.*

FLAMMARE 1) proprie, ut ap. Apulejum, Ann. 15, 44 *flammandi* (*Christiani*). 2) transl. ut ap. Sil. et Statium Hist. 2, 74 *flammare exercitus*; 4, 24 *his inter se vocibus instinctos flammavere insuper adlatae a Vespasiano litterae.*

FLAMMEUM „genus veli crocei seu lutei, quo sponsae utebantur, ne proderetur virginis pudor" Forcell., quem vide. Ann. 15, 37 *inditum imperatori flammeum.* Utitur hac voce praeter Lucanum Plin. H. N. 21, 22 ed Bip. *in nuptialibus flammeis.* Adjectivum, quod designat Graecum φλογερός, praeter poetas etiam Cic. usurpavit.

FLECTERE maxime inter omnes Tacito frequens; praecipue notandus est absolutus verbi usus 1) ut vulgo dicitur *navem, currum, lumina* et translate *animum, mentem flectere ad aliq. rem,* ita Ann. 6, 37 *flexis ad regem animis;* 3, 16 *flexo in moestitiam ore;* 1, 16 *flexo in vesperam die;* cp. 41 *sed nihil aeque flexit* (i. e. eos commovit) *quam invidia in Treveros;* 4, 54 *non vultu aut sermone flecti;* Hist. 2, 46 *ut flexerat vultum aut induraverat Otho;* cp. 70 *at non Vitellius flexit oculos.* 2) absolute pro *iter, viam flectere,* translate i. q. *aliquo inclinare,* maxime de oratione Hist. 2, 70 *inde Vitellius Cremonam flexit;* 3, 41 *flexit in Umbriam;* Dial. 19 *quem primum adfirmant flexisse ab illa vetere — dicendi via.* — Ann. 4, 37 *arguebatur in ambitionem flexisse;* 1, 13 *fessus clamore omnium, expostulatione singulorum, flexit paullatim;* cp. 34 *a veneratione Augusti orsus flexit ad victorias — Tiberii;* 6, 15 *redditis absentiae causis admodum*

vagis flexit ad graviora; 13, 3 *postquam ad providentiam sapientiamque flexit, nemo risui temperare;* 4, 41 *huc flexit, ut Tiberium ad vitam procul Roma degendam impelleret.* Cf. Liv. 3, 8 *ex Gabino in Tusculanos flexere colles;* 28, 16 *Hasdrubal, clauso transitu fluminis, ad Oceanum flectit.* 3) rem aliquo trahere, convertere et ita immutare Ann. 6, 29 *additis versibus qui in Tiberium flecterentur;* 4, 16 *sicut Augustus quaedam ex horrida illa antiquitate ad praesentem usum flexisset;* cp. 20 *pleraque — in melius flexit.* Cf. Liv. 28, 44 *oblata casu flectere ad consilium.* 4) i. q. deflectere, avertere Hist. 5, 24 *dolo a se flexos imputavit Civilis.* Cf. Liv. 28, 22 *si quem a proposito spes mollitiave flexisset;* Cic. Phil. 1, 14 *flecte te quaeso et majores tuos respice.* 5) flexum mare insolentius de sinu Ann. 14, 4 *id villae nomen est, quae promentorium Misenum inter et Bajanum lacum flexo mari adluitur.*

FLERE pro deflere cum accusat. poetice Ann. 6, 10 *quod filii necem flevisset.*

FLEXUS, US 1) amfractus, flexio Germ. 1 *Rhenus — modico flexu in occidentem versus;* Ann. 12, 12 *non cominus Mesopotamiam, sed flexu Armeniam petunt.* Cf. Cic. Att. 16, 13 *cum — venissem ad pontem Tirenum, qui est Minturnis, in quo flexus est ad iter Arpinas* (wo man einbiegt) 2) fere idem valet quod transitus, inclinatio, ut apud Cic. pro Coel. 31 *in hoc flexu quasi aetatis;* Hist. 5, 23 *flexu auctumni* i. e. vergente auctumno. Cf. Ann. 1, 16 *flexo in vesperam die.* Omnino saepius multo poetae et arg. aet. scriptores hac voce utuntur quam priores solutae orationis auctores.

FLUERE translate Ann. 11, 9 *cuncta in Mithridaten fluxere* (i. e. ad eum conversa sunt); cf. Cic. Att. 4, 16 *res fluit ad interregnum;* Ann. 15, 5 *nec praesentia prospere fluebant;* Dial. 5 *rebus prospere fluentibus;* Hist. 3, 48 *cunctis super vota fluentibus;* cf. Cic. Off. 1, 26 *in rebus prosperis et ad voluntatem nostram fluentibus;* Sall. Hist. 6 p. 1005 *rebus supra votum fluentibus.* — Ann. 14, 16 *quod species ipsa carminum docet, non impetu et instinctu nec ore uno fluens;* cf. Cic. Brut. 79 *oratio Calidii — ita libere fluebat, ut nusquam adhaeresceret.* Sed *fluens oratio* Ciceroni est *or. dissipata, inculta, dissoluta,* eademque ratio est verbi de orat. 3, 49 *efficiendum est ne fluat oratio, ne vagetur.* Vid. Drakenb. ad

Liv. 7, 29, 5; Ruhnk. ad Vell. 1, 16; 2, 88 et Doederl. Synon. II p. 20 sq.

FLUITARE proprie Hist. 2, 34 *ancorarum funes non extenti fluitabant;* 3, 27 *disjectam fluitantemque testudinem lanceis contisque scrutantur;* 5, 18 *praelongis hastis fluitantem labantemque militem eminus fodiebant;* Germ. 17 *locupletissimi veste distinguuntur non fluitante sicut Sarmatae ac Parthi, sed stricta;* translate Hist. 2, 93 *unde primum creditur Caecinae fides fluitasse.* Ita aequales maxime et poetae loquuntur, sed singulis locis prioris quoque aetatis solutae orationis auctores; sic. Cic. Sext. 20 *reip. navem fluitantem.* Vid. Doederl. Synon. II p. 20 sq.

FLUXUS, A, UM 1) incertus, ambiguus Hist. 2, 75 *fluxam per discordias militum fidem;* 4, 23 *fluxa servitiorum fides;* 3, 48 *fluxa, ut est barbaris, fide;* Ann. 13, 19 *nihil rerum mortalium tam instabile ac fluxum est quam fama potentiae non sua vi nixae.* Ita Liv. *fluxa fides,* Sallust. *fluxa gloria,* Cicero *res, fortuna fluxa.* 2) vanus, irritus, Ann. 3, 50 *studia illi, ut plena vecordiae, ita inania et fluxa sunt; nec quidquam grave ac serium ex eo metuas.* Similiter Livius *fluxa et vana fides.* 3) debilis, infirmus, Ann. 6, 38 *fluxam senio mentem — objectando;* Hist. 2, 22 *neglecta (murorum) aut aevo fluxa cominus adgredi;* 1, 21 *dum Galbae auctoritas fluxa, Pisonis nondum coaluisset;* 2, 32 *tracto in aestatem bello, fluxis corporibus, mutationem soli coelique haud toleraturos.* Cf. Mart. 5, 41 *spadone cum sis eviratior fluxo;* Sall. Cat. 14 *animi molles et aetate fluxi.* 4) laxus, fluitans, diffluens, vagus et proprie et translate Ann. 11, 31 *ipsa crine fluxo thyrsum quatiens;* Hist. 2, 99 *lentum et rarum agmen, fluxa arma, segnes equi;* 3, 76 *noctu dieque fluxi et amoena littorum personantes.* Similia exhibent Sall., Suet., Lucan. Vid. Doederl. Syn. II p. 20 sq.

FODERE i. q. pungere vulnerare est, sed aucta sign. vi Ann. 2, 21 *nuda ora fodere;* Hist. 1, 79 *levi gladio inermem Sarmatam — cominus fodiebat;* 4, 29 *multos in moenia egressos pugionibus fodere.* Cf. praeter locos a Forcell. laudatos Liv. 8, 10 *hastis ora fodientes;* 21, 55 *aversos (elephantos) sub caudis, qua maxime molli cute vulnera accipiunt, fodiebant;* Curt. 4, 15, 31 *resistentium adversa ora fodiebat.* Plura etiam congessit Drakenb. ad Liv. 8, 10, 6.

FOEDARE sicut foedus, a, um nulli magis frequens quam Tacito, sed non recedit a vulgari dicendi genere, nisi

quod vulnerandi significationem poetarum more fortasse a Livio quoque recepto (vid. Drak. ad Liv. 8, 10, 6) ap. Tacitum obtinet. Vid. Walch. ad Agric. 36. — Ann. 2, 33 *ne vestis serica viros foedaret*; 4, 19 *victoria per avaritiam foedata*; 11, 6 *principem sordidis ministeriis foedari*; 15, 32 *senatorum plures per arenam foedati sunt*; Hist. 4, 37 *donec egregia erga populum Romanum merita mox rebelles foedarent*; cp. 58 *pollui foedarique* (*haec castra*) *a Tutore et Classico ne sinatis*; Germ. 46 *procerum connubiis mixtis nonnihil in Sarmatarum habitum foedantur*; Hist. 3, 77 *Julianus — verberibus foedatus*; Agric. 36 *miscere ictus, ferire umbonibus, ora foedare.*

FOMENTUM Ann. 1, 46 *militaribus animis adhibenda fomenta, ut ferre pacem velint.* Similiter Cic. *fomenta dolorum.*

FOREM, fores, forent, fore pro *essem* cet. maxime a Tacito usurpantur. Exempla afferre non attinet, nam obvia sunt cuique. Livius quoque multus est in his vocibus, praecipue cum conditionem exhibet sententia ut — *foret* — *nisi.*

FORMA („sofern die Gestalt der sichtbare Abdruck und das Gepräge des innern Wesens ist und diesem entspricht" Doederl. Synon. III p. 25) congruenter cum priori usu usurpatur, sed saepius 1) i. q. formositas, maxime mulierum Ann. 5, 1 *cupidine formae aufert marito* (*Liviam*); 6, 1 *formam et decora corpora*; 12, 22 *formam ejus laudaverat princeps*; 13, 19 *insignis genere, forma, lascivia Junia Silana*; cp. 45 *Poppaeae — mater — gloriam pariter et formam dederat*; cp. 46 *laudare formam — uxoris*; 15, 59 *solâ corporis formâ commendata*; — 13, 46 *formâ Neronis* (se) *captam simulans*; — Germ. 6 *equi non formâ conspicui.* Vide alior. exempla ap. Drakenb. ad Liv. 1, 9, 11. 2) i. q. genus, modus, species, facies Ann. 1, 74 *formam vitae inire*; 4, 60 *diversae insuper sollicitudinum formae oriebantur*; Germ. 5 *formas quasdam nostrae pecuniae agnoscunt* (cf. Quintil. 1, 6, 3 *nummus, cui publica forma est*, quem locum ab Hess. jam conlatum video addito Sen. de benef. 5, 29 *denarius — formae publicae.* Consule eundem ad Germ. 45 *formas aprorum gestant*); Dial. 18 *formae et genera dicendi*; Ann. 13, 41 *aliaque in eandem formam decernuntur*; Hist. 4, 1 *ubique lamenta, conclamationes et forma captae urbis*; Dial. 1 *dum formam sui quisque et animi et ingenii redderet.* Agric. 46 *formamque ac figuram animi magis quam corporis complectantur.*

Vid. Doederl. l. l. p. 27 et locis ab eo congestis adde Cic. Off. 1, 5 *formam — et tanquam faciem honesti vides;* Brut. 85 *orationes ejus — valde laudo; significant enim quandam formam ingenii, sed admodum impolitam et plane rudem.*

FORMIDOLOSUS maxime Tacito frequentatur 1) active Ann. 1, 62 *exercitus formidolosior hostium;* ita Sen. clem. 17 *equus fiet formidolosus et contumax, nisi eum tactu blandiente permulseris;* cum genitivo nusquam, quod sciam, invenitur praeter Tacitum. 2) passive Ann. 1, 76 *quod vulgo formidolosum;* 11, 19 *formidolosum paci virum insignem;* Hist. 1, 6 *ipsis — qui occiderant, formidolosus;* 3, 26 *munire castra, id quoque propinquis hostibus formidolosum, ne dispersos et opus molientes subita eruptione turbarent;* 13, 53 *formidolosum id imperatori dictitans, quo plerumque prohibentur conatus honesti;* Agric. 7 *legio — legatis quoque consularibus nimia ac formidolosa erat;* cp. 39 *id sibi maxime formidolosum.* Cf. Cic. Verr. 2, 31 *illud formidolosum, illud optimo cuique metuendum;* Manil. 21 *bellum formidolosissimum;* Cluent. 3 *consessus formidolosus;* l. Agr. 1, 3 *fasces formidolosi;* Phil. 7, 2 *formidolosissimum tempus;* Tusc. 4, 24 *res formidolosae;* Liv. 8, 8 *id erat formidolosissimum hosti.* Saepius ita Sallustius, qui idem usurpat *discordiosus* et *tumulosus* Jug. 66. 91. Ad priorem locum adnotat Cortius „sequior aetas licentius talia formavit dixitque *colorosus, amorosus* cet."

FORS *in quo incerti casus significantur magis* (quam fortunâ) Cic. legg. 2, 11, et primo et sexto casu ap. nullum, si Livium excipias, frequentius invenitur scriptorem. E multis exemplis quaedam exhibemus: Ann. 1, 49 *cetera fors regit;* 3, 5 *prima fors;* 14, 5 *quae fors obtulerat* (tela); Hist. 2, 70 *varia fors rerum;* 4, 1 *ut quemque fors obtulerat;* Ann. 4, 27 *belli semina fors oppressit;* — 6, 22 *fatone res mortalium et necessitate immutabili an forte volvantur* (Vellej. *providentiam,* Cicero *deum* opponit huic voci; Liv. 1, 4 opposita conjunxit: *forte quadam divinitus,* indem die Gottheit es so fügte); 15, 72 *forte quadam habitu procerus — erat.* — Ann. 2, 41 *aedes Fortis Fortunae Tiberim juxta.* Cf. Liv. 10, 46 *Carvilius — aedem Fortis Fortunae de manubiis faciendam curavit prope aedem ejus deae ab rege Servio Tullio dedicatam;* Terent. Phorm. 5, 6, 1 *O Fortuna, o Fors Fortuna, quantis commoditatibus — hunc onerastis diem.* Vid. Hecyra 3, 3, 26; Eun. 1, 2, 54. Donato auctore Fors Fortuna co-

lebatur *quod in bono ponitur, Fortuna in incerto; fortuna dicta est incerta res, Fors Fortuna eventus Fortunae bonus.*

FOVERE saepissime idem valet ap. Tacitum quod *favere*, nisi quod intendit hujus verbi vim: Ann. 2, 43 *Drusum fovebat;* cp. 51 *Haterium Agrippam — fovebant;* cp. 71 *si me potius quam fortunam meam fovebatis;* 5, 6 *ceteri quem per dedecora fovere cum scelere insectantur;* 12, 1 *huic Pallas, illi Callistus* fautores *aderant; at Aelia Petina e familia Tuberonum Narcisso fovebatur;* Hist. 1, 8 *tamquam alias partes fovissent;* 3, 38 *dum Vitellius — fovet aemulum;* cp. 83 *hos, rursus illos clamore et plausu fovebat;* cf. locos a Forcell. omissos Liv. 26, 38 *rem Romanam fovebat;* 33, 48 *alias partes fovere;* Epit. 79 *utramque partem fovere;* Hirt. b. Alex. 62 *plures Marcellum fovebant;* Virg. Aen. 1, 281 *mecumque fovebit Romanos rerum dominos gentemque togatam;* Plin. epist. 7, 24, 4 *Habebat illa pantomimos, fovebatque effusius quam principi feminae conveniret.*

FRAMEA Germ. 6 *hastas, vel ipsorum vocabulo frameas gerunt angusto et brevi ferro;* cp. 11 *frameas concutiunt;* cp. 18 *uxori maritus offert — scutum cum framea gladioque.* cf. praeterea cp. 13. 14. 24. Praeter Augustinum usurpat h. vocem Juvenal. Sat. 13, 79 *Per Solis radios Tarpejaque fulmina jurat Et Martis frameam et Cirrhaei spicula vatis*, et Gell. 10, 25.

FRATERNITAS Ann. 11, 25 *soli Gallorum (Aedui) fraternitatis nomen cum populo Romano usurpant.* Ita Quint. Decl. 16, 2 *fraternitatis affectus.*

FREMERE v. accusat.

FREQUENS latius patet apud arg. aetatis scriptores quam ap. priores, praecipue quod saepius multo non solum ad homines, sed etiam ad locum et res inanimas pertinet; notandum est praeterea, Tacitum haud raro ad singulos quoque referre hanc vocem, qui crebro adfuerint. Ann. 4, 65 *montem eum (Coelium) antiquitus Querquetulanum cognomento fuisse, quod talis silvae frequens* (cum genitivo, quod sciam, nusquam praeter h. l.) *fecundusque erat.* Cf. Liv. 1, 9 *frequens tectis urbs;* 31, 23 *frequentia aedificiis loca;* — Ann. 2, 33 *erat quippe adhuc frequens senatoribus, si quid e republica crederent, loco sententiae promere,* ubi *frequens* idem est quod *usitatus.* Ita Gellius, Plin. maj. *usu frequens.* — Ann. 4, 55 *Caesar — adesse frequens senatui;* Agric. 37 *frequens ubique Agricola;* Ann. 4, 3 *Eudemus —*

medicus Liviae, specie artis frequens secretis; Hist. 4, 69 *Valentinus — haud perinde instruendo bello intentus, quam frequens concionibus.* Dativus explicandus est ex omisso verbo *adesse;* similiter *ad* particula jungitur Liv. 3, 24 *Kaesonem — tum frequentem ad signa — fuisse.* Confer de hac voce doctissime disserentem Doederl. in Synon. I p. 16 sqq.

FREQUENTARE 1) crebro venire, φοιτᾶν, tum frequentia celebrare, e vulgari usu Ann. 5, 10 *juvenis — jam juventutis concursu, jam publicis studiis frequentabatur;* Hist. 2, 16 *digressis qui Pacarium frequentabant;* Ann. 3, 48 *ut mors Sulpicii Quirini publicis exsequiis frequentaretur;* 13, 18 *ne coetu salutantium frequentaretur Agrippina;* 14, 4 *Quinquatruum festos dies apud Bajas frequentabat.* 2) sign. praegnante, ut est ap. Cic., i. q. saepe uti, usurpare, ap. Ovidium *Hymenaee frequentant* i. e. saepe clamant, ap. Senecam *frequentare memoriam alicujus,* Ann. 3, 25 *nec ideo conjugia et educationes liberûm frequentabantur.*

FREQUENTATIVA v. verbum.

FRUSTRA v. esse.

FUNGI v. accusat. insolentius usurpatur Ann. 14, 21 *cum eo sumptu respublica fungatur* i. e. cum eum sumptum praestet. V. similes locos ap. Ruhnk. ad Vell. 2, 15.

GANEA (apud priores etiam *ganeum,* sign. quidem propria) secundum Festum ἀπὸ τῆς γᾶς, aliis auctoribus a γάνος *laetitia,* 1) „taberna meretricum, quarum cubicula erant in terra plerumque, sicut coenacula in superiori aedium parte." Donat. 2) vita voluptuosa, gulae studium Ann. 3, 52 *ventris et ganeae paratus;* 6, 4 *inter ganeam et stuprum;* Hist. 2, 95 *sumptu ganeaque satiare inexplebiles Vitellii libidines.* Ita Liv., Cic., Sall., alii nonnullis locis (vide Drakenb. ad Liv. Epit. 50); atque cum iisdem usurpat Tacitus *ganeo* i. e. qui ganeas frequentat Ann. 16, 18 *ganeo et profligator, ut plerique sua haurientium.*

GENER, ap. alios quoque quibusdam locis signif. latiori, non solum de filiae, sed etiam de neptis, proneptis, sororis marito; ap. Tacitum, Ernestio quidem interprete, etiam de eo qui filii viduam duxit Ann. 5, 6 *qui conlegam et generum adsciverat Sejanum* (quippe qui Liviam, Drusi viduam duxerit); sed Sejanus et hoc loco et Ann. 6, 8 *gener Tiberii* appellatur „facta spe matrimonii cum nepte aliqua aut Germanici filia ineundi" ut recte contendit Rup. ad Ann. 5, 6, 3. Cf. Suet. Tib. 65; Tacit. Ann. 4, 40. Itaque *gener* h. l. idem

est quod *progener*. Eodem modo *amita* (soror patris) Ann. 2, 27 est *amita major;* Ann. 2, 43. 53 et 4, 3 *avunculus* dicitur pro *avunculo majore s. proavunc.* Ita Suet. Oct. 68 Julium Caesarem *avunculum Octaviani* dicit. Eadem ratio est *fratris* de fratre adoptivo; sic Germanicus frater Drusi vocatur qui filius Tiberii erat.

GENITIVUS in um desinens loco orum saepissime usurpatur a nostro. Ita *deum* prope constanter exhibet, dum ap. alios variant *deorum* (Ann. 1, 73; Germ. 34) et *deum; liberum* et *liberorum* dicit, hoc e. g. Ann. 4, 71, illud Ann. 2, 38; 3, 25. 35; 12, 44. Ita Liv. quoque et Cic. Cf. Or. 46 *non dicit liberum, ut plerique loquimur;* Verr. 1, 30; 5, 9. 45; pro Cluent. 61. 69. 70. — Eodem modo *posterûm* habet Tacitus Ann. 3, 72; *quindecimvirum* Ann. 6, 12. Livius haud raro utitur hac scriptura, dicitque *liberûm, deûm, duumvirûm, sociûm, modiûm, nummûm, talentûm, duûm, Celtiberûm.* More poet. ab argent. aet. scriptt. recepto Ann. 4, 41 *salutantum* legitur pro *salutantium* et sic plura ejusdem generis.

Syntaxis genitivi. Accuratius plerumque quam ceteri Tacitus exprimit hujus casus propriam rationem, ac saepe ibi quoque genitivo utitur, ubi vulgaris sermo ablativum vel accusativum praepositioni junctum usurpat. Proxime itaque accedit ad Graecorum usum.

1) genitivus qui dicitur objectivus. Ut alii nonnunquam pronomine utuntur possessivo, pro genitivo, e. g. *fiducia tua* dicentes pro *fiducia tui*, ita Tacitus contra, sui aevi more, praeeuntibus tamen exemplis priorum, genitivum pron. subst. usurpat loco possessivi, ut vulgo Graeci ἑαυτοῦ, μοῦ, σοῦ. neque sane est quod vituperemus hanc consuetudinem, nam exempla docent, magnam inde vim plerumque addi orationi. Ann. 14, 9 *hunc sui finem multos ante annos crediderat Agrippina contempseratque;* 4, 24 *Dolabella primo sui incessu solvit obsidium* (cum ipse dux Rom. accederet); 15, 36 *non longam sui* (Neronis, qui quantum se virum habuerit constat inter omnes) *absentiam et cuncta in republica perinde inmota ac prospera fore;* 2, 54 *ab Ilio, quaeque ibi varietate fortunae et nostri origine* (Romanus loquitur) *veneranda, relegit Asiam;* 6, 22 *non initia nostri* (mortalium) *non finem, non denique homines diis curae;* Hist. 3, 34 *hic exitus Cremonae, anno CCLXXXVI a primordio sui;* Ann. 15, 43 *aedificia — certa sui parte sine trabibus, saxo — soli — darentur.* — Cf. Cic. fin. 5, 13 *cui proposita sit conser-*

vatio

vatio sui, necesse est huic partes quoque sui caras esse; inv. 1, 51 *sui laus* (propria); Caes. B. G. 4, 28 *magno sui cum periculo;* Curt. 4, 12, 8 *ad Cyrum — originem sui referens;* 5, 5, 14 *quota pars nostri* (ita saepissime Seneca, et alii quoque); Plin. epist. 5, 6 *magna sui parte meridiem spectat;* 8, 8 *ipsa sui copiâ et quasi pondere impellitur;* 9, 39 *quibusdam sui partibus;* Traj. epist. 10, 29 *mei loco;* Pan. 22 *ad conspectum tui;* cp. 52 *magna sui parte;* cp. 76 *sub exemplo tui* (hic locus collatus cum aliis quibusdam supra laudatis probare videtur, principis dignitatem ac majestatem ita exprimi); Quintil. 11, 3, 52 *volubilitate — verba aliqua sui parte fraudantur;* Sen. prov. 2 *non labore tantum, sed motu et ipso sui onere deficiunt;* cp. 6 *spectaculum sui;* epist. 12 *voluptas jucundissimum in finem sui differt;* epist. 61 *finem nostri sine tristitia cogitemus.* — Nec mirum hoc apud Tacitum, qui omnino multus est in hujus genitivi usu, ibi etiam, ubi vulgaris quoque sermo, sed rarius, objectivum quem dicunt genitivum desiderat, vel admittit saltem, ut Cic. Att. 11, 8 *misit filium non solum sui deprecatorem, sed etiam accusatorem mei;* fin. 5, 9 *natura conservatrix sui;* de univ. 13 *imitantes — effectoren sui.* Curt. 8, 2, 2 *videbat — servatorem sui occisum;* 5, 9, 7 *taedio laboris ad vilitatem sui compelluntur ignavi;* Sen. ira 2, 36 *perturbavit illos tanta mutatio sui;* epist. 6 *subita mei mutatio;* epist. 25 *desperatio sui, tui reverentia, tui dignatio;* epist. 32 *tui satietas;* epist. 31 *ostentatio tui.* Sic saepius Seneca, unde patet, ultra fines vulgaris sermonis argenteam aetatem hunc usum extendisse. — Ann. 1, 14 *muliebre fastigium in deminutionem sui accipiens;* cp. 43 et saepius *tui memoria;* Dial. 13 *memoria mei;* Ann. 14, 13 *venerationem sui coram experiretur;* 2, 13 *fruitur famâ sui;* 15, 4 *ut famam sui praeiret;* cp. 49 *contra famam sui principium tanti facinoris capessivere;* Hist. 3, 3 *hanc sui famam ea statim concione commoverat;* Ann. 13, 2 *taedium sui moverat;* 4, 38 *cultus sui;* 3, 67 *defensio sui;* 2, 46 *jactantia sui;* 4, 40 *invidia tui;* 3, 38 *insolentia nostri.* Ejusdem generis sunt Ann. 2, 75 *luctus amissae sororis;* Hist. 1, 46 *vulgi largitio* et alia permulta.

Saepius, quam plerumque perhibetur, objectivus genitivus jungitur subjectivo: Hist. 3, 10 *proditionis ira militum;* Ann. 12, 26 *nemo adeo expers misericordiae fuit, quem non Britannici fortunae moeror adficeret.* Cf. Cic. N. D. 2, 63 *canum adulatio dominorum;* Caes. B. G. 1, 30 *pro*

veteribus Helvetiorum injuriis populi Romani, (Flor. 3, 21 *inexplebilis honorum Marii fames*); 3, 8 *Hujus civitatis est longe amplissima auctoritas omnis orae maritumae regionum earum*; 8 in praef. *Caesaris nostri commentarios rerum gestarum Galliae — contexui* (cf. cp. 48 *nullas habet Galliae magnopere res gestas*) ubi adjectivi vice fungitur genitivus. V. Heldium ad Caes. B. C. 2, 32 *Italiae fuga.* Ita noster Ann. 4, 57 *Rhodi secreto vitare coetus — insuerat*; 6, 15 *Cassius plebei Romae generis* i. e. plebeji et Romani quidem. Objectivi genitivi cum subjectivo conjunctio est etiam in loco sane difficili Ann. 14, 61 *itur et in principis laudes repetitum venerantium* (v. s. v. repetitus) i. e. ii qui repetitum (Octaviae) venerabantur, ibant in principis laudes, sive: qui principem ob repetitum Octaviae venerabantur, in ejus laudes ibant. Similis ratio est participii pronomen quod praecedit explicantis, ut est Hor. Sat. 1, 4, 23 *cum mea nemo scripta legat volgo recitare timentis*; nam apud nostrum quoque illud *venerantium* explicationi inservit praecedentis *itur*, nec raro Tacitus passive atque impersonaliter praemittit in oratione ea, quae deinde ad certos homines referuntur, ut Ann. 6, 44 *nihil omissum, quo ambiguos inliceret.* Vide etiam quae sequuntur n. 2.

2) consuetudinem exprimit genitivus pluralis Ann. 2, 1 *Phraates, quamquam depulisset exercitus ducesque Romanos, cuncta venerantium officia ad Augustum verterat* (i. e. quae praestari solent ab iis qui venerantur); 6, 40 *ne Tigranes quidem, Armenia quondam potitus ac tunc reus, nomine regio supplicia civium effugit* (i. e. quibus adfici solent cives); Agric. 4 *arcebat eum ab inlecebris peccantium praeter ipsius bonam integramque naturam, quod statim parvulus sedem ac magistram studiorum Massiliam habuerat* (i. e. a rebus, quae illecebrae esse solent ad peccandum hominibus); Dial. 29 *conligunt discipulos non severitate disciplinae, nec ingenii experimento, sed ambitione salutantium et inlecebris adulationis*, e quo quidem exemplo patet, illum genitivum optime explicari posse per genit. abstractt. vel etiam per adjectivum: *venerationis officia, illecebrae peccati s. peccandi, ambitio salutationis s. salutandi, supplicia civilia.* Aliorum hujus locutionis exempla non succurrunt.

3) Latius patet apud Tacitum usus genitivi indolem, proprietatem, statum ac conditionem rerum vel hominum exprimentis, atque eo quoque recedit

a vulgari dicendi genere, quod etiam plurali numero utitur. Ceterum eodem modo ablativum usurpat, et ipsum saepius quam ceteri, qui participium plerumque addunt (ut *summis honoribus affectus*). Quae a grammaticis de discrimine dicuntur, quod in hoc loquendi genere intercedit inter genit. et ablativum, Taciti quoque exemplis probantur. Sed cave credas semper genitivum spectare ad ea quae ingenita sunt, vel interna vi valent, ablativum pertinere ad extrinsecus adsumpta. Pendet haec res e scribentis cogitatione.

Ann. 3, 52 *princeps antiquae parcimoniae*; 6, 31 *Abdus ademptae virilitatis*; Hist. 4, 49 *Festus sumptuosae adolescentiae* (cf. Aurel. Vict. epit. 11. *Domitianus maculosae adolescentiae*); Ann. 6, 5 *incestae virilitatis*; cp. 30 *effusae clementiae*; Agric. 4 *mater Julia Procilla fuit, rarae castitatis*; cp. 9 *revertentem — provinciae Aquitaniae praeposuit, splendidae imprimis dignitatis*. (cf. insolentius dicta Liv. 30, 29 *Hannibal tumulum — tutum commodumque alioquin, nisi quod longinquae aquationis erat, cepit*. Plura hujus generis e Livio congessit Drakenb. ad 3, 62, 6.) — Plurali numero Ann. 4, 31 *Tiberius — velut eluctantium verborum*; cf. Suet. Dom. 20 *epistolas orationesque et edicta alieno formabat ingenio, sermonis tamen nec inelegantis, dictorum interdum etiam notabilium*.

Huc pertinet Tacito maxime frequens locutio *moris est* Germ. 13 *arma sumere non ante cuiquam moris cet.*; cp. 21 *abeunti, si quid poposcerit, concedere moris*; Agric. 33 *ut barbaris moris*; cp. 39 *ut Domitiano moris erat*; cp. 42 *sciant quibus moris est inlicita mirari cet.*; Ann. 1, 80 *id quoque* morum *Tiberii fuit*; Hist. 1, 15 *ut moris est*. Raro ita priores, saepius aequales Taciti. Cf. Cic. Verr. 1, 26 *moris esse Graecorum*; Liv. 36, 28 *quae moris Graecorum non sint*. (Tacitus semper fere dativo personae utitur). Bis jam Vellejus usurpavit hoc genus dicendi 2, 37. 40; Plin. epist. 1, 13 *habebat enim hoc moris*; 2, 19 *illis erat moris*; 3, 21 *fuit moris antiqui*; Paneg. 13 *non tibi moris*; v. etiam cp. 56. 82; Plin. H. N. 17, 12. 35; 19, 19; Quintilian. 1, 1, 13. 34 et passim.

Ablativus est Ann. 4, 64 *ab inlustribus famaque apud populum* (i. e. fama publica); 16, 15 *Ostorius multa militari fama*; 6, 9 *clari genus, et quidam summis honoribus*; 14, 11 *adverso rumore Seneca erat* (iisdem verbis Liv. utitur de Marcello); 6, 30 *incolumis multaque gratia mansit*; cp. 51

Drusus prosperiore civium amore erat; 12, 30 *Vangio ac Sido — subjectis — dum adipiscerentur dominationes multa caritate, et majore odio, postquam adepti sunt;* 13, 19 *Plautus — pari ac Nero gradu a D. Augusto;* 16, 10 *vidua implexa luctu continuo, nec ullis alimentis nisi quae mortem arcerent;* Agric. 16 *Trebellius segnior et nullis castrorum experimentis* (cf. Sall. Jug. 63 *nemo tam clarus neque tam egregiis factis erat*); Hist. 2, 82 *Vespasianus egregie firmus adversus militarem largitionem eoque meliore exercitu;* Ann. 4, 4 *quod patria benevolentia in fratris liberos foret;* cp. 20 *Cotta haud minus claris majoribus, sed animo diversus.* Locus Hist. 1, 8 *Cluvius, vir facundus et pacis artibus, bellis inexpertus* huc non pertinet. Vid. Zeugma in Proleg. de brevitate stili Tacitei.

Uterque casus conjunctus Ann. 12, 2 *femina expertae fecunditatis, integra actate;* 13, 54 *quasi impetus antiqui et bona aemulatione.* Cf. Liv. 21, 16 *Poenum hostem, veteranum trium et viginti stipendiorum, durissima militia.* Ita Walch. legit; alii aliter.

4) genitivus qui dicitur partitivus et ipse latius multo patet ap. nostrum quam apud ceteros, etiam poetas, jungiturque etiam iis adjectivis, quae vulgari sermone aut eodem quo substantiva, quibuscum conjuncta sunt, casu ponuntur, aut cum praepositione construuntur. Vide inter alia exempla Ann. 3, 21 *velocissimos legionum addiderat;* cp. 39 *leves cohortium;* 15, 20 *praevalidi provincialium;* 14, 8 *obvii servorum;* 12, 15 *paucas cohortium;* 13, 34 *pauci senum;* 12, 17 *navium quasdam* et *plerisque centurionum;* 14, 60 *cuncta scelerum suorum;* Hist. 2, 8 *militum quosdam;* cp. 22 *cum compluribus classicis et — cum paucis equitum.* Ita Livius *delecti equitum, expediti militum;* Sall. Cat. 53 *effoeta parentum* (vid. Cort.); Jug. 48 *humi aridum et arenosum;* Plin. H. N. 8, 74 *nigrae lanarum;* 11, 3 *degeneres canum;* similia idem exhibet 11, 50. 24; 12, 7; 16, 32; 25, 49 et Ruhnk. ad Vell. 2, 80. Ellipsis est in hoc usu Ann. 6, 12 *relatum — de libro Sibyllae, quem Caninius Gallus, quindecimvirum* (unus) *recipi inter ceteros — postulaverat;* Hist. 1, 31 *tribunorum Subrium et Cerium adorti milites minis.* Cf. Ann. 2, 60 *e senioribus sacerdotum* sc. aliquis.

Similem rationem sequuntur genitivi pronominibus juncti, ad augendam orationis vim ac perspicuitatem maxime Tacito frequentati: Ann. 12, 12 *Armeniam petunt id temporis*

importunam; cf. 13, 18. 20; 14, 2; 16, 15; 11, 32 *id repente solitudinis erat;* 12, 18 *Romanorum nemo id auctoritatis aderat;* 13, 54 *legatis id honoris datum;* 16, 14 *postquam id honoris indicibus* (esse) *accepit;* Hist. 4, 23 *neque unquam id malorum — ut . . .;* 2, 10 *ad hoc terroris* i. e. praeter hunc t.; Ann. 14, 43 *quidquid hoc in nobis auctoritatis est.* — Ann. 4, 4 *eodem loci potentiam et concordiam esse;* 14, 61 *non eo loci res suas agi, ut . . .;* 15, 74 *eo loci, ex quo Scevinus ferrum prompserat.* Cf. Cic. Verr. 2, 47 *hoc muneris — posco;* Vell. 2, 4 *ad id temporis;* 1, 1 *id nominis;* Cic. Manil. 15 *id ipsum temporis;* Cluent. 51 *cum id aetatis filio;* Liv. 1, 50 *quod id temporis venisset;* auct. b. Hisp. 3 *idem temporis* (eodem tempore); notanda est imprimis locutio Liv. 39, 8 *nec se ad id locorum scire cet.* bis dato.

De genitivo adjectivis neutr. gen. juncto, ut sunt *aperta camporum, avia saltuum* vid. adject.

5) genitivus nusquam saepius quam apud Tacitum junctus invenitur adjectivis relativis et participiis praes. act., perf. et futuri passivi, ubi ea exprimunt, quae ad internam mansuramque rei cujusdam, maxime animi naturam, non ad externas rerum rationes pertinent. Non multa hujus generis in vulgarem sermonem recepta sunt; plura exhibent praeter poetas Sallustius, Livius aliique quidam, Graecorum consuetudinem sequentes. Quo usu quantopere consulatur orationis brevitati ac perspicuitati, re ipsa patet. Ita optime inopiae Latini sermonis occurritur, qua laborat ob deficientem facultatem, quam apud Graecos Germanosque summam atque admirabilem prorsus invenimus in componendis conjungendisque uno vocabulo duabus sententiis, ut sunt e Graeco sermone φιλότεκνος, μισοπόλεμος, ἀναξιφόρμιγξ, λειπόθυμος, e Germanico: landesflüchtig, geistesabwesend, geistesarm, wonnetrunken, kriegslustig. Erit igitur operae, ordine quodam observato, quam plurima hujus rei exempla qualia inveniuntur apud Tacitum prioresque solutae orationis scriptores componere.

Ann. 1, 32 *ferox animi;* Hist. 1, 53 *inmodicus animi;* 2, 23 *promptus animi;* 4, 48 *turbidus animi,* Ann. 2, 26 *laetus animi;* 1, 69 *ingens animi;* 15, 53 *animi validus et corpore ingens;* 6, 46 et passim *incertus animi;* 4, 59 *fidens animi;* Hist. 3, 73 *captus animi;* 4, 84 *versus animi.* — Cf. Liv. 6, 11 *nimius animi;* Sall. Jug. 55 *animi anxius;* Hist. 2. p. 958 *animi atrox;* 3 p. 978 *firmatus animi* et *ingens virium atque*

animi; 4 p. 981 *anxius animi atque incertus;* p. 982 *nimius animi;* p. 991 *territus animi;* 6 p. 1003 *immodicus animi;* Vellej. 2, 93 *laetus animi et ingenii;* Plin. H. N. 7, 10 *versutus ingenii*, quae sola exempla esse videntur, quae *ingenii* vocem hoc modo exhibent. Vide quae dicta sunt in a b l a t i v o.

Hist. 1, 49 *Galba — visus est capax imperii;* (ita Vellej. et saepissime Plin. maj.) Ann. 13, 46 *procax otii;* Hist. 4, 5 *pervicax recti;* Ann. 4, 53 *pervicax irae;* 16, 32 *fallax amicitiae.*

Hist. 2, 25 *prudens doli;* Ann. 12, 51 *non rudis facinorum;* 1, 76 *expertus belli;* 5, 9 *imminentium intelligens;* 1, 64 *sciens rerum;* 2, 13 *Latinae linguae;* 3, 70 *humani divinique juris;* 6, 26 *divini humanique juris;* 4, 33 *callidus temporum;* 1, 20 *vetus operis ac laboris;* 6, 12 *vetus scientiae;* cp. 44 *regnandi;* Hist. 4, 20 *militiae* (sed Ann. 2, 66 *veterem stipendiis;* cf. 4, 52 *recens praeturâ*). Cf. Cic. pro Quint. 19 *sui negotii bene gerens;* Sall. Jug. 85 *locorum sciens;* Plin. epist. 6, 27 *intelligens principis nostri;* Sil. 4, 532 *gnaros belli veteresque laborum.*

Ann. 6, 46 *providus futurorum;* Hist. 1, 88 *futuri improvidus;* 3, 31 *socors futuri;* Ann. 2, 88 *incuriosus recentium;* 14, 2 *praenuntiae flagitii blanditiae;* Hist. 3, 38 *negligens amicorum* Ann. 14, 40 *neque morum* s p e r n e n d u s *habebatur.* Cf. Cic. pro Planc. *religionum colentes;* Coel. 30 *omnis officii diligentissimus;* Fam. 14, 4 *tui observantes;* fin. 2, 7 *quae sunt efficientia voluptatum;* 5, 5 *quae conservantia sunt ejus status;* 5, 27 *eorum* (*bonorum*) *conficientia;* Off. 3, 3 *efficiens utilitatis;* cp. 33 *voluptatis;* Sen. v. beata 6, 2 *judicii rectus.*

Ann. 6, 4 *praecipuus circumveniendi* et *primus luendae poenae;* 4, 34 *praeclarus eloquentiae et fidei;* 3, 74 *melior furandi;* Hist. 4, 66 *ingens rerum Civilis;* Ann. 4, 21 *validus orandi;* Hist. 3, 70 *vetandi potens;* Ann. 6, 33 *locorum potentes Iberi.* Ita *ingens virium atque animi* Sall. Hist. 3, 478; *potens* cum genit. haud raro ap. poetas legitur.

Hist. 5, 14 *pavidus nandi;* Ann. 4, 38 *pavidus offensionum;* 6, 21 *trepidus admirationis et metus;* 1, 62 *formidolosus hostium;* 4, 12 *anxius potentiae;* 2, 75; 4, 59 *anxius sui.* Ita *anxius animi* ap. Liv. et Sall. v. supra.

Ann. 15, 8 *vacuus rerum;* 4, 65 *mons talis silvae frequens fecundusque;* 6, 27 *genus fecundum bonorum civium;* Germ. 5 *Germania — frugiferarum arborum impatiens, pe-*

corum fecunda; Hist. 1, 2 *virtutum sterile saeculum*; Ann. 15, 12 *magna vis camelorum onusta frumenti*; Hist. 2, 6 *provinciae pecuniae opulentae*; Ann. 13, 55 *inops sedis*; 14, 10 *mentis*; 6, 34 *sociorum*; Hist. 2, 6 *virorum*; cp. 16 *auxilii*; Dial. 12 *oratorum et criminum inops saeculum*; Ann. 6, 24 *exspes vitae*; 12, 66 *egens ministrorum*. Ita *inops* et *egens* apud priores quoque. Cf. Horat. Sat. 1, 1, 79 *pauper bonorum*; Cic. *paternorum bonorum exheres*.

Hist. 5, 6 *corpora hominum salubria et ferentia laborum*; Ann. 6, 25 *impatiens aequi*; (ut vulgo) 1, 31 *intolerans laborum*; Hist. 3, 53 *insolens obsequii*; Ann. 6, 34 *contumeliarum*; 15, 67 *audiendi*; Hist. 1, 87 *bellorum*. Cf. Sall. Cat. 3 *insolens malarum artium*; Hist. 6 p. 1003 *insolens vera accipiundi*.

Ann. 1, 3 et passim *compertus flagitii*; 2, 85 *manifestus delicti*; 13, 23 *vanitatis*; 15, 66 *pavoris*; cp. 54 *magnae cogitationis*; 14, 29 *ambitionis*; 13, 26 *criminum*; 5, 11 *noxius conjurationis*; 4, 34 *factorum innocens*; 3, 29 *suspectus nimiae spei*; cp. 60 *capitalium criminum*. Cf. Liv. 32, 1 *sacrilegii compertus*; Sall. Jug. 35 *manifestus sceleris*.

Ann. 2, 73 *modicus voluptatum*; 3, 72 *pecuniae*; 4, 52 *dignationis*; 6, 39 *originis*; 15, 23 *ut laetitiae ita moeroris immodicus*; 13, 46 *temperans potestatis*; Hist. 3, 75 *nimius sermonis*; Ann. 11, 26 *properus irae*; 12, 66 *occasionis*; 14, 7 *vindictae*; 4, 59 *apiscendae potentiae*; 6, 25 *dominandi avidus*; Hist. 1, 49 *pecuniae alienae non adpetens, suae parcus, publicae avarus*; cp. 87 *urbanae militiae impiger*; Ann. 16, 14 *segnis occasionum*; 14, 33 *aliorum*; Hist. 1, 35 *ferox linguae*; Ann. 4, 12 *scelerum*; 12, 22 *atrox odii*; 14, 14 *cupiens voluptatum*; 15, 67 *scortorum*; 16, 6 *liberorum*; 2, 38 *retinens avitae nobilitatis*; 5, 11 *modestiae*; 6, 42 *conditoris Seleuci*; 16, 5 *moris*; Hist. 3, 57 *fidei constans*; — Ann. 6, 26 *continuus principis*; 15, 1 *profugus regni*; Hist. 4, 32 *irritus legationis*; Ann. 6, 36 *absentium aequus, praesentibus mobilis*; 4, 1 *obtegens sui*; cp. 7 *occultus odii*; 6, 36 *consilii*; Hist. 4, 4 *descicendi certus*; 2, 46 *consilii certus*; Ann. 6, 46; Hist. 3, 55 *incertus animi*; Ann. 1, 7 *ambiguus imperandi*; 2, 40 *pudoris ac metus*; Hist. 2, 83 *consilii*. — Cf. Liv. 3, 26 *imperii nimius*; 4, 57 *incertus sententiae*; Sall. Hist. 2 p. 959 *frugum pabulique laetus ager* et *belli promptissimus*; 4 p. 991 *consilii aeger*; Cic. Planc. 23 *retinens equestris juris*; Amic. 14 *adpetens similium*; Sall. Jug. 7 *adpetens gloriae*; (Cat. 5); Cat. 7 *pecuniae liberalis*; Hist. 6 p. 1005 *cupientissimus legis*.

6) genitivus insolentius quibusdam verbis jungitur.

a) monere Ann. 1, 67 *contractos in principia — temporis ac necessitatis monet; 2, 43 Plancinam haud dubie Augusta monuit muliebri aemulatione Agrippinam insectandi.* Similiter Sall., Livius, Quintil., alii *commonefacere, admonere* (Ann. 4, 8), *commonere* cum genit. construunt.

b) potiri et adipisci (apisci) praeter vulgarem structuram (*potiri* etiam cum accusat. conj.), cui adnumeranda est etiam locutio *rerum potiri* Ann. 1, 33; 11, 36; 13, 21; Hist. 3, 74: Ann. 4, 3 *postquam primi flagitii potitus est; 3, 73 ducis quoquo modo potiretur; 13, 6 regni ejus potitus*; cum accusat. Ann. 1, 36 *potiundis honoribus* (ita saepius priores); 11, 10 *potitus regiam.* Cf. auct. belli Afr. 18 *eorum potiri;* cp. 50. 61 *vivorum;* cp. 74 *cujus;* b. Hisp. 1 *Hispaniae;* cp. 2 *provinciae;* Nepos Lys. 1 *classis*; Tim. 2 *Syracusarum;* Curt. 3, 1, 16 *Asiae;* cp. 7, 2 *cujus;* 5, 10, 4 *regionis;* Sall. Cat. 47 *urbis;* Jug. 8 *imperii;* cp. 25 *Adherbalis;* cp. 74 *hostium;* Liv. 25, 14 *vexilli;* cp. 17 *capitis;* Cic. Fam. 1, 7 *regni*; fin. 1, 18 *voluptates, quarum potiendi spe....;* rep. 3, 15 *orbis;* cp. 22 *terrarum omnium.* — Terent. Adelph. 5, 4, 17 *patria potitur commoda;* v. 22 *potitus gaudia;* auct. b. Afr. 68 *oppidum potitur:* cp. 87 *castra potiri;* cp. 89 *id — potitur;* b. Hisp. 13 *oppidum potiri se posse sperant;* Nep. Eum. 3 *qui summam imperii potirentur;* Justin. 6, 4 *Thebani potiti victoriam;* 12, 7 *qui postea regnum Indorum potitus est;* Sisenna ap. Cort. p. 60 *omnia loca statim potitus;* p. 65 *hostes loca superiora potiti.* Ita praeterea Lucretius, Naevius, Pacuvius, Accius. (Fortasse Liv. quoque 23, 43, 13; 31, 45, 6 ubi vid. Drakenb.) Est igitur archaismus.

Adipisci c. genit. apud solum Tacitum Ann. 3, 55 *Galba rerum adeptus est; 6, 45 dum dominationis apisceretur.*

c) Ut vulgo a Tacito quoque genitivus jungitur verbis accusandi, incusandi, insimulandi, arguendi, interrogandi (cf. Ann. 16, 21 et Sall. Cat. 18) arcessendi (Ann. 2, 50; 4, 29), deferendi et similibus. Solus vero in hunc modum usurpasse videtur *urgere* Ann. 6, 29 *quia male administratae provinciae aliorumque criminum urgebatur.* — Recedunt etiam a vulgari dicendi genere Ann. 15, 44 *haud perinde in crimine incendii quam odio humani generis convicti sunt.* Cf. Cic. Q. fratr. 2, 2 *me tibi excuso in eo ipso, in quo te*

accuso; Verr. 2, 78 *in manifesto peccato teneri.* — Ann. 16, 21 *ad mortem damnabatur.*

d) insolentius constr. *pudet, pertaesum est, interest:* Agric. 32 *pudet dictu* (pro *dicere.* v. supinum); Ann. 15, 51 *Epicharis — lentitudinis eorum pertaesa* (vulgo *pertaesum est rei*); Hist. 1, 30 *vestra, commilitones, interest, ne imperatorem pessimi faciant.* Ita alii quoque, atque eodem modo *ut* nonnunquam ponunt; vulgo cum inf., accus. c. inf. et interrog. particulis constr.

7) genitivus participii futuri passivi adjuncto eodem casu substantivi (vel gerundii cum casu verbi) omissa voce *causa,* a nullo scriptore saepius quam a Tacito, brevitatis studiosissimo, ponitur ad exprimendum finem, quem quis sequitur: Ann. 1, 3 *abolendae infamiae;* 3, 27 *leges — dissensione ordinum et apiscendi inlicitos honores, aut pellendi claros viros, aliaque ob prava, per vim latae sunt;* Hist. 4, 25 *usurpandi juris;* cp. 42 *depellendi periculi;* Ann. 2, 1 *firmandae amicitiae;* cp. 59 *cognoscendae antiquitatis;* 3, 9 *vitandae suspicionis;* cp. 41 *ostentandae virtutis;* 6, 30 *omittendae delationis;* 13, 1 *jactandi ingenii;* 3, 27 *tuendae libertatis et firmandae concordiae;* sed 11, 3 *quaeque alia conciliandae misericordiae videbantur;* 2, 37 *nec ad invidiam, sed conciliandae misericordiae refero* et alii quidam loci, etiam inter supra laudatos, ad dativum potius referendi esse videntur, quem saepius etiam in hunc modum usurpat noster. — Ad hunc usum genitivi explicandum faciunt multa verba quibus ad exprimendam causam genitivus jungitur, ut sunt *accusare, damnare, pudet, taedet, miseret;* tum omissa vox causa, quamvis facillime supplenda ex orationis nexu: Cic. Fam. 12, 22 *hoc ego cum reipublicae causa censui, tum, mehercule, imprimis retinendae dignitatis tuae;* N. D. 2, 14 *cetera omnia aliorum causa esse generata — ut equum vehendi causa; arandi bovem; venandi et custodiendi canem;* multi denique loci priorum, ubi verbo substantivo additur genitivus: Liv. 5, 3 *tribuni plebis concordiam ordinum dissolvendae maxime tribuniciae potestatis rentur esse;* cp. 6 *etsi prodendae patriae dissolvendaeque reipublicae est;* 34, 54 *omnia discrimina talia — et concordiae et libertatis aeque minuendae esse;* 39, 16 (cf. 40, 29) *nihil aeque dissolvendae religionis esse,* 27, 9 *quae temere agitassent, ea prodendi imperii, tradendae Hannibali victoriae esse;* 38, 50 (cf. 3, 31. 39) *nihil tam aequandae libertatis esse quam cet.;* 4, 45 *quam roga-*

tionem — senatus censeat dissolvendae reip. esse; Sall. Cat. 46 *impunitatem perdundae reip.* (esse) *credebat;* ep. 6 *regium imperium, quod initio conservandae libertatis fuerat;* Jug. 88 *quae postquam gloriosa modo neque belli patrandi cognovit* (vid. ibi Cort., qui locos nonnullos attulit a nobis praetermissos); Cic. Verr. 2, 53 *quae res evertendae reipublicae solent esse.* — Sed sunt etiam multa apud alios scriptores, quae plane congruunt cum Taciti sermone: Cic. inv. 2, 5 *majoris vitandi incommodi praeteritur;* Sall. Hist. 1 p. 946 *exercitum opprimundae libertatis habet* et: *cum privata arma opprimundae libertatis cepisset;* p. 939 *at ille eo processit, uti — omnia retinendae dominationis honesta existumet;* p. 949 *arma cepit — legum ac libertatis subvertundae;* Caes. B. C. 1, 82 *illi impediendae rei — legiones educunt;* B. G. 4, 17 *naves dejiciendi operis a barbaris — missae;* 5, 8 *naves, — quas sui quisque commodi fecerat;* Liv. 9, 45 *mitterent Romam oratores pacis petendae amicitiaeque;* Vell. 2, 20 *gratia, cujus augendae — revocavit;* Quintil. 4, 1, 79 *paullo longius exordium rei demonstrandae repetam;* gerundium nude positum Ter. Ad. 2, 4, 6 *ne id adsentandi magis, quam quo habeam gratum, facere existimes.*

Ejusdem sunt generis genitivi juncti substantivis, nam et ipsi finem destinationemque rei exprimunt; Hist. 3, 40 *agendi tempora consultando consumpsit;* ep. 50 *dies rerum verbis terere;* Ann. 1, 58 *non hic mihi primus erga populum Romanum fidei et constantiae* (sc. ostentandae) *dies.* Cf. Curt. 5, 3, 4 *Madates — haud sane temporum homo, quippe ultima pro fide experiri decreverat.*

GENS et NATIO quatenus pertinent ad majores minoresve populos ac civitates, varie admodum usurpantur a scriptoribus. Maxime inter omnes Tacitus, praeeuntibus Cicerone ac Vellejo aliquot exemplis, distinguit *gentem* a *natione,* illa voce majoris terrae incolas, hac vero singularum provinciarum cives designando: Germ. 2 *nationis nomen in nomen gentis evaluisse paullatim;* cp. 38 *Suevi — non una gens — propriis adhuc nationibus nominibusque discreti.* Ita Cinithii Ann. 2, 52 *haud spernenda natio* vocantur, sed Musulani *valida gens;* 11, 9 *natio Frisiorum,* sed Germ. 35 *Chaucorum gens (immensum terrarum spatium tenent);* 15, 32 *nationes Alpium maritimarum;* 13, 30 *quod — velut infimam nationum Italiam luxuria saevitiaque adflictavisset.* Cf. Vellej. 2, 98 *atrox in Thracia bellum ortum, omnibus ejus gentis*

nationibus in arma accensis; Cic. Off. 1, 17 *propior est ejusdem gentis, nationis, linguae (societas)*; N. D. 3, 39 *deus — non curat singulos homines. Non mirum: ne civitates quidem. Non eas? ne nationes quidem et gentes.* Ubi igitur Cicero gentes nationesque conjungit, e. g. Verr. 4, 49 *ceterae gentes nationesque*, illa interpretationis ratio adhibenda est. — Ceteri paene omnes et Cicero etiam, exceptis illis locis, promiscue usurpant has voces, et ne Tacitus quidem semper observat illud discrimen: Germ. 34 *Angrivarios et Chamavos a tergo Dulgibini et Chasuarii cludunt aliaeque* gentes *haud perinde memoratae;* Ann. 4, 72 *id aliis quoque nationibus arduum, apud Germanos difficilius tolerabatur;* 2, 64; 72 coll. 73; sed non pertinet huc Ann. 3, 38 *Coeletae Odrusaeque et Dii, validae nationes*, nam, licet validae, nationes tamen erant significatione modo exposita, non gentes. Neque etiam recte huc retuleris cum Gesnero ac Forcellino Agric. 12; quamquam enim initio capitis dicitur: *quaedam nationes et curru proeliantur*, postea vero *nec aliud adversus validissimas gentes pro nobis utilius*, ex ipso tamen orationis nexu patet propria utriusque vocabuli significatio. — Inter omnes saepissime Cicero usurpat *nationis* vocabulum et de maximis quidem gentibus; cf. inter magnam exemplorum copiam de prov. consul. 8 *domitae sunt a Caesare maximae nationes;* de div. 1, 41 *Arabum natio;* Verr. 3, 89 *omnium nationum vis;* promiscue prorsus cum *gentis* nomine pro Font. 1, 2 Galli modo *gentes* modo *nationes* dicuntur. Idem vocabuli usus est ap. Caesarem ac Sallustium; Livius plerumque *gentis* vocem usurpat; *nationis* nomine sex locis usus est, et ita quidem, ut idem plane sit quod *gens:* 38, 48 *tanta natio* (de Gallis); cp. 17. 42 eodem modo; 32, 26 de Carthaginiensibus; 43, 1 *infestae nationes Istrorum et Illyriorum;* Epit. 77 *servus natione Gallus.* Ita semel Nepos Hannib. 1, 10. Curtius quoque plerumque *gentis* vocabulum, minus tamen raro quam illi *nationis* vocem usurpat, et ipse promiscue utrumque verbum. Eadem ratio est Senecae aliorumque hujus aevi. Ita epist. 58, 10 Graeci Romanique dicuntur *nationes.* Quaedam, quae ad hanc rem illustrandam faciunt, contulit Hess. ad Germ. 27.

Cum contemptu de servis dicitur *natio* (Race) Ann. 3, 53 *familiarum numerus et nationes;* 14, 44 *postquam vero nationes habemus, quibus diversi ritus, externa sacra aut nulla sunt, conluviem istam non nisi metu coercueris.* Similiter Cicero

Harusp. resp. 26; Sext. 44. 45. 63. Livius in hunc modum usurpat *genus*.

GENTICUS (Ammian., Avien., Tertull.) Ann. 3, 43; 6, 33 *more gentico*. Cf. Gron. ad Liv. 2, 58, 3.

GENTILIS ap. priores ad familias, ap. argenteae aetatis scriptores etiam ad gentes pertinet (non ad nationes, quod patet e loco Ann. 11, 1 *turbare gentiles* (i. e. gentis suae) *nationes*) Ann. 3, 59 *gentile solum* (i. e. patrium); 6, 32 *gentile imperium* (gentis suae); 12, 14 *Izates et Acbarus Arabum cum exercitu abscedunt levitate gentili* (huic genti propria); cp. 17 *praevaluit gentilis utilitas;* cp. 34 *gentilis religio*. Inferiori aevo *gentilis* idem est quod *barbarus* et *Christianae fidei non deditus*.

GERUNDIUM usu frequens est Tacito; haud raro infinitivi vice fungitur, ita tamen, ut, cum per utrumque exprimatur substantivum verbale, infinitivus in universum indicet quod gerundium ad certas rationes, ad consuetudinem et instituta refert, unde oritur intima gerundii cum imperfecto et infinitivo historico cognatio. Ann. 3, 60 *Tiberius, vim principatus sibi firmans, imaginem antiquitatis senatui praebebat, postulata provinciarum ad disquisitionem patrum mittendo;* 4, 2 *vim praefecturae, modicam antea, intendit, dispersas per urbem cohortes una in castra conducendo* et: *ut perfecta sunt castra, inrepere paullatim militares animos adeundo, adpellando; simul centuriones ac tribunos ipse deligere;* cp. 41 *ne adsiduos in domum coetus arcendo infringeret potentiam;* 13, 47 *suspectabat maxime Cornelium Sullam, socors ingenium ejus in contrarium trahens* (hoc participio utitur parum accurate pro gerundio ad variandam orationem, nam aliam participii, aliam gerundii rationem esse constat, cum quidem illud non ad consuetudinem pertineat) *callidumque et simulatorem interpretando*.

Interdum passivam vim adsumit gerundium: Germ. 44 *unus imperitat, nullis jam exceptionibus, non precario jure parendi* de obsequio quod illi uni praestetur. Vide Zumptii Gr. Lat.; Bremium ad Nep. Att. 9; Passow. et Hess. ad Germ. 44; Hessii varias lectt. II. p. 26.

Cum Livio saepissime Tacitus utitur gerundio cum accusativo pro participio fut. pass., cum in illo dicendi genere major sit vis et perspicuitas. Inter multa exempla cf. Ann. 2, 62 *cupido augendi pecuniam;* cp. 86 *egit grates Fontejo Agrippae et Domitio Pollioni, quod offerendo filias*

in rempublicam certarent; 4, 13 *mox per Africam ac Siciliam mutando sordidas merces sustentabatur;* 16, 7 *mortem Poppaeae — nova insuper invidia Nero complevit prohibendo C. Cassium officio exsequiarum;* Agric. 21 *laudando promptos et castigando segnes;* Ann. 3, 27 *apiscendi inlicitos honores aut pellendi claros viros* (sed 11, 23 *jus adipiscendorum in urbe honorum*). Vide genit. et dativum. Exempla Livii sunt 1, 20 *negligendo patrios ritus;* cp. 54 *obeundo pericula;* 3, 22 *territos caedendo;* cp. 55 *sanciendo novam legem;* 8, 13 *in deditionem accipiendo singulas urbes;* cp. 38 *carpendo novissimos;* 10, 39 *lacessendo quietos, resistentibus cedendo;* 33, 21 *his magnifice utendo;* cp. 36 *in comparando impigre classem;* — 2, 34 *tempus recuperandi jura;* 3, 66 *lupos opprimendi occasio;* 24, 23. 29 *novandi res occasio;* 29, 6 *cogitatio Locros urbem recipiendi* et sic passim. Livium accusat. etiam Gerundio in *dum* junxisse non observasse se dicit Drakenb. ad 6, 35, 2, incerta eorum locorum scriptura, ubi talia legantur; tamen ipse retinuit 40, 49, 1 *ad depopulandum Celtiberiam* (vide ibi adnot. ejus), et in aliis quoque locis vix est quod dubites de gerundio. Cf. Cic. partit. 14 *falsum fatendo;* Catil. 3, 8 *ad placandum deos;* Fam. 5, 17 *ad levandum fortunam tuam;* somn. Scip. 3 *ad tutandum rempublicam;* Fam. 10, 31 *ducendo exercitum in Italiam.*

Infinitivi loco positum est Ann. 2, 43 *Plancinam haud dubie Augusta monuit* (saepius cum infin. ap. nostrum) *muliebri aemulatione Agrippinam insectandi;* 3, 63 *cultus numinum utrisque, Dianam aut Apollinem venerandi;* 13, 26 *nec grave manumissis per idem obsequium retinendi libertatem, per quod adsecuti sint;* 15, 5 *Vologesi vetus et penitus infixum erat arma Romana vitandi;* cp. 21 *maneat provincialibus potentiam suam tali modo ostentandi.* His ultimis locis suppleri possunt *negotium, mos, consuetudo;* cf. Liv. 37, 16 *Omisso Patara amplius tentandi,* ibique Gronov. adnot. Vide infinitivum.

GESTAMEN Ann. 11, 33 *in eodem gestamine sedem poscit sumitque* ,,gestamen h. l. vehiculum aut carpentum: nam quatuor loca s. sedes vix in sella ab hominibus portari solita, dari possunt; dein tempus brevius huic itineri inpensum, quam ut ab hominibus portari potuerit sella quatuor hominibus onusta; denique vox illa jungitur verbo vehitur, nec simpl. sic dicitur, sed *gestamen sellae* Ann. 14, 4 (*gestamine sellae Bajas pervectam*); 15, 57 (*cum ad eosdem cru-*

ciatus retraheretur gestamine sellae et *gestatoria sella* Suet. Nero 26; Vitell. 16." Ryckius contra Lipsium. Ann. 2, 2 *lecticae gestamen.* Ita de vehiculo *gestatio* ap. Suet. Claud. 33 *solitus etiam in gestatione ludere, ita essedo alveoque adaptatis, ne lusus confunderetur;* de navi et vehiculo Celsus 2, 15 Ernestio laudante. De *sella* et *lectica* earumque discrimine v. Rup. ad Juvenal. 1, 64. Ceterum *gestamen* plerumque (a Virgilio, Silio, Val. Flacco, Plin. maj.) usurpatur de ornamentis armisque; sed a Valerio Flacco etiam de pertica, a Sedulio de asino.

GESTARE singulis locis ap. Liv. et Cic. i. q. *portare;* saepius argent. aetate et ap. poetas et *portare* est et *adferre,* ut ap. nostrum Hist. 2, 62 *ex urbe atque Italia inritamenta gulae gestabantur;* Germ. 7 *cibosque et hortamina pugnantibus gestant.*

GLADIATORES v. editio.

GLADIATURA (Sidonius) Ann. 3, 43 *adduntur e servitiis gladiaturae destinati.*

GLISCERE Gron. et Doederl. Synon. 1 p. 21 derivant a *crescere,* ut *celeber* ortum sit e voce *creber,* καλύπτω e κρύπτω, φυλάσσω e φράσσω, ἀλέγω ex ἀρκέω, ἀλαπάζειν ex ἁρπάζειν. Ubique est *latenter et sensim crescere,* unde non male fortasse originem vocis repetieris a *glire* hiberno somno pinguescente, nam Festi interpretatio, qui e contrario *glis* deducit a *gliscere* repugnat linguae legibus. Inter omnes maxime Tacitus usurpat hanc vocem, interdum etiam in bonam partem, dum priores semper in malam trahunt. Ita Livius dicit: *bellum, seditio, invidia, facinus gliscit;* Cicero *libido gliscit ut ignis oleo;* Sall. *ventus gliscit;* Plaut. Asin. 5, 2, 62 *pulchre hoc gliscit proelium.* — Ann. 1, 1 *gliscente adulatione;* 2, 33 *singulos gliscere* (i. e. ditescere); 3, 19 *gliscit utrumque* (vera et falsa) *posteritate;* cp. 25 *glisc. multitudo periclitantium;* cp. 69 *glisc. potestas;* 4, 5 *gliscere numero — legiones;* cp. 16 *glisc. dignatio;* cp. 17 *discordia;* cp. 27 *multitudo familiarum;* cp. 35 *auctoritas;* 6, 19 *saevitia;* 11, 22 *gliscentibus negotiis;* 12, 54 *gliscente pernicie;* 14, 15 *glisc. flagitia;* 15, 10 *gliscentibus periculis;* cp. 23 *unde gloria egregiis viris et pericula gliscebant;* cp. 64 *glisc. invidia;* 16, 3 *luxuria;* cp. 22 *si gliscere et vigere Brutorum aemulos passurus es;* Hist. 2, 9. 83 *gliscit fama;* 4, 25 *iracundia;* cp. 43 *certamen.* — Exempla Livii, Ciceronis et Sallustii sunt Liv. 2, 19. 23; 6, 14; 27, 3; 29, 2; 33, 43; 38, 42; 42, 2 (vide Drakenb. ad Liv. 6, 14, 1);

Cic. fragm. ed. Bip. T. XII p. 314; Sall. Hist. 3 p. 966. Praeter hos Colum. Plaut., Virgilius et alii poetae nonnunquam h. v. utuntur, maxime Silius, Livii imitator.

GLOBUS de hominum, maxime militum conferta multitudine Ann. 2, 11 *ut ingruentes catervas globo frangerent;* 3, 74 *plures per globos incursare;* 4, 50 *firmatae stationes densioribus globis;* 12, 14 *donec Carrhenen — integer a tergo globus circumveniret;* cp. 43 *militum globo infensos perrumpit;* cp. 54 *immittere latronum globos;* 13, 25 *propriis cum globis eadem exercebant* (*obviis vulnera inferebant*); 14, 61 *emissi militum globi — turbam disjecere;* 15, 60 *villam globis militum sepsit;* 16, 27 *aditum senatus globus togatorum obsederat;* Hist. 3, 22 *permixta vexilla, ut quisque globus capta ex hostibus huc vel illuc raptabat;* Germ. 13 *magno semper electorum juvenum globo circumdari.* Rarius multo alii hac voce utuntur. Ap. Livium legitur *hominum, armatorum, mulierum, juvenum globus;* cum contemptu Sall. Jug. 85 *globus nobilitatis.* — Ut Cicero de stellis, ita similiter Tacitus Ann. 2, 23 *atro nubium globo effusa grando.*

GNARUS et IGNARUS 1) active Agric. 6 *gnarus sub Nerone temporum;* Hist. 2, 29 *gnarus, civilibus bellis plus militibus quam ducibus licere;* cp. 65 *animo anxius et petitum se criminationibus gnarus;* cp. 83 *gnarus modicas vires sibi;* 5, 19 *gnarus deesse naves.* — Hist. 1, 49 *amicorum — si mali forent, usque ad culpam ignarus;* cp. 67 *ignari de caede Galbae;* cp. 70 *Othonis ignari;* 4, 50 *ignari Pisonis;* cp. 84 *nec sum ignarus, esse quosdam cet.* Ita minus saepe alii cum acc. c. inf.: *gnarus* ap. Liv. 23, 28; 33, 5; Plin. H. N. 8, 56 et saepius (ut *prudens* cp. 57); *ignarus* Liv. 33, 10. 2) passive *gnarus* apud unum Tacitum Ann. 1, 5 *gnarum id Caesari;* cp. 51 *quod gnarum duci;* cp. 63 *in paludem gnaram vincentibus;* 3, 6 *gnarum id Tiberio fuit;* 12, 45 *nobis ea pars militiae maxime gnara est;* 15, 61 *idque nulli magis gnarum quam Neroni.* — *ignarus* etiam ap. Virg., Ovid., Senecam, Gellium, Sall. Jug. 18 *ignara lingua;* cp. 52 *regio hostibus ignara;* cp. 93 *cupido ignara visundi;* cp. 103 *largitio multis ignara.* — Ann. 2, 13 *per occulta et vigilibus ignara;* 3, 69 *non quidem sibi ignara;* 4, 8 *non quidem sibi ignarum, posse argui;* 6, 22 *fallaciis ignara* (obscura) *dicentium;* 12, 11 *ignara barbaris;* cp. 45 *nihil tam ignarum barbaris quam machinamenta;* 13, 12 *Senecio liberto Caesaris patre genitus, ignara matre;* 15, 62 *cui enim ignaram fuisse*

saevitiam Neronis; Hist. 3, 8 *quae ignara Vespasiano.* — Cf. Ann. 1, 50 *iter — hostibus incautum* (i. e. de quo hostes non cogitaverant); cp. 59 *aliis gentibus — nescia tributa;* 16, 14 *neque nescium habebat, Antejum — invisum Neroni.* Ita Plautus. V. incautus, praeterea volens (in participio), formidolosus, credulus.

GRAECISMI v. in Proleg. de poetico stili Tacitei colore.

GRANDAEVUS poetice Hist. 3, 33 *grandaevos senes — trahebant.*

GRANDIS vox longe usitatissima Ciceroni, tum Tacito, poetis et argenteae aetatis scriptoribus, maxime Senecae, rara apud ceteros. En omnia Taciti, Ciceronis, Livii, Caesaris, Sallustii exempla: Ann. 14, 51 *grande desiderium;* cp. 53; Hist. 2, 47 *grande pretium;* 16, 17 *grande adjumentum* et *grandis pecunia;* cp. 30 *grandis aevo parens;* Hist. 1, 20 *grande gaudium;* cp. 59. 76; 2, 87 *grande momentum;* cp. 78 *grande id prosperumque;* Agric. 2 *grande documentum;* cp. 3 *grande spatium;* cp. 37 *grande spectaculum;* cp. 44 *grande solatium.* — Cicero: *grandis pecunia* Rabir. 2; Fam. 13, 61; Att. 8, 14; 14, 12; Off. 3, 23; Quint. 11; Verr. 1, 6. 9; 2, 1, 41. 54; (2, 7 et cp. 57 *pergrandis*); 2, 20; 3, 27. 98; 4, 17; Cluent. 12. 24; Sext. 26; prov. cons. 4; *grande pondus* Verr. 1, 36; 4, 14; 5, 72; Caecin; 4. N. D. 3, 34; *pergrande vectigal* l. Agr. 1, 4; 2, 21; *grande foenus* Flacc. 21; Phil. 2, 39; *grandes libri* rep. 3, 8; *grandiores* Att. 13, 13; *grandis epistola* 13, 21; *subgrande cubiculum* Q. fratr. 3, 1; *patella grandis* Verr. 4, 21; *grande vas* ibidem; *gemma pergrandis* cp. 27; *grandes litterae* cp. 34; *grandes hydriae* cp. 44; *grandes conchae* N. D. 2, 48; — *grande vitium* inv. 1, 47; *vegrandis macies* l. Agr. 2, 34; *duae res grandes necessitudo et affectio* inv. 2, 52; cf. fin. 3, 5; *exemplis grandioribus uti* div. 1, 20; *grandes oratores* (opp. *tenues*) de opt. g. orat. 1. cf. 3. Ita sensu rhetorico partit. 17; inv. 3, 38. 43; Brut. 7. 9. 33. 83. 84; Orat. 9. 20; fin. 4, 3; Tusc. 5, 16; 1, 16. — *grandis natu* Rosc. Com. 15; Verr. 1, 30; 5, 7. 49; sen. 4. 18; *grandior natu* Brut. 19; inv. 1, 24; *grandior aetas* Phil. 5, 17; *plane grandis* sen. 4; *grandem fuisse* cp. 6; *grandis filius* Verr. 3, 68; *grandis et nubilis filia* Cluent. 5; *puer non grandis* cp. 64; *grandis jam puer* Pis. 36. — Livius dumtaxat *grandis pecunia* 10, 46; 27, 20; 32, 40; *grande periculum* 21, 50; *grandis bestia* 25, 9; *pergrandis natu* 29, 29; Caesar *tumulus, saxa, cervi gr.* B. G. 1, 43. 72; 7, 23. 46; Sallustius Cat. 14, 24 *alienum aes gr.;* 49

pecunia

pecunia grandis; Jug. 93 *gr. ilex;* Hist. p. 966 *faselus;* — Sisenna ed. Cort. p. 64 *trahi grandes* et *aetatis granditas.* Nepos at alii fortasse nonnulli nunquam usurparunt. Cf. Doederl. Synon. III p. 224.

GRASSARI, a *gradior,* maxime Tacito frequentatur Ann. 4, 47 *dum eminus grassabantur sagittarii;* cp. 66 *accusatorum vis grassabatur;* 13, 4 *ut — paucorum potentia grassaretur;* cp. 25 *ubi Caesarem esse qui grassaretur* (welcher umherschwärmte, ut injuriis afficeret homines; ita Cic. *grassatores* dicit *praedones*) *pernotuit;* 15, 40 *redibat levius rursum grassatus ignis;* cp. 60 *ut ferro grassaretur, quando venenum non processerat;* Hist. 3, 39 *placuit veneno grassari;* 4, 56 *dissimulatione — grassari;* cp. 16 *Civilis dolo grassandum ratus.* — Ad explicandum hunc verbi usum faciunt Sall. Jug. 1 *animus — ad gloriam virtutis via grassatur* collato auct. epist. 1 ad Caes. de ord. rep. 5 *animus ferox prava via ingressus.* Cf. praeterea locos a Forcell. omissos Liv. 2, 27; 6, 5; 42, 18; 45, 23; Sall. Hist. 6 p. 1007; Curt. 5, 6, 6 ed. Schmied.; Sen. v. beata 27.

GRATARI Ann. 2, 75 *inter venerantis gratantisque adspici solita;* 6, 21 *incolumem fore gratatur;* 12, 7 *obvium apud forum praebet se gratantibus;* 14, 8 *ad gratandum sese expedire* (*multitudo*)*;* cp. 10 *centurionum — prensantium manu gratantiumque quod discrimen — evasisset;* Hist. 2, 29 *laudantes gratantesque.* Ita poetae loquuntur et Liv. 7, 13; 9, 43 ubi v. Drakenb. Minus saepe Tacitus usurpasse videtur *gratulari,* ut Ann. 15, 23; Hist. 4, 64.

GRATES i. q. *gratiae,* qua voce minus saepe utitur Tacitus (e. g. Ann. 2, 13; 15, 62) Ann. 1, 69 *laudes et grates habentem;* 6, 2 *egit gratis benevolentiae patrum;* 12, 37 *Agrippinam — iisdem quibus principem laudibus gratibusque venerati sunt* (v. defectiva); ita Ann. 2, 38. 86; 12, 53; 14, 13. 56; 15, 20. 71. 74; Hist. 2, 55; 3, 80; 4, 39. 64. Nota res est hanc vocem plerumque ad gratum erga deos animum a ceteris scriptoribus, (cf. Drakenb. ad Liv. 23, 12, 7) maxime a poetis referri. Cf. tamen Liv. 10, 25 *diis populoque Romano grates agunt;* Curt. 9, 6, 17 *vobis o fidissimi piissimique civium — grates ago habeoque.* Vid. Doederl. Synon. II p. 213.

GRAVARE 1) i. q. augere translate ap. unum prope Tacitum Ann. 14, 12 *quo gravaret invidiam matris.* Cf. onerare. Liv. 42, 5 *gravatum injusto foenore aes alienum.* 2) i. q. one-

rare Ann. 1, 20 *quem — sarcinis gravant.* Ita poetae, aequales Taciti, seriores, sed etiam Liv. (*gravari militiâ, gravatus vulneribus, vino somnoque;* v. Glossar. Ern.) 3) gravari aliquid i. q. moleste, graviter ferre Ann. 3, 59 *sane gravaretur adspectum civium senex imperator;* 5, 8 *spem ac metum juxta gravatus.* Ita aequales et poetae. Cicero et Livius jungunt huic verbo *quod* particulam et infinit.

GRAVESCERE i. q. ingravescere, augeri Ann. 1, 5 *gravescere valetudo Augusti;* 14, 51 *gravescentibus indies publicis malis.* Ita Lucret. *aerumna gravescit.*

HABERE cujus maxime ap. Tacitum variat usus 1) i. q. tractare a) cum adverbio (proprie Ann. 2, 14 *nec enim immensa barbarorum scuta — perinde haberi* i. e. geri, tractari, unde *habilis* cp. 6; 4, 53 coll. Vell. 2, 102. 110. 113) Ann. 1, 54 *populum molliter habitum* (Plin. epist. 5, 19 *video quam molliter tuos habeas*); 2, 10 *neque conjugem — hostiliter haberi;* , 33 *noscenda vulgi natura et quibus modis temperanter haberetur;* 3, 13 *ambitiose avareque habitam Hispaniam;* 13, 30 *ob Sardiniam provinciam avare habitam;* cp. 29 *varie habita ac saepe immutata ejus rei forma;* 4, 44 *magnae opes innocenter paratae et modeste habitae;* 6, 7 *modeste habita Sejani amicitia.* Cf. Liv. 2, 22 *liberaliter habiti cultique;* 37, 34 *neque liberalius, neque benignius haberi colique adolescentem potuisse;* 39, 1 *sub imperio Cn. Manlii solute ac negligenter habiti sunt;* Sall. Jug. 103 *eos adcurate ac liberaliter habuit.* Curt. 8, 8, 11 *qui superbe habiti rebellassent.* b) cum praepositione substantivo juncta vel simili modo Hist. 1, 79 *externa sine cura habebantur* (incuriose); Ann. 1, 31 *legiones — habebantur per otium aut levia munia;* 4, 6 *quibus modis — habitae sint reip. partes;* 12, 23 *ut senatoribus — jure quo Sicilia haberetur, res suas invisere liceret;* cp. 47 *vulgus duro imperio habitum.* Cf. Liv. 2, 47 *nec alibi majore cura habiti* (*saucii*); 39, 2 *ne in otio militem haberet;* (Epist. 57 *militem quotidie in opere habuit*); Sall. Jug. 44 *exercitus sine imperio et modestia habitus;* cp. 92 *milites modesto imperio habiti;* Catil. 5 *quomodo rempublicam habuerint* (*majores*). 2) i. q. ferre, accipere, tolerare, ut Sall. Cat. 37 *egestas facile habetur sine damno,* duplici illo modo, quem supra exposuimus Ann. 4, 21 *quae — Tiberius civiliter habuit;* 3, 70 *neque tantum maleficium impune habendum;* Hist. 2, 38 *facile habebatur aequalitas;*—Ann. 12, 48 *omne scelus externum cum laetitia habendum;* Hist. 2, 21 *in levi habitum.* 3) eodem

pertinent *procul habere* et *frustra habere* Ann. 6, 32 *arma procul habere* (i. e. bellum evitare); 1, 1 *sine ira et studio, quorum causas procul habeo* (i. e. nullas habeo, longe a me remotae sunt; alia ratio est loci Sall. Cat. 4 *reliquam aetatem a republ. procul habendam* i. e. agendam *decrevi*); 13, 37 *Corbulo — frustra habitus* (deceptus); cp. 51 *quae brevi servata, dein frustra habita sunt* (neglecta). 4) i. q. reddere, facere (vid. Schützii Lex. Cic. s. h. v. n. 20): Ann. 2, 57 *cuncta — prospere composita non ideo laetum Germanicum habebant* (Cic. in malam partem *miserum, sollicitum aliquem habere*); Ann. 2, 44 *Maroboduum regis nomen invisum apud populares* (sc. habebat i. e. reddebat), *Arminium pro libertate bellantem favor habebat* (i. e. sequebatur. Zeugma est). Cf. Sall. Jug. 10 *neque ea res falsum* (*me*) *habuit*; Liv. 39, 29 *qui pascua publica infesta habuerant* (infestaverant); Sall. Cat. 41 *dent operam, uti eos quam maxime manifestos habeant.* V. ibi Cort. et praeter locos ab eo laudatos Vell. 2, 1 *Pompejum gratia impunitum habuit*; Plin. epist. 2, 9 *anxium me et inquietum habet petitio Sexti.* 5) i. q. tenere, (habitare), obtinere Ann. 1, 1 *urbem Romam a principio reges habuere* i. e. tenuere (Sall. Cat. 6 *urbem habuere* i. e. habitavere *Trojani*, ubi v. locos similes e Floro, Curtio, Sulp. Severo a Cortio allatos; cf. etiam Drakenb. ad Liv. 30, 4, 2 *situm formamque et universorum castrorum et partium, qua Poeni, qua Numidae haberent — specularentur*); Ann. 4, 5 *Hispaniae tribus legionibus habebantur*; 12, 54 *cui pars provinciae habebatur*; 14, 18 *agros regi Apioni quondam habitos*; 1, 9 *arma civilia — quae neque parari possent neque haberi per bonas artes*; 11, 29 *potentiam — haberi*; — i. q. custodia habere Ann. 2, 58 *ne Vonones in Syria haberetur*; cp. 63 *Maroboduus — Ravennae habitus*; 14, 3 *postremo, ubicunque haberetur* (*Agrippina*) *praegravem ratus, interficere constituit.* 6) haberi ut vulgo i. q. credi, putari Ann. 3, 55; 6, 48; 12, 15; 14, 40, sed ita, ut interdum idem fere sit quod esse: Ann. 4, 4 *Drusus, quamquam arduum sit eodem loci potentiam et concordiam esse, aequus adolescentibus aut certe non adversus habebatur*; 3, 31 *quod haud perinde publice usui habitum quam exitiosum multis, quorum in pecuniam — saeviebat.* Cf. Curt. 3, 18 *inter fideles socios habebatur*; Sall. Cat. 1 *virtus clara aeternaque habetur* ibique Cort. 7) De locutionibus *dicendum habere, in custodiam habere* vide participium et accusativum.

HABITUS 1) in universum est i. q. conditio, status, et animum etiam exprimit, quo quis affectus est Hist. 1, 4 *qualis status urbis, quae mens exercituum, quis habitus provinciarum;* cp. 8 *hic quidem Romae — habitus animorum fuit.* Cf. Cic. inv. 2, 53 *Justitia est habitus animi — suam cuique tribuens dignitatem;* Liv. 9, 17 *habitus Italiae;* Vell. 2, 99 *quis fuerit eo tempore civitatis habitus, qui singulorum animi.* 2) ut ap. Graecos σχῆμα ad corpus spectat, cum ad universam ejus speciem (opp. *vultui*), tum ad vestitum, omnino ea exprimit quae ad cultum corporis pertinent; Germ. 4 *habitus corporum;* Dial. 8 *corporis;* Agric. 11 *positio coeli corporibus habitum dedit;* Germ. 46 *in Sarmatarum habitum foedantur;* Ann. 4, 59 *habitu tali repertus est a militibus;* Ann. 1, 10 *quaedam de habitu cultuque et institutis ejus jecerat;* 2, 59 *cultu habituque ejus lenibus verbis perstricto.* 16, 22 *habitum vultumque ejus sectantur;* cp. 32 *habitu et ore ad exprimendam imaginem honesti exercitus;* Hist. 1, 17 *nihil in vultu habituque mutatum;* 2, 52 *vultum habitumque trahere in deterius* (Germ. 31 *exuere votivum obligatumque virtuti oris habitum* Liv. 2, 61 *idem habitus oris*); — Hist. 1, 85 *sparsis per domos occulto habitu* maxime ad vestitum pertinet; Suet. Oct. 40 *etiam habitum vestitumque pristinum reducere studuit.*

HACTENUS vox ap. Tacitum creberrima, cujus tamen usus non recedit a vulgari consuetudine 1) et loci et inde translate cujuscunque rei finem terminumque indicat (so weit, in so fern, nur so viel) Germ. 35 *hactenus in Occidentem Germaniam novimus;* cp. 25 *servus hactenus paret;* Ann. 2, 34 *Tiberius hactenus indulgere matri civile ratus, ut se iturum — diceret;* 16, 15 *hactenus manu servi usus, ut immotum pugionem extolleret;* 14, 7 *hactenus adito discrimine, ne auctor dubitaretur* (utramque particulam *ut* et *ne* Cic. quoque junxit huic vocabulo Att. 13, 49; divin. 1, 8); cp. 3 *interficere eum constituit, hactenus* (nur das) *consultans, veneno an ferro, vel qua alia vi;* 12, 42 *hactenus Vitellius voluerat;* 14, 51 *sciscitanti hactenus respondisse: Ego me bene habeo;* 15, 60 *solus Natalis et hactenus prompsit, missum se ad aegrotum Senecam.* 2) quibusdam locis ad tempus spectat (contra disputat Selling. in observatt. critt. in T. Agric. p. 12) Ann. 13, 47 *hactenus Nero flagitiis et scelerib u velamenta quaesivit;* Agric. 10 *dispecta est et Thule, quam hactenus nix et hiems abdebat.* Cf. Liv. 7, 26 *hactenus qui-*

etae utrimque stationes fuere; Flor. 1, 11, 5 *hactenus pro libertate, mox de finibus cum eisdem Latinis assidue pugnatum est.*

HAERERE *criminibus repetundarum* Ann. 4, 19. cf. Cic. Mil. 21 *haesit in iis poenis, quas ab eo servi fideles pro domini vita expetiverunt* (vide similia in Lex. Schützlano). — Hist. 4, 19 *se cum exercitu tergis eorum haesurum.* Ita Liv. et Curtius loquuntur.

HAUD intentius negat quam *non*, unde creberrima est locutio *haud scio an* (rarius *nescio an*) et per *λιτότητα* usurpatur ab omnibus paene scriptoribus, maxime a Sallustio (vide Cort. ad Sall. Cat. 3). Inter omnes accuratissime observat hoc discrimen Cicero, apud quem paucis admodum locis *haud* promiscue usurpatum inveneris cum *non* particula. Exempla ejus, iis exceptis quae *haud scio an* exhibent, omnia sunt quae sequuntur: 1) *haud sane* Senect. 2. 23; de univ. 3; de legg. 2, 7; Off. 2 2; Tusc. 3, 1; 5, 40; N. D. 2, 2. 55; de or. 3, 31; Att. 10, 8; Consol. ed. Bip. p. 375. 377. 381. 382; 2) *haud paullo major, haud obscurum odium* et alia *λιτότητος* exempla, nonnunquam *nae* particula praemissa: de univ. 14; ad Brut. 16; Att. 8, 14; 7, 3; Fam. 6, 4; 7, 1; Att. 2, 11; 5, 20; fin. 5, 21 et in fragm. ap. Augustin. *haud paullo;* Or. 44; Quint. 3 *itaque hercule haud mediocriter;* Flacc. 33; Harusp. resp. 1. 25; rep. 1, 3; 2, 31; Mil. 25; Tusc. 1, 42; de legg. 2, 6; 3, 14; Off. 3, 30. — Sine vi, ut idem fere sit quod *non* rep. 1, 1; Senect. 5 *haud procul* (quod idem Curtius haud raro usurpat sine ulla significationis intentione). — 3) Cum verbis Att. 2, 24 *haud reclamatum est;* Tusc. 2, 1 *omnino haud placere;* N. D. 2, 21 *haud erravero;* divin. 2, 39 *haud ignoro;* de legg. 3, 12 *haud equidem adsentior;* Att. 7, 15 *sed is haud auditus est in consilio;* 14, 12 *haud amo vel hos designatos;* 16, 1 *de Sexto pro certo habeo, haud arma* (eum sumpturum); senect. 23 *haud — niteretur;* rep. 1, 15 *haud dubitavit;* cp. 18 *haud placere.* 4) cum pron. et particulis de univ. 6 *haud ita;* cp. 13 *haud iisdem;* Off. 2, 7 *haud fere quisquam;* de legg. 2, 18 *haud satis.* — *haudquaquam* de or. 1, 9; 2, 33; 3, 22; amicit. 18; de univ. 11. — Sed sunt etiam scriptores, qui praeter *haud scio an* locutionem vix unquam usurpant hanc vocem, e. g. Caesar; alii contra saepius paene quam *non* ponunt, ut Livius et Tacitus, unde patet non ab omnibus observatum esse illud discrimen, non semper dumtaxat, eaque Taciti maxime ratio

est, quamquam plerumque apud eum quoque major inest vis in *haud* quam in *non* particula. Cf. e. c. Ann. 2, 62 *haud leve decus*; 12, 67 *haud ignarus*; 15, 68 *haud nescius*; Hist. 2, 58. 81 *haud spernendis viribus*; 3, 75 *hic exitus viri haud sane spernendi*; Ann. 11, 33 *praetorii praefecto haud satis fidebat* (gar nicht recht); 3, 34 *haud semper aequo animo*; 4, 17 *haud unquam*; 12, 2; 14, 55. 60; Hist. 2, 66 *haud quaquam*. Ita persaepe Livius, qui etiam *hauddum* usurpat. Vide Drak. ad 37, 54 et ejus indicem.

HAURIRE non abhorret quidem ap. T. a priorum usu, sed saepius fortasse et nonnunquam peculiari modo usurpatur 1) de aqua, igne, nive Ann. 1, 70 *hauriuntur gurgitibus*; 2, 8 *dum insultant aquis — quidam hausti sunt*; cp. 24 *pars navium haustae sunt*; Hist. 5, 12 *cum praealtis paludibus arma, equi haurirentur*; Germ. 1 *septimum* (*Danubii*) *os paludibus hauritur*; cp. 40 *servi — quos statim idem lacus haurit*. Cf. Liv. 31, 37 *profundo limo — hausti sunt*. — Ann. 3, 72 *Pompeji theatrum igne fortuito haustum*; 12, 58 *colonia igni hausta*; Hist. 4, 60 *cunctos — incendium hausit*. Cf. Liv. 30, 5 *semisomnos hausit flamma*. — Hist. 1, 79 *altitudine et mollitia nivis hauriebantur*. 2) translate idem valet a) quod cum impetu, cupide eripere, arripere, tollere: Hist. 1, 41 *impresso gladio jugulum ejus hausisse*; cp. 67 *hausit plus praedae*; cp. 51 *expugnationes urbium, — raptus penatium hauserunt animo*; 3, 2 *tanto cupidius insolitas voluptates hausisse*; Agric. 4 *acrius hausisse studium philosophiae*. Cf. Liv. 7, 10 *uno alteroque subinde ictu ventrem atque inguina hausit*; cp. 24 *hauriendus aut dandus est sanguis*; Curt. 7, 2, 27 *ejus latus gladio haurit Cleander*; 9, 5, 11 *nudum hostis latus subjecto mucrone hausit*; — Virg. Aen. 10, 648 *animo spem turbidus hausit inanem*; Liv. 27, 51 *oculis auribusque haurire gaudium*. b) i. q. perdere, debilitare, quod saepius etiam et majore cum vi *exhaurire* exprimit: Ann. 13, 42 *provincias immenso fenore hauriri*; 16, 18 *plerique sua haurientium*; — 11, 25 *exhaustis familiis*; 12, 10 *jam fratres, jam propinquos — caedibus exhaustos*; Hist. 2, 76 *legiones — nulla acie exhaustae*; 4, 29 *exhausta nocte*; Agric. 44 *Domitianus velut uno ictu rempublicam exhausit*.

HEBERE (vulgo, ap. Tacit. quoque saepius, *hebescere*) Germ. 15 *ipsi hebent* i. e. otio torpent. Ita poetae *irae, ardor, vires hebent*; proprie Liv. 23, 45 *ferrum nunc hebet?*

an dextrae torpent? Vide praeter Forcell. lex. Hess. ad Germ. 15, h.

HENDIADYS figura v. in Proleg. de brevitate stili Taciti.

HETEROCLITA et HETEROGENEA 1) plebes et plebs, ut est ap. Ennium *trabes* pro *trabs*, maxime variant ap. Livium et Tacitum (sed utrumque invenitur etiam ap. Cic., Sall., Vell., Plinios, Caes.) Vide *plebes* Ann. 3, 2. 40; 13, 24; 15, 59; 16, 13; Hist. 2, 88. 92; 4, 70; secundo casu (ita quoque Liv. 2, 33; Cic. Fam, 10, 16 et passim) Ann. 1, 15. 77; 6, 12. 47 *tribuni plebei;* 13, 44 *plebei tribunus* (16, 26 *plebis tribunus*); 11, 24 *plebei magistratus;* 13, 28 *plebei aediles;* tertio casu (cf. Cic. rep. 2, 37; Sall. Hist. 1 p. 950; Vell. 2, 44; Plin. H. N. 11, 10) Ann. 13, 31 *plebeique congiarium quadringeni nummi viritim dati.*

2) juventa, senecta (senium) poeticae voces et juventus, senectus. *Juventus* semper ap. Tacitum *juvenes*, *juventa* non minus constanter *aetatem juvenilem* designat. Livius nonnunquam usurpat poeticum verbum: 5, 2. 40; 26, 2. 19; 33, 33 et 38, 53. *Senecta* (praeter serioris aevi scriptores a Livio quoque usurpatur 2, 40; 24, 4; 28, 16; 38, 53; Epit. 50) promiscue ponitur cum *senectus.* Ann. 1, 58 *pro juventa et errore filii veniam precor;* 3, 47 *tot receptos in juventa — triumphos;* 13, 2 *rectores imperatoriae juventae* (Neronis); Hist. 1, 16 *senectus* et *juventa*; cp. 22 *senium et juventa* (*senium* ap. Livium 40, 54); ita *juventa* Hist. 1, 66; 2, 1. 86; 4, 11. 40; Agric. 4; Ann. 13, 56; 14, 22. 55. contra Hist. 5, 26 *Gallica juventus;* Germ. 7 *ex omni juventute delectos;* Agric. 27 *juventutem armarent;* cp. 29 *adfluebat omnis juventus;* cf. Hist. 2, 12; 4, 14. 66. 71; Ann. 14, 25. 36. — Agric. 29 *cruda ac viridis senectus;* sic Ann. 16, 9; Hist. 1, 14. 16; 2, 76; — Ann. 13, 35 *quibus senecta aut valetudo adversa erat.* cf. 14, 40. 65; Hist. 1, 9. 72; 3, 4. 65. — Hist. 2, 1 *senium et orbitas principis.*

3) nomina primae et quintae declinationis, ut vulgo, primo, quarto et sexto casu *materies* Ann. 1, 32; *materiem* 13, 49; *materia* et *materiam* Hist. 1, 89; 2, 1; Ann. 15, 5; *mollitia* Ann. 11, 2; *mollities* 12, 66; *saevitiem* (prisca vox) 11, 10; *saevitiam* 1, 76 et saepius; *durities* (ap. Cic. quoque obvium) obsoleto genitivo Ann. 3, 34 *multa duritie veterum in melius et laetius mutata*, nisi praestat *duritie* pro sexto casu habere, subintell. *ex.* — *oblivium, obsidium, con-*

sortium, *alimonium*, *decor*, *eventum*, *praetextum* vide suo loco.

4) Vologeses genit. *Vologesis* Ann. 15, 27 et *Vologesi* 13, 37; Hist. 4, 51; dat. *Vologeso* 13, 7; Hist. 4, 51; accus. *Vologesen* 13, 9; ablat. *Vologese* 15, 3.

5) Nomina urbium in *a* desinentia et feminina sunt et neutra Ann. 2, 56 *in urbe Artaxata*; 6, 33 *urbe Artaxata potiuntur*; 12, 50 *urbes Armeniorum Artaxata et Tigranocerta*; 13, 41 *an — Artaxata pergeret* et *Artaxatis ignis immissus*; 14, 23 *post deleta Artaxata*.

6) loci et loca ubi ad regionem pertinent promiscue usurpantur a nostro cf. Ann. 12, 14. 55; 6, 34; 2, 20 et Hist. 1, 86; Germ. 40; Agric. 20. Minus saepe ap. alios *loci*: Cic. orat. part. 10 *in locis autem — maritimi an remoti a mari, plani an montuosi*; Sall. Jug. 87 *in locos difficilis abeunt*; ita cp. 66. 76. 78. 18; Liv. 24, 2 *locos omnes praeter arcem cepere*; Virg. Aen. 1, 365 *devenere locos*. — Ann. 15, 32 *loci* sunt in theatro sedilia. Contra Liv. 34, 44 et Vell. 2, 32 *loca*. — argumenta quae in disputatione vel oratione tractantur, et ipsae orationum ac librorum partes vel sententiae apud omnes scriptores sunt *loci*, non *loca*. Ita Tacitus quoque Dial. 19 *si quis odoratus philosophiam ex ea locum aliquem orationi suae insereret*; cp. 20 *sive locus exquisito et poetico cultu enituit*; cp. 22 *Cicero — locos quoque laetiores adtentavit*, Ernest. interprete: qui capiunt ornatum verborum et sententiarum; cp. 31 *hi aptos et in omnem disputationem paratos jam locos dabunt*. Cf. Ciceronem et Quintilianum.

HEXAMETER ap. Tacit. v. in Proleg. de poetico stili Tacitei colore.

HIATUS i. q. cupiditas est ap. solum Tacitum Hist. 4, 42 *libidine sanguinis et hiatu praemiorum*. Sed *hiantes cupiditates* Hist. 1, 12 non sine exemplo sunt. Ita Cic. dicit *hians avaritia*.

HIC v. pronomen.

HINC 1) i. q. tum ap. Tacitum dumtaxat Ann. 2, 67 *circumdata hinc regi specie honoris valida manus*; Agric. 14 (cf. cp. 6) *Didium Veranius excepit. — Suetonius hinc Paullinus biennio prosperas res habuit*. Cf. Liv. 24, 27 *inde* pro *deinde*. 2) recedit a vulgari dicendi genere *hinc — inde a*) pro *hic — ibi* s. *alibi — alibi b*) pro *hinc — illinc*. Hist. 1, 84 *sic fit, ut hinc* (ab hac parte) *respublica, inde hostes reipublicae constiterint*; Ann. 13, 38 *ideo artum inde numerum finiri et hinc*

majorem adferri, ut dolus pararetur; 15, 11 *obsessa a Paeto itinera hinc peditatu inde equite;* cp. 29 *inde eques — hinc agmina legionum stetere;* cp. 42 *in domo Neronis — hinc silvae, inde aperta spatia;* 6, 34 *simul horridam suorum aciem, picta auro Medorum agmina, hinc viros, inde praedam ostendere;* 12, 28 *ne hinc Romanus, inde Cherusci — circumgrederentur;* Hist. 2, 70 *hinc inrupisse legionum agmen, hinc equites coortos, inde circumfusas auxiliorum manus.* Cf. tamen Germ. 44 *mutabile, ut res poscit, hinc vel illinc remigium.*

HISTRIO apud Tacitum ejusque aequales promiscuo usu invenitur cum *pantomimo,* cum Augusti demum temporibus per Bathyllum et Pyladen haec ars excoleretur. Cf. Ann. 1, 54. 77; 4, 14; 13, 25 et 14, 21 *redditi scenae pantomimi;* 13, 28 *immodestos fautores histrionum et a praetore in vincula ductos, ne domos pantomimorum introirent.* Vide Spald. ad Quintil. 6, 2, 35; 11, 3, 89. 91; Seneca epist. 47 *ostendam nobilissimos juvenes mancipia pantomimorum;* Nat. Quaest. 7, 32 *Quanta cura laboratur, ne cujus pantomimi nomen intercidat! Stat per successores Pyladis et Bathylli domus. mares inter se uxoresque contendunt, uter det latus illis* (ad eos deducendos); Plin. H. N. 29, 1 *nullius histrionis — comitatior egressus in publico erat.* — Cf. contra Cic. pro Quintio cp. 25 *cum artifex ejusmodi sit (Roscius), ut solus dignus videatur esse, qui in scena spectetur: tum vir ejusmodi est, ut solus dignus videatur, qui eo non accedat.* —

HISTRIONALE studium Ann. 1, 16 rectissime explicat Gron. „studium, quod solitus erat praestare histrionibus in comparandis factionibus plausorum." Cf. Dial. 26 *lascivia verborum et levitate sententiarum et licentia compositionis histrionales modos exprimunt;* cp. 29 *histrionalis favor et gladiatorum equorumque studia.* Ab alio nullo haec vox usurpata esse videtur.

HODIEQUE vid. et no. 1.

HOMICIDIUM Germ. 21 *luitur — homicidium certo armentorum numero.* Utuntur hac voce praeter Plin. maj. et Petron., Quint. 11, 3, 59; *homicida* habent priores e. g. Liv. 45, 5.

HONORATUS i. q. honestus, honorificus, maxime de custodia Ann. 2, 63 *tutam ei (Maroboduo) honoratamque sedem in Italia fore;* Hist. 3, 12 *Bassus honorata custodia — Hadriam pervectus;* 4, 63 *filium ejus primo rerum motu in co-*

lonia Agrippinensi deprehensum honorate custodierant. Cf. Valer. Max. 4, 5 *sedem ei — honoratissimo loco dederunt;* Vellej. 2, 129 *quam illum (Maroboduum) ut honorate, ita nec secure continet?* — Hist. 4, 17 *honorata militia;* cf. Liv. 32, 23 *relictis nuper classibus ad spem honoratioris militiae transgressi;* Germ. 12 *honoratissimum adsensus genus;* cf. Liv. 27, 10 *honoratissimo decreto adlocutus eos.*

HONORUS Ann. 1, 10 *honora oratio;* 3, 5 *quae in Drusum — honora et magnifica Augustus fecisset;* 4, 68 *honora de Germanico — disserebat.* Ita ejusdem aetatis poetae loquuntur. Cf. inhonorus.

HONOS et HONOR variant ap. Tacitum. Cf. Ann. 1, 73; 3, 31; Hist. 4, 40; Germ. 5. 6. 20; Agric. 21 et Germ. 13. 29. 44; Agric. 46. „quae ad eandem formam revocare, ut facillimum, ita, opinor, perquam lubricum est.“ Schaefer melet. crit. p. 111. Sallustius praeter *honos* et *lepos* insolentius etiam exhibet *labos, colos, odos.* Vide Quintil. 1, 4, 13.

HORTAMENTUM Hist. 4, 18; *hortamen* Germ. 7. Utramque vocem Livius quoque usurpat, crebrius poetae et serioris aevi scriptores.

HUC minus constanter ap. alios permutatur cum *eo:* Ann. 3, 73 *huc adrogantiae venerat;* 4, 41 *huc flexit ut Tiberium ad vitam procul Roma — degendam impelleret;* 12, 11 *rem Romanam huc satietate gloriae provectam, ut cet.;* Hist. 1, 42 *huc potius ejus vita famaque inclinat, ut conscius sceleris fuerit;* 3, 13 *huc cecidisse Germanici exercitus gloriam ut cet.;* cf. Ann. 2, 33 *postquam eo magnificentiae venerit,* 4, 10 *eo audaciae profectus;* Agric. 28 *eo ad extremum inopiae venere ut cet.;* cp. 42 *eo laudis excedere cet.*

JACERE 1) apud nullum alium saepius idem est quod injicere alicujus rei mentionem, et ita quidem, ut plerumque eam specie saltem fortuitam, obliquam, occultam, cum suspicione, vituperatione, minis etiam conjunctam exprimat: Ann. 1, 10 *quaedam de habitu cultuque et institutis ejus jecerat, quae velut excusando exprobraret;* 3, 8 *si vera forent quae jacerentur;* cp. 66 *Mamercus antiqua exempla jaciens;* 4, 7 *neque raro neque apud paucos talia jaciebat* (animo infesto); 6, 31 *per vaniloquentiam ac minas jaciebat;* 4, 68 *Latiaris jacere fortuitos primum sermones;* 6, 46 *jactis tamen vocibus, per quas intelligeretur providus futurorum;* 11, 13 *in feminas inlustres probra jecerat;* 2, 50 *in se jacta nolle ad cognitionem vocari;* Hist. 1, 47 *convicia ac probra,*

quae promiscue jacta; cp. 85 *quidam vera probra jacere;* Ann. 12, 64 *vocem Claudii, quam temulentus jecerat — metuens;* 15, 50 *inter se aut inter amicos jaciunt;* Hist. 3, 73 *edicta — probrosa adversus Vitellium jecerat.* Ita Liv. quoque, Sallustius, Cicero et alii quidam. Cf. Cic. Planc. 12 *jacis adulteria* (i. e. suspicionem adult.); Flacc. 3 *jacta suspicio;* Catil. 4, 7 *jaciuntur voces, quae perveniunt ad aures meas.* 2) i. q. jactare est Ann. 11, 31 *jacere caput;* Hist. 1, 36 *adorare vulgum, jacere oscula;* Cf. Phaedr. 5, 7, 28 *In plausus consurrectum est. Jactant basia;* Juven. 4, 118 *Caecus adulator — dignus Aricinos qui mendicaret ad axes, blandaque devexae jactaret basia redae.* 3) insolentius sane dictum Ann. 1, 69 *accendebat haec — Sejanus, peritiá morum Tiberii odia in longum jaciens, quae reconderet auctaque promeret,* sed quantumvis speciose primo adspectu, perperam tamen quidam suadent *jacientis* vel *alentis.* Sanequam Tiberius etiam odia in longum jaciebat (vid. cp. 7 sub fin.), sed hoc loco Sejani ratio, non Tiberii ingenium exponitur; recte igitur Ernestius interpretatur, „odii materiam praeparans et semina invidiae spargens in animum Tiberii."

JACTARE alioqui congruenter cum priorum stilo usurpatum explicatione eget Hist. 4, 55 *ipse e majoribus suis hostis populi Romani quam socius jactabat.* Ita recte Oberl. et J. Beckerus cum Lips. et edit. pr., (alii *is se* vel *is e*) praesertim cum Tacitus omittere amet pronomen. Graeca est verb. structura qualis Virg. Aen. 2, 377 *sensit medios delapsus in hostes;* atque eadem ratio est nostri loci, nam cum plerumque dicatur *se jactare,* tamen etiam accusativus c. infinit. jungitur huic verbo, e. g. Curt. 8, 1, 23 ed. Schm. *Philippi res orsus obterere nobilem apud Chaeroneam victoriam sui operis fuisse jactavit.*

JAM ut maxime ap. Ciceronem (*jam vero, jam porro*) transitioni servit et idem fere est quod *porro* Ann. 15, 41 *Numae regia et delubrum Vestae — exusta; jam opes tot victoriis quaesitae;* cp. 43 *jam aqua — quo largior flueret, custodes quisque haberet.* — rem proxime instantem atque ingruentem exprimit *jam jamque* Ann. 1, 47 *ut jam jamque iturus;* 12, 15 *jam jamque Bosporum invasurus habebatur;* 14, 7 *jam jamque adfore obtestans vindictae properam.* Nemo saepius ita quam Cicero, Fam. 12, 10; Att. 7, 20. 25; 12, 5. 27; 14, 22; 16, 9; ad Brut. 14; fin. 3, 14; Tusc. 1, 7; rarius *jam*

jam; Att. 7, 9; 9, 5; Liv. 42, 11. Vide alia exempla ap. Tursellin.; Ciceronis omnia exhibuimus.

ID cum genit. v. genit.

IDEM pro is vid. pronomen.

IDEO insolentius nonnunquam pro *ea re* Ann. 1, 12 *non ideo iram ejus lenivit;* 12, 39 *nec ideo fugam sistebat, ni legiones proelium excepissent.* Haud raro *eo* pro *ideo* usurpat Tacitus (v. ablat.). Utrumque simul cum *idcirco, ob id* saepius ap. eum legitur quam *eam ob causam, quam ob rem.*

IDONEUS peculiari prorsus junctura Ann. 4, 5 *apud idonea provinciarum;* omnino minus vulgaris est absolutus hujus verbi usus, qualis est Ann. 2, 39 *tum per idoneos et secreti ejus socios crebrescit, vivere Agrippam.* Cf. Liv. 34, 25 *de praesidio expellendo cum idoneis conlocutus;* Sall. Cat. 51, 27 *novum illud exemplum ab dignis et idoneis ad indignos et non idoneos transfertur;* Cic. Off. 2, 18 *in eligendis idoneis* (cf. cp. 15 *saepe idoneis* hominibus *indigentibus de re familiari impertiendum*); Suet. Nero 44 *nullo idoneo respondente.* De signif. verbi v. Gernh. ad Cic. Off. 2, 15 et Cort. ad Sall. Cat. 51, 27; de discrimine quod interc. inter *aptus* et *idoneus* Doederl. Synon. III p. 247 sqq.

IGITUR (ITAQUE, ERGO) ortum ex *id agitur,* ap. Tacitum semper primum obtinet locum praeter Ann. 1, 47 *quos igitur;* Hist. 4, 15 *capta igitur;* Germ. 45 *fecundiora igitur;* Dial. 8 *his igitur;* cp. 10 *tolle igitur;* cp. 20 *horum igitur.* — Priorum consuetudinem secutus nonnunquam ad inchoandam narrationem jam indicatam usus est hac particula, propria igitur significatione qua est *id agitur,* nehmlich. Ann. 15, 72 *de quo pauca repetam; nam et ipse pars Romanarum cladium erit. Igitur matre libertina ortus cet.;* 12, 24 *sed initium condendi, et quod pomerium Romulus posuerit, noscere haud absurdum reor. Igitur a foro boario cet.* — Itaque quater dumtaxat a Tacito usurpatur: Ann. 12, 12 *itaque urgeret coepta;* Dial. 14. 30. 40 *itaque hercule.* Nam alia hujus particulae ratio est Agric. 10 cum ibi sit *itáque* i. e. *et ita.* Cf. Ter. Andr. 3, 3, 18 *imo ita volo itáque postulo;* Cic. Rosc. Am. 36; divin. 1; Fam. 13, 30; Att. 7, 1; fin. 5, 6; Nep. Alcib. 4; Liv. 3, 30, 7, ubi egregie hanc rem persecutus est Drakenb., similem usum docens τοῦ *utique, ubique, neque, utrjusque, absque, quoque.* — Ergo eodem plane modo, sed minus saepe, a nostro usurpatur, quo igitur particulam poni demonstravimus. Cf. Ann. 14, 22; Germ. 45; Agric. 33;

Dial. 32. 34; postponitur Ann. 1, 36 *eundem ergo*; i. e. quod *videlicet* Ann. 14, 3 *obtulit ingenium Anicetus libertus, classi apud Misenum praefectus et pueritiae Neronis educator ac mutuis odiis Agrippinae invisus. Ergo* (dieser nehmlich) *navem posse componi docet.*

Cum de loco, quem obtineant apud scriptores *igitur* et *itaque* particulae, minus accurate grammatici et lexicographi quod sciam omnes disputaverint, operae pretium est, rem diligentius pertractatam fusius exponere. Cicero plerumque *itaque* primo, *igitur* secundo loco ponit; sed 1) *igitur* persaepe tertium locum obtinet; haud raro ad quartum etiam rejicitur: de or. 3, 26 *ita sit nobis igitur;* rhet. 1, 38 *quam ob rem igitur;* de or. 3, 37 *in propriis est igitur;* Verr. 1, 32 *huic homini parcetis igitur;* 3, 91 *quae sunt tibi igitur;* ita 4, 50; 5, 48; Cluent. 65; Sull. 18; Att. 7, 7; 10, 4; 12, 33; 13, 35; 16, 1; fin. 4, 24; 5, 30; Tusc. 1, 36; 3, 8; 5, 38; N. D. 2, 11; 3, 17; divin. 1, 15; 2, 3. Quin ad quintum revolvitur pro Flacco 10 *in hominem dicendum est igitur;* Tusc. 1, 34 *ne in animo quidem igitur;* N. D. 3, 17 *ne Nymphae quidem deae igitur.* 2) *igitur* primum occupat locum, partim quidem, sed cave semper putes, in ratiocinationibus fin. 1, 18; 2, 27; 4, 18. 19; 5, 30; Tusc. 1, 6; 3, 7; 4, 18; de legg. 2, 6; de amic. 11; Parad. 5, 1; Somn. Scip. 7; Acad. 4, 25; N. D. 1, 29; 3, 20; 2, 14; Att. 6, 1; 5, 4; 9, 9; 11, 1. 12. 44; 13, 17; 16, 11; Fam. 9, 22; Phil. 10, 8; 2, 16; de prov. cons. 4; rhet. 1, 15; 2, 3; l. agr. 2, 27; de legg. 1, 6. 16. 3) *itaque* in secundum recedit locum Part. 7 *est itaque;* Phil. 7, 3 *ego itaque;* Fam. 10, 15 (Planci est epist.) *profeci itaque.* — Ex his exemplis, et nullum omissum putamus, maxima in his particulis collocandis licentia patet; quapropter diversam saepe alii in hac re secuti sunt rationem. Apud Caesarem Hirtiumque *itaque* semper primum locum tenet; *igitur* nunquam usurpasse videntur; idem usus est Cornelii Nepotis, nisi quod Attic. 3 *igitur* inchoat sententiam, secundum locum obtinet Thras. 4; Epam. 2; Pelop. 2; Ages. 4; Hannib. 3; Attic. 12. Sallustius primo plerumque loco *igitur* et (minus saepe) *itaque* ponit; secundum tenet *igitur* Cat. 20. 51; Jug. 31; Hist. 1 p. 943. 6 p. 1006; tertium Hist. 3 p. 971. Livius promiscue usurpat utramque particulam; quapropter ap. eum (etiam ap. Quintil. et Plin. maj.) saepissime *itaque* etiam, quod in universum rarum est apud alios, secundo loco legitur, tertio quoque 4, 54; 6, 17; 8, 13; 32, 15 (quarto etiam ap. Plin. H. N. 18, 8 *omnium*

sententiis absolutus itaque est; item ap. Senecam de ira 2, 31, 2). Curtius plerumque primo loco usurpat et *igitur*, et *itaque*, minus saepe secundo, et *itaque* quidem uno dumtaxat loco 7, 39.

IGNARUS v. gnarus.

IGNOMINIOSUS ad personas pertinet ap. Tacitum et Quintilianum Ann. 3, 21 *decumum quemque ignominiosae cohortis — necat;* Germ. 6 *nec — concilium inire ignominioso fas;* Quintil. 7, 1, 8 *exsul eras aut ignominiosus;* 3, 6, 75 *non recte agis ignominiosus. quaeritur an ignominiosus sit? aut an agere ignominioso liceat.*

IGNORATUS 1) ignotus, inauditus Ann. 12, 6 *sobrinarum diu ignorata (conjugia) tempore addito percrebuisse.* Cf. Liv. 29, 16, 4 *Locrensium clades, quae ignoratae ad eam diem fuerant;* Hor. a p. 262 *ignoratae premit artis crimine turpi;* Cic. Tusc. 5, 23 *ignoratum a Syracusanis — indagavi sepulcrum (Archimedis)* 2) de hominibus, qui non cognoscuntur Hist. 3, 23 *adreptis e strage scutis ignorati;* cp. 74 *turbae — inmixtus ignoratusque;* 4, 36 *nisi — per tenebras ignoratus evasisset.* Cf. Sall. Jug. 54 *aviis itineribus ignoratus.*

ILLUC v. pronomen n. 1.

IMAGINARI Ann. 15, 69 *pavorem eorum — et imaginatus et inridens Nero.* Utuntur h. voce Quintil., Suet., uterque Plin. Cf. Quint. 12, 1, 21 *eloquentem M. Tullius — tantum imaginatur ac fingit;* Plin. H. N. 20, 51 *datur — Venerem crebro per somnum imaginantibus.*

IMAGINATIO Ann. 15, 36 *Nero — urbem revisit, provincias Orientis — secretis imaginationibus agitans* i. e. artis suae ibi quoque ostentandae cupidine abreptus gaudium imaginatus est, quod inde esset percepturus. Utitur h. v. praeterea Plin. maj. 20, 26 *semine trito — libidinum imaginationes in somno compesci;* similiter 10, 80; 24, 102.

IMAGO inter omnes maxime Tacito frequentatur 1) imago picta et ficta, ut loquitur Cicero, maxime de majorum imaginibus. Vid. Rup. ad Ann. 2, 32. 2) quod faciem, simulacrum vel umbram rei praebet, sed plerumque vanam speciem exprimit (opp. facies, vis) Ann. 4, 52 *non in effigies mutas divinum spiritum (Augusti) transfusum; sed imaginem veram, coelesti sanguine ortam, intelligere discrimen, suscipere sordes;* 16, 32 *habitu et ore ad exprimendam imaginem honesti exercitus;* 15, 31 *a Corbulone petierat, ne quam imaginem servitii Tiridates perferret* (was nur entfernt

darauf hindeuten könnte); 3, 34 *Valerius Messallinus, cui parens Messalla, ineratque imago paternae facundiae;* 1, 10 *Pompejum imagine pacis, — Lepidum specie amicitiae deceptos;* cp. 81 *speciosa verbis, re inania aut subdola, quantoque majore libertatis imagine tegebantur, tanto eruptura ad infensius servitium;* Dial. 34 *qui faciem eloquentiae, non* (tantum) *imaginem praestaret;* Ann. 15, 14 *imaginem retinendi largiendive penes nos, vim penes Parthos;* 3, 60 *imaginem antiquitatis senatui praebebat;* cp. 17 *biduum — imagine cognitionis absumptum;* v. Rupert ad. h. l.; 6, 27 *administrandae Syriae imagine tandem exsolutus;* Hist. 1, 84 *Vitellius imaginem quandam exercitus habet;* 3, 70 *simulationem — et imaginem deponendi imperii fuisse.* — Cf. Cic. Fam. 1, 6 *recordatio meorum temporum, quorum imaginem video in rebus tuis;* Att. 12, 10 *Alexis imago Tironis* (sein Ebenbild); de or. 2, 87 *haec ars tota dicendi, sive artis imago quaedam est et similitudo;* leg. Agr. 2, 32 *si imaginem reip. nullam reliquissent;* Fam. 9, 15 *in quo possim imaginem antiquae festivitatis agnoscere;* consol. ed. Bip. *ficti aut falsi imaginem prae se ferre;* (inv. 1, 30 *imago est oratio demonstrans corporum aut naturarum similitudinem*); Liv. 5, 18 *en vobis juvenem — effigiem atque imaginem ejus;* Vellej. 2, 30 *imago sine re.* Vide etiam Quintil. 8, 3, 64; 10, 7, 15. 3) poetice et e consuetudine argenteae aet. est rei cujusdam animo concepta cogitatio, reputatio, memoria Ann. 1, 43 *tua, pater Druse, imago* (*tui memoria*); 2, 53 *magna illic imago tristium laetorumque* (*cum recordatione majorum suorum*); cf. Plin. epist. 7, 5 ad uxorem: *magnam partem noctium in imagine tua vigil exigo* (v. imaginatio); Virg. Aen. 6, 405. *Si te nulla movet tantae pietatis imago* i. e. cogitatio, reputatio. 4) Ann. 16, 1 nocturnae quietis *imaginem ad spem haud dubiam retraxit.* Cf. Cic. Tusc. 1, 16 *imagines mortuorum;* Plin. epist. 2, 1 *Verginium cogito, Verginium jam vanis imaginibus recentibus tamen audio* (defunctum, ut supra de uxore absente); 7, 27 *imago* est spectrum. 5) conspectus, facies (Anblick) Ann. 1, 62 *exercitum imagine caesorum insepultorumque tardatum ad proelia;* Hist. 4, 45 *planctum et lamenta et supremorum imaginem praesenti sibi circumdata cum contumeliis et probris;* 3, 28 *semineces cum exspirantibus volvuntur, varia pereuntium forma et omni imagine mortium.* Cf. Virg. 2, 369 *ubique pavor et plurima mortis imago.*

IMBELLIS Ann. 13, 39 *imbelle vulgus;* cp. 54. 56; 15, 13 *imbellis aetas;* 14, 33 *imbellis sexus;* Hist. 4, 35 *imbellis turba*; Ann. 3, 46 *imbelles Aeduos evincite;* 11, 18 *Gallorum maxime oram vastabat, non ignarus dites et imbelles esse;* 14, 36 *imbelles, inermes cessuros statim;* Hist. 4, 33 *caesorum eo die in partibus nostris major numerus et imbellior; e Germanis ipsa robora;* Germ. 12 *ignavos et imbelles;* cp. 31 *ignavis et imbellibus manet squalor;* Arigc. 15 *ab ignavis et imbellibus.* Vox ea Livio quoque frequens, cui *imbellis* etiam est *sine bello*, ut *imbellem annum agere*, ceterum poetis et arg. aetati propria.

IMBUERE ob multiplicem usum ap. Tacit. notandum 1) ut vulgo imb. aliquem vel aliquid aliqua re Ann. 11, 16 *nullis discordiis imbutus;* Hist. 1, 5 *miles urbanus longo Caesarum sacramento imbutus:* 2, 85 *legiones — imbutae favore Othonis;* 3, 15 *ut specie parandarum copiarum civili praeda miles imbueretur;* Ann. 1, 36 *imbutas praedâ manus;* Hist. 4, 7 *qui honestis sermonibus aures imperatoris imbuant;* cp. 42 *ingenium — caede nobili imbuisti;* Ann. 13, 4 *nec juventam armis civilibus aut domesticis discordiis imbutam;* 15, 59 *vetus miles timebatur tanquam favore (in Pisonem) imbutus;* Hist. 3, 49 *ut licentiâ militem imbueret;* Dial. 19 *elementis studiorum etsi non instructus, at certe imbutus;* cp. 29 *fabulis et erroribus teneri statim et rudes animi imbuuntur;* cp. 31 *grammaticâ, musicâ et geometriâ imbuebantur;* cp. 34 *imbutus domestica disciplina* et *vera statim et inconrupta eloquentia imbuebantur.* 2) junctâ ad particulâ Ann. 12, 32 *imbuendis sociis ad officia legum;* cf. Cic. Mil. 4 *ad quam legem — imbuti sumus.* 3) graece cum accusat. Hist. 5, 5 *nec quidquam prius imbuuntur quam contemnere deos.*

IMITAMENTUM (Gell., Ammian.) Ann. 13, 4 *peractis tristitiae imitamentis curiam ingressus;* 14, 57 *veterum Romanorum imitamenta praeferre.*

IMMENSUM v. adject. n. 4.

IMMINUERE ap. Cic. i. q. violare, debilitare, demere; ap. Liv. *imminuere animos;* ap. Sall. Jug. 65 *imminuta* (i. e. turbata) *mens;* latius patet ap. Tacitum Ann. 2, 34 *quamquam Augusta se violari et imminui quereretur;* cp. 63 *multum imminuta claritate ob nimiam vivendi cupidinem;* cp. 86 *Agrippa discidio domum imminuerat;* 6, 46 *imminuta mens ejus obstitit;* 14, 57 *perculso Seneca promptum fuit Rufum*

Fenium

Fenium imminuere (evertere); Hist. 2, 93 *corpus otio, animum libidinibus imminuebant.* Vide augere.

IMMITIS Ann. 1, 20 *centurio — eo immitior, quia toleraverat;* 2, 42 *exceptus immiti a principe;* 3, 69 *insulam Gyarum immitem et sine cultu hominum esse;* 6, 9 *immiti rescripto venas resolvit;* 15, 27 *adjungit iis centuriones cum mandatis non immitibus.* Ita poetae plerumque, sed praeter Plin. utrumque etiam Livius 2, 39 *Appius Claudius naturâ immitis.*

IMMITTERE i. e. hostili animo mittere, ap. priores maxime de venatione et bello, Ann. 4, 73 *alarius eques immissus;* 12, 54 *immittere latronum globos;* Hist. 2, 29 *immissis lictoribus:* Ann. 4, 19 *immissus Varro consul* (cf. Sall. Cat. 48 *Tarquinium a Cicerone immissum ajebant*); Ann. 3, 16 *immisso percussore* (cf. Cic. consol. ed. Bip. p. 349 *interfectores immittere*); 11, 1 *Suilium accusandis utrisque immittit* (cf. Plin. epist. 6, 31 *delator immissus*); 4, 54 *immissis qui per speciem amicitiae monerent;* 6, 45 *Macro — impulerat — uxorem suam Enniam immittendo amore juvenem inlicere pactoque matrimonii vincire,* ubi conjungenda sunt *immittendo amore.* Similiter ab illo usu, quem supra laudata exprimunt exempla, recedit Cic. Orat. 56 *in eo ipso loco quo reprehendit — immittit imprudens ipse senarium,* läßt sich einschleichen.

IMMO v. collocat. verbb.

IMMODESTIA Ann. 4, 14 *immodestia histrionum;* 13, 50 *immodestia publicanorum.* Similiter Plaut. et Nepos; adjectivo Cic. etiam, adverbio Liv. utitur.

IMMOTUS Ann. 1, 47 *immotum adversus eos sermones fixumque Tiberio fuit non omittere caput rerum* (cf. Virg. Aen. 4, 15 *fixum immotumque*); 2, 29 *immoto ejus vultu excipitur;* 4, 32; 15, 27. 46 *immota pax;* 15, 23 *immoto animo — contumeliam excepisse;* cp. 59 *immotus his* (rationibus) — *animum adversum suprema firmabat;* 14, 37 *legio gradu immota — velut cuneo erupit;* Hist. 1, 86 *sereno et immoto die.* Utuntur h. v. poetae et paucis praeterea locis arg. aet. scriptores. Cf. Sen. const. 9 *immota mente injuriam accipere;* v. beat. 5 *gaudium immotum;* Plin. epist. 2, 17 *serenus dies et immotus.*

IMMUNIRE ap. unum Tacitum Ann. 11, 19 *praesidium immunivit.* Cf. Liv. 39, 44, 4 *quae in loca publica inaedificata immolitave privati habebant,* ubi similia ex aliis et ipso Livio contulit Drakenborch.

IMPAR et qui dissimilis et qui non par est alicui rei, etiam Livio frequens, Ann. 1, 53 *Julia Tiberium spreverat ut imparem* (cf. Liv. 6, 34 *quod juncta impari esset*); Hist. 2, 50 *maternum genus impar*; cp. 99 *ut impar apud Vitellium (Fabio Valenti) gratiam viresque apud novum principem pararet*; 4, 20 *ut Batavos numero impares circumfundant*; cp. 1 *duces temperandae victoriae impares*; 1, 75 *ut bello impares, in pace nihil amissuri*; Ann. 3, 53 *quibus flagitiis impares essemus*; 6, 32 *patriis moribus impar morbo absumptus est*; 14, 54 *levissimis quoque curis impar*; 15, 57 *corpus impar dolori*, qua quidem significatione ap. Livium plerumque ad bellum tantum et arma pertinet.

IMPATIENS Hist. 2, 40 *aeger morâ et spei impatiens*; cp. 99 *impatiens solis, pulveris — miles*. Ita Vellej. et poetae.

IMPATIENTER Ann. 4, 17 *aequari adolescentes senectae suae impatienter indoluit*. Praeter T., aequales tantum hoc adv. utuntur.

IMPATIENTIA arg. aetati proprium Ann. 4, 52 *aetas extrema multum etiam eloquentiae dempsit, dum fessa mente retinet silentii impatientiam*; 13, 21 *verba impatientiâ caritatis aliquando incauta*; 15, 63 *ne — visendo ejus tormenta ad impatientiam delaberetur*.

IMPELLERE praeter vulg. usum 1) ubi i. q. *incitare* est cum infin. constr. Ann. 14, 60 *quendam ex ministris Octaviae impulit servilem ei amorem objicere*. Ita poetae et Justin. 2) labefactare, infringere (fidem quoque), opp. leniter tentare (vid. Spald. ad Quint. 3, 4, 2) ap. alium nullum saepius quam ap. nostrum Ann. 1, 31 *vernacula multitudo — impellere ceterorum rudes animos*, ubi Doederl. in Synon. II p. 55 praefert *implere* collato loco Liv. 4, 30 *urbs deinde impletur* sc. contagione morbi. Sed hujus loci alia ratio est, et recte fortasse habet *impellere*. V. tamen interpp. et inter eos maxime Rup. contra Wolfium disputantem. Cf. praeterea locos similes infra laudatos et Ann. 4, 9 *misericordiâ sui gloriâque animos audientium impleverat*. — Ann. 2, 17 *praemissus aeques postremos ac latera impulit*; Hist. 3, 25 *postquam impulsos sensit Antonius, denso agmine obturbabat*; cp. 16 *impulit Vitellianos modica caede*; 4, 34 *quem (hostem) si statim impellere — maturasset* . . . cp. 78 *sustinuit ruentes* (hostes), *mox impulit*; 3, 2 *impulsas Vitellii res audietis*; 2, 63 *Sabinus — in alieno discrimine sibi pavens, ne adlevasse videretur, impulit ruentem*; 3, 57 *municipia colo-*

niaeque impulsae, praecipuo Puteolanorum in Vespasianum studio, contra Capua Vi ellio fida. Cf. Cic. Cluent. 26 *praecipitantem igitur impellamus, inquit, et perditum prosternamus;* Liv. 9, 27 *universis hostem primo impetu viribus impulit;* cp. 40 *turbavit ordines, et haud dubie impulit aciem;* 33, 36 *adeo acriter invaserunt, ut antesignanos impulerint;* Vell. 2, 51 *variatum deinde proeliis, sed uno longe magis Pompejanis prospero, quo graviter impulsi sunt Caesaris milites;* Virg. Aen. 4, 22 *Solus hic inflexit sensus, animumque labantem Impulit;* Horat. Sat. 1, 3, 65 *ut forte legentem aut tacitum impellat quovis sermone molestus* (de subita interpellatione); Plin. H. N. 33, 11 *immenso Achaicae victoriae momento ad impellendos mores.* 3) insolentius jungitur Ann. 2, 23 *placidum aequor mille navium remis strepere aut velis impelli* (proprie naves impelluntur); Agric. 25 *cum simul terra, simul mari bellum impelleretur* „poetice ac fortius pro *inferretur;* pingit h. v. egregie impetum, quem dicit Cicero, quo bellum celeri quasi gressu progreditur pro leg. Man. §. 34 *quam celeriter belli impetus navigat.* Lucan. 7, 16 *et quaecunque fugax Sertorius impulit arma; 5 impulsum bellum; 330 impulsi quae praemia belli.*" Hertel. Scite Walch. contulit *pellere*, i. e. movere, Cic. Brut. 87 *longi sermonis initium pellere.* Optime Agricolae locus explicatur priori illo ex Annalibus allato.

IMPENETRABILIS (Livius), Ann. 4, 12 insolentius *impenetrabilis pudicitia;* 3, 43 *inferendis ictibus inhabiles, accipiendis impenetrabiles;* 12, 35 *circumspectis quae impenetrabilia quaeque pervia.*

IMPERARE prisco more i. q. *parere* Hist. 1, 52 *aviditate imperandi ipsa vitia pro virtutibus interpretabantur multi in utroque exercitu.* Cf. Cic. Fam. 9, 25 *Nunc ades ad imperandum vel ad parendum potius, sic enim antiqui loquebantur.* Ita secundum Cortium Sall. Jug. 62. V. quae adnotavit vir doctus.

IMPERFECTUM v. tempora.

IMPERITARE 1) absolute Hist. 3, 7 *adductius quam civili bello imperitabat;* 4, 61 *ea virgo (Veleda) — late imperitabat;* Ann. 4, 4 *quanto sit angustius imperitatum;* 11, 14 *imperitante eo;* 12, 64 *quae — tolerare imperitantem nequibat;* cp. 65 *si Nero imperitaret;* 13, 42 *imperitante Claudio.* 2) cum dativo Ann. 3, 26 *nobis Romulus ut libitum imperitaverat;* 11, 8 *imperitasse Armeniis;* 12, 37 *pluribus gentibus*

imperitantem; cp. 44 *genti Parthorum Vologeses imperitabat;* Hist. 3, 45 *Cartismandua Brigantibus imperitabat.* 3) cum acc. rei i. q. jubere Ann. 12, 54 *ne quis principum eadem imperitaret.* Ita Plautus, absolute et cum dat. Horat., Liv., Sall., Curt., Plin. maj., Quint. (6 prooem. 5).

IMPERVIUS (Ovid., Val. Fl.) Ann. 3, 31 *plurima per Italiam itinera — interrupta et impervia;* 15, 43 *is lapis ignibus impervius est.*

IMPEXUS propria sign. ap. poetas, translate Dial. 20 *tristis et impexa* (incompta) *antiquitas.*

IMPINGERE Hist. 2, 41 *quo minus in vallum impingerentur Italicae legionis virtute deterriti sunt;* 3, 22 *paratis jam dispositisque Flavianis impingitur;* Ann. 15, 46 *gravi Africo — Cumanis littoribus impacti.* Ita plerumque poetae et arg. aet. scriptores loquuntur, minus saepe Cic., Liv. Cf. Liv. 8, 6 *lapsus per gradus, capite graviter offenso impactus imo ita est saxo, ut sopiretur;* 27, 28 *hostem — cum caede magna in aciem altiori superstantem tumulo impegere.*

IMPLACABILITER ap. solum Tacitum Ann. 1, 13 *cui implacabilius irascebatur.* Adjectivo etiam Cic., Liv., alii utuntur.

IMPLERE Agric. 44 *vera bona — impleverat,* ubi Walch. rectissime „non solum hujus aevi scriptores ita loqui „adnotat", e. g. Plin. epist. 7, 33 *inimici amaritudinem implere;* Mart. 7, 63, 5 *Sacra cothurnati non attigit ante Maronis, Implevit magni quam Ciceronis opus;* Tacit. Hist. 1, 16 *impletum est consilium, si bene te elegi;* Ann. 4, 38 *me satis habere si locum principem impleam* (his adde 1, 22 *dolorem suum lacrimis implere;* 2, 42 *finem vitae impl.;* 3, 31 *munia consulatus impl.;* 11, 16 *principem locum implere;* cp. 21 *fatale praesagium implere*); sed priores etiam: Vell. 2, 95 *Paulus vix poterat implere censorem,* ubi Ruhnkenius in explicando hoc usu neglexerit Graecorum consuetudinem Hom. Od. E. 207 *κήδε' ἀναπλῆσαι;* Herod. 5, 4 *ἀναπλῆσαι κακά;* Lucian. Q. H. C. S. 8 *οὐ γὰρ ἱκανὸς ὁ Ζεὺς — ἀναπληρῶσαι τὸ κάλλος αὐτοῦ."* Cf. impellere.

IMPLEXUS Ann. 16, 10 *vidua implexa luctu continuo.* Virg. usurp. h. v. propria sign., translate Seneca, Plin. maj., Apulej., qui habet *horrore implexus.*

IMPONERE 1) superstruere Ann. 2, 11 *pontibus praesidiisque impositis* (*praesidium imp.* Livio, Curtio., aliis frequens); 1, 69 *impositum Rheno pontem;* cp. 61 *pontes et ag-*

geres — fallacibus campis imponeret; 15, 3 *castella fontibus imposita;* 4, 63 *neve amphitheatrum imponeretur nisi solo firmitatis spectatae.* Cf. Curt. 5, 1, 29 *pons lapideus flumini impositus.* 2) i. q. praeficere, praeponere (Ann. 2, 43. 56.) Ann. 1, 3 *Germanicum — legionibus imposuit;* 2, 43 *qui Syriae imponeretur;* 4, 72 *regendis Frisiis impositus;* 6, 23 *juvenem — ducem populo imponere;* cp. 31 *Armeniae — Arsacen imposuit;* cp. 39 *maximis provinciis — impositus;* 12, 29 *Vannius Suevis a Druso Caesare impositus;* cp. 41 *datos a noverca (educatores) custodiae ejus imponit;* cp. 54 *Felix — Judaeae impositus;* 13, 14 *demovet Pallantem curâ rerum, quîs a Claudio impositus cet.;* 15, 28 *quintae legioni impositus;* Hist. 5, 8 *Judaei — sibi ipsi reges imposuere;* absolute Ann. 2, 4 *jussu Augusti impositus Artavasdes.* Multo minus saepe priores ea signif. usurp. h. v., plerumque ad significandam vim et violentiam. Cf. Cic. Planc. 25 *quem villicum imponeremus;* Att. 1, 13 *consulem populo imponere;* Phil. 13, 17 *si ipse servire poterat, nobis dominum cur imponebat?* Nepos. 5, 4 *custodem imponere;* Liv. 25, 25 *praeerat huic arci Philodemus — ab Epicyde impositus;* 37, 25 *Masinissam — in Syphacis — regnum imposuisse;* 40, 12 *imponeret Macedoniae regem;* 45, 36 *quid si domini milites imperatoribus imponantur?;* 1, 52 *geminatis manipulis centuriones imposuit;* Sall. Cat. 51, 28 *Lacedaemonii devictis Atheniensibus triginta viros imposuere;* Jug. 100 *quasi nullo imposito* (sc. duce). 3) i. q. dare Ann. 11, 19 *leges imponere* (haud raro priores); 4, 34 *vocabula imponere* (ita Cicero *nomina imponere;* Hor. Serm. 2, 3, 280 *imponens cognata vocabula rebus*); 14, 39 *honestum pacis nomen segni otio imposuit;* Hist. 1, 52 *dignitatem imponere.* 4) i. q. decipere Hist. 1, 30 *falluntur quibus luxuria specie liberalitatis imponit.* Ita Cic. quoque et Nepos aliquot locis, saepius Taciti aequales, maxime Plin. min. Cf. e. g. epist. 3, 15; Sen. epist. 25.

IMPORTUOSUS, *ἀλίμενος* Ann. 4, 67 *importuosum circa mare;* 12, 20 *importuoso mari;* cf. Liv. 10, 2 *importuosa Italiae litora;* Sall. Jug. 17 *mare saevum, importuosum;* Plin. epist. 6, 31 *litus importuosum;* Sen. c. ad Helv. 8 *importuosum mare;* epist. 25 *importuosa litora.* Opp. portuosus Cic. de or. 3, 19; Fam. 6, 20 *navigatio minime portuosa;* Sall. Jug. 16 *pars Numidiae — portuosior.*

IMPOTENTIA i. q. imperandi cupido, cum quis sibi non imperat Ann. 1, 4; 12, 57 *muliebris impotentia;* 4, 57 *matris*

impotentia; 14, 31 *impotentia veteranorum;* Germ. 35 *sine cupiditate, sine impotentia.* Ita minus saepe priores, quamquam adjectivum frequentant. Cf. Liv. 30, 16 *impotentia Hannibalis;* 34, 2 *muliebris impotentia;* Epit. 70 *impotentia equestris ordinis.* — Hirt. b. Alex. 33 *impotenter regnare.*

IMPROMPTUS v. promptus.

IMPROSPER, sed femin. gen., ap. solum Tacitum Ann. 3, 24 *domi improspera fortuna;* 4, 44 *improspera claritudo generis;* 14, 65 *insidiarum moles improspera;* Hist. 2, 30 *improspera Valentis fama.* Adverbio etiam Colum. utitur, ut noster Ann. 1, 8 *dies libertatis improspere repetitae.*

IMPUNE duplici sign. i. q. impunite et inulte (*impunis, impunem* ap. Solin. et Apulej.) minus saepe ap. Cic., Liv., alios, Ann. 3, 21 *Romanum impune ludificabatur;* cp. 70 *neque tantum maleficium impune habendum;* cp. 74 *ne Cirtensium pagi impune traherentur;* impune est v. s. v. esse.

IMPUTARE Germ. 21 *Gaudent muneribus; sed nec data imputant* „i. e. non postulant, sibi pro iis gratiam deberi. Verbum Tacito familiare Hist. 1, 38. 55. 71; 2, 31. 60. 85; 3, 86; 5, 24. Plin. Pan. 24, 3. De hac notione verbi *imputare* scriptoribus sequioris aevi, Plinio, Quinctiliano, Suetonio aliisque usitata vd. Reitz. de Ambig. etc. p. 290. Casaub. ad Suet. T. IV p. 40. Ed. Wolf. Duk. ad Flor. 4, 12. Schwab. ad Phaedr. 1, 22 8. Nolten. Lex. antib. T. 1 p. 1006.“ Hess. ad locum illum Germ.

IN cum accus. v. in hoc casu; 1) cum ablativo adject. vel subst. in modum *ex* praepositionis exprimit adjectiva et adverbia, quae ad modum conditionemque rei pertinent. Ann. 3, 56 *ne successor in incerto foret;* Agric. 1 *pronum magisque in aperto erat;* cp. 33 *vota virtusque in aperto;* Hist. 3, 56 *cum transgredi Apennium — in aperto foret;* Ann. 1, 36 *in ancipiti respublica;* 4, 30 *rempublicam in praecipiti;* cp. 32 *nobis in arto et inglorius labor;* 6, 51 *maxime in lubrico egit;* Hist. 2, 45 *spes et praemia in ambiguo;* Ann. 2, 44 *virtus ducum in aequo* (v. ex aequo); Hist. 2, 21 *in levi habitum;* Ann. 3, 54 *in levi habendum;* cp. 72 *erat etiam tum in more publica munificentia,* Hist. 2, 86 *in nullo Othoniani belli usu fuit;* Dial. 32 *quod mihi in consuetudine est.* Ita haud raro aequales et seriores loquuntur. Vid. Hor. Tursell.; minus late patet hic usus ap. priores. Cf. Sall. Jug. 5, 3 *in aperto* (ἐν τῷ φανερῷ); Liv. 3, 8 *cum exitus haud in facili essent* (cf. Plin. H. N. 18, 68 *opes sibi*

in facili, cum vellet, fore; Sen. clem. 7 *in facili est ultio*); sic *in integro, in summa, in difficili, in incerto, in promiscuo esse.* Vid. exempla ap. Tursell. 2) in tempore, in praesentiarum v. in accusat. ubi *in tempus* exponitur. 3) i. q. apud est Ann. 12, 28 *modica pars famae ejus apud posteros, in quis carminum gloriâ praecellit.* 4) i. q. cum, ubi pertinet ad vestitum Hist. 4, 3 *patibulo adfixus in iisdem annulis, quos acceptos a Vitellio gestabat;* cf. Suet. Calig. 52 *modo in crepidis vel cothurnis, modo in speculatoria caliga, nonnunquam socco muliebri — conspectus est.* 5) pro dativo vel apud praepos. positum dicunt Dial. 11 *cum in Nerone improbatam et studiorum quoque sacra profanantem Vatinii potentiam fregi.* Sed locus corruptus. Non male fortasse Fridericus Osannus in dialogi recensione nuperrime edita: *cum in Neroniis improbam — potentiam fregi.* 6) pro genitivo Ann. 1, 24 *D. Silanus in nepti Augusti adulter* vid. convictus. De omissa *in* praep. v. ablat.

INARESCERE Hist. 5, 6 *vi solis inarescere.* Utuntur h. v., praeter aequales Taciti, Celsus et Vitruvius.

INAUDITUS argenteae et serioris aetatis more de eo cui causam suam orandi copia non datur Ann. 2, 77 *inauditum et indefensum;* Hist. 1, 6 *inauditi atque indefensi;* Dial. 16 *inauditum et indefensum.* De voce *indefensus* cf. Drakenb. ad Liv. 23, 43, 1.

INAUSUS Ann. 1, 42 *quid inausum intemeratumve nobis?* Ita Virg. aliique poetae et Seneca in epist.

INCASSUS Ann. 1, 4 *bona libertatis incassum disserere;* a *cassus* i. e. *inanis,* ut Hist. 3, 55 *apud sapientes cassa habebantur.* Utraque vox poetica; cf. tamen Cic. Tusc. 5, 41; Liv. 24, 26; 2, 49; Sall. Hist. 3 p. 970; Plin. epist. 8, 23; Sen. brev. vit. 11. Vid. Doederl. Synon. III p. 101.

INCAUTUS 1) active, ut vulgo, Ann. 1, 68 *ut rebus secundis avidi, ita adversis incauti;* 4, 1 *ut sibi uni incautum intectumque efficeret;* 11, 26 *Claudium ut insidiis incautum, ita irae properum.* 2) passive Ann. 1, 50 *iter — hostibus incautum.* Ita praeter poetas Liv. 25, 38 *ad id, quod, ne timeatur, fortuna facit, minime tuti sunt homines, quia, quod neglexeris, incautum atque apertum habeas.* Vide gnarus, ignarus, formidolosus, credulus.

INCEDERE (INCESSERE) maxime vario ap. Tacitum usu 1) i. q. accedere Ann. 1, 35; 4, 47 *propius incedentes;* 11, 32 *undique nuntii incedunt.* Similiter Plaut., Liv., alii; cf. Cic.

de inv. 2, 14 *facilius — ad inventionem animus incedet, si — pertractabit;* de locutione *incedere locum* v. accusativ.; cum dativo Ann. 1, 51 *incessit itineri et proelio,* sine aliorum exemplo. 2) pertinet ad gravitatem superbiamque Ann. 14, 53 *tales hortos instruit, et per haec suburbana incedit;* cf. praeter similes locos e Cic., Sall., Horat., Virg., Seneca laudatos a Forcell. Liv. 1, 26; 2, 6. 49. 3) i. q. aggredi, invadere, et absolute i. q. exoriri est incedere et incessere (apud alios hoc solum, incessere, excepto Sil. 8, 338 *incedere noctis — tenebras dolet* et fortasse Liv. 29, 24; sed pro *incederet* alii *incideret* legunt. Cf. Drak. ad Liv. 3, 2, 10 *longam* venire *noctem ratus.*) Hist. 2, 23 *Annium Gallum — variis criminibus incessebant;* 3, 77 *fuere qui uxorem L. Vitellii — incesserent, tamquam — saeve egisset;* Ann. 6, 34 *Oroden — Pharasmanes vocare ad pugnam et detrectantem incessere;* 14, 17 *invicem incessentes* (se); 1, 16 *legiones seditio incessit* (cf. cp. 61 *cupido Caesarem invadit*); 3, 36 incedebat — *deterrimo cuique licentia* (cf. Liv. 4, 57 *gravior cura patribus incessit;* Curt. 3, 1, 16; 7, 11, 4 *incessit animo cupido*); Hist. 3, 65 *erant qui occultis suspicionibus incesserent* (eum), ubi alii *incederent* rectius fortasse. — Ann. 1, 51 *spes incesserat, dissidere hostem;* Hist. 2, 63 *Sabinus suopte ingenio mitis, ubi formido incessisset, facilis mutatu;* Ann. 6, 21 *si vanitatis aut fraudum suspicio incesserat;* Hist. 3, 27 *incesserat cunctatio, ni duces — monstrassent;* Ann. 15, 37 *postquam tenebrae* incedebant; 2, 51 *de praetore — subrogando certamen incessit;* 4, 68 *foedum anni principium incessit;* 3, 26 *ambitio et vis* incedebat; — 1, 5; 4, 46 *rumor incesserat;* 6, 23; 2, 55 *rumor* incedebat. Cf. Liv. 8, 3 *religio incessit, ab eis, quorum imminutum imperium esset, comitia haberi;* 9, 4 *tantus gemitus omnium subito exortus est, tantaque moestitia incessit, ut ...;* Sall. Cat. 13 *lubido incesserat* (cp. 10 *pestilentia invasit*). Vide plura ap. Forcell.

INCELEBRATUS apud solum Tacitum Ann. 6, 7 *ab aliis incelebrata.*

INCENDIARIUS Ann. 15, 67 *postquam — histrio et incendiarius exstitisti* (Nero); cf. Plin. H. N. 10, 17 *incendiaria avis bubo* i. e. incendium portendens. Vid. Forcell.

INCERTUS v. genitiv.

INCESSERE v. incedere.

INCESSUS us 1) ut vulgo, de modo incedendi Hist. 1, 53 *erecto incessu;* Ann. 3, 33 *ad similitudinem barbari incessus.* 2) apud solum nostrum est inruptio, invasio et aditus Ann. 12, 50 *incessu Parthorum;* 2, 55 *civitatem turbido incessu exterritam;* 4, 24 *primo sui incessu solvit obsidium;* 3, 74 *tres incessus, totidem agmina parantur.* — 6, 33 *cum alios incessus hostis clausisset.*

INCESTARE Ann. 6, 19 *defertur incestasse filiam.* Ita Sueton.; ap. poetas latius patet sign., idemque est quod *violare, maculare.*

INCIDERE c. accus. v. accusat.

INCIPERE Ann. 1, 19 *incipientes principis curas;* Hist. 1, 31 *incipiens adhuc et nondum adulta seditio;* cf. Ovid. de A. 2, 648 *incipiens omnia sentit amor.* Sed est etiam quod probes Acidalii in Ann. 1, 19 conjecturam *incipientis;* cf. Plin. Pan. 57 *et incipientes principes et desinentes;* Plin. alter 2, 23 *incipiente Augusto* (v. finis). — Ann. 12, 10 *mandata in hunc modum incipiunt,* ut Sall. Jug. 109 *statim sic rex incipit: Nunquam ego ratus sum cet.* — Pleonasmus inesse videtur, sed non est re vera Dial. 16 *Demosthenes incipit eodem mense exstitisse;* cf. cp. 11 *ingredi famam auspicatus sum;* Germ. 30 *Catti initium sedis ab Hercynio saltu inchoant.*

INCITAMENTUM Ann. 1, 55 *incitamenta irarum.* Ita Cic. et Curt. singulis ll.

INCITARE insolentius pro *augere* Ann. 3, 25 *incitandis coelibum poenis.*

INCLARESCERE Ann. 12, 37 *neque mea fortuna neque tua gloria inclaruisset.* Ita Suet. et Plin. maj.

INCLINARE intransit. ut plerumque Cic. et Liv. 1) Ann. 1, 64 *inclinantes jam legiones;* Hist. 3, 83 *quotiens pars altera inclinasset;* Ann. 15, 21 *initia magistratuum nostrorum meliora ferme, et finis inclinat.* Cf. Liv. 3, 61 *si fortuna belli inclinet;* haud rara ap. Liv. locutio *inclinat acies.* 2) cum *ad* et *in* praepositionibus Ann. 13, 34 *magis ad servitium inclinantes;* Hist. 4, 68 *ad mitiora inclinantes Galliarum civitates;* 2, 45 *qui ferociores fuerant ad poenitentiam inclinantibus;* Ann. 14, 38 *tardius ad pacem inclinant.* — Ann. 12, 13 *in Gotarzen per occulta et magis fida inclinabat;* 2, 56 *favor nationis inclinabat in Zenonem;* 14, 5 *visum dehinc remigibus unum in latus inclinare;* — ib. cp. 2 *fama* huc *inclinat;* Hist. 3, 27 *huc inclinavit Antonius;* 1, 59 *cohortes* — prout *inclinassent, grande momentum sociae aut adversae.*

Cf. Liv. 30, 9 *in hoc consilium maxime inclinant;* 1, 24 (coll. 7, 9) *hos ut sequar inclinat animus.* 3) raro transitive, qui vulgaris est usus, Germ. 8 *quasdam acies inclinatas jam et labantes a feminis restitutas;* Hist. 1, 81 *inclinatis ad suspicionem mentibus.* Ita Liv. et alii plerumque *inclinatae res, vires, acies;* etiam *se inclinare alii* usurpant; i. q. *declinare* est Liv. 5, 8 *cum omnem culpam in collegam inclinaret.*

INCLINATIO Hist. 2, 35 *variis trepidantium inclinationibus mixti remiges propugnatoresque;* cp. 92 *variis in hunc aut illum Vitellii inclinationibus;* Ann. 1, 28 *utendum inclinatione ea* (animorum) — *ratus;* 2, 38 *inclinatio senatus* (ad misericordiam) *incitamentum Tiberio fuit, quo promptius adversaretur;* 4, 20 *principum inclinatio in hos, offensio in illos.* Ita saepissime aequales et Cicero.

INCOMPTUS proprie ap. Hor. et Suet.; translate de oratione ap. Cic., Germ. 14 *epulae et, quamquam incompti, largi tamen adparatus pro stipendio cedunt.* Vid. comere et impexus.

INCONCUSSUS Ann. 2, 43 *fratres — proximorum certaminibus inconcussi;* Hist. 2, 6 *inconcussa pax.* Cf. Stat. Silv. 5, 1, 142 *Florebant hilares inconcussique penates;* Sen. epist. 45 *inconcussus, intrepidus;* 67 *inconcussum otium;* v. beata 3 *inconcussum gaudium.*

INCREPARE rem i. e. vehementer reprehendere Ann. 1, 39 *fatalem increpans rabiem;* 6, 43 *pueritiam Tiridatis increpat;* 11, 13 *theatralem populi lasciviam severis edictis increpuit;* Hist. 1, 5 *nec deerant sermones senium atque avaritiam Galbae increpantium;* cp. 90 *inscitiam potius legionum quam audaciam increpans.* Priores plerumque *aliquem increpare* usurpant, sed singulis exemplis Liv. quoque et Cic. exhibent *ignaviam, dialecticam, arrogantiam increpare.*

INCRUENTUS nulli praeter Livium saepius usurpatum Hist. 3, 66 *incruentam urbem Vespasiani exercitus intrasset:* Agric. 17 *non incruenta proelia;* Hist. 1, 29 *incruenta urbs;* 2, 44 *incruenta victoria;* 3, 13 *integros incruentosque quid dicturos?;* Ann. 2, 46 *pax incruenta;* 12, 46 *ne dubitaret armis incruentas conditiones malle;* cp. 17 *quem (exercitum) incruentum et victorem tridui itinere abfuisse — constitit;* 13, 37 *posse illi regnum stabile et res incruentas contingere.* Cf. Liv. 2, 31. 56; 4, 17. 28; 7, 8; 8, 29; 9, 12. 17; 10, 29; 21, 29; 27, 12. 14. 49; 35, 5; 37, 16; 40, 32; 42, 7. 66; Sall. Cat. 61

et Jug. 97 (sed h. l. Forcell. non recto capitis numero laudavit). Liv. ac Sall. *cruentus* quoque usurpant, sed raro.

INCUMBERE 1) translate cum dativo, more hujus aevi, dum, Quintiliano jam monente, priores in vel ad praepositiones jungunt Dial. 3 *ut — novae cogitationi toto pectore incumbam.* 2) cum infin. Hist. 2, 10 *Crispus incubuerat delatorem fratris sui pervertere.* Ita Virg. Georg. 4, 248 *acrius omnes incumbent — sarcire ruinas.* 3) aequalium plerumque et poetarum more i. q. urgere, instare et absolute et cum dativo et in praepos. Ann. 4, 24 *si cuncti, quibus libertas servitio potior, incubuissent;* cp. 73 *satis validi, si simul incubuissent;* 11, 6 *discors Suilio Silius acriter incubuit — exempla referens;* — Ann. 2, 17 *incubuerat sagittariis;* 14, 54 *mihi incumbit (invidia), mihi subveniendum est;* — Hist. 3, 10 *ira militum in T. Ampium Flavianum incubuit;* cp. 32 *Vetere odio in excidium Cremonensium incubuit;* 4, 41 *eaque velut censura in Sariolenum — acerrime incubuit,* et post paullo: *Sariolenum et recens crimen urgēbat.* Cf. Curt. 6, 4, 19 *ingens in litus mare incumbit;* Plin. H. N. 5, 40 *mare incumbit.*

INCURIA 1) active i. q. negligentia Ann. 3, 31 *incuriâ magistratuum;* 4, 48 *incuriâ eorum compertâ;* Agric. 20 *vel incuria vel tolerantia.* 2) passsive Ann. 4, 36 *incuria caerimoniarum;* 12, 57 *incuria operis manifesta fuit* (i. e. sine cura opus confectum fuisse); 16, 4 *per incuriam publici flagitii.* Utuntur hac voce priores quoque, et utraque quidem sign. Cf. praeter locos Forcellinianos e Cicerone et Horat. desumptos Nepos Att. 20 *aedes vetustate atque incuria detecta;* auct. ep. ad Caes. de ord. rep. 1 *ne incuriâ deformentur.*

INCURIOSUS (INCURIOSE) maxime inter omnes Tacito frequens, sed aequalibus quoque usurpatum. Adverbio Livius semel utitur 8, 38 *castra — incuriose posita.* — Ann. 2, 88 *recentium incuriosi;* 4, 32 *proferendi imperii incuriosus;* 6, 17 *acribus initiis, incurioso fine;* 14, 38 *serendis frugibus incuriosos;* 4, 23 *Ptolemaeo juventâ incurioso;* cp. 45 *praetorem — pace incuriosum;* 15, 31 *Vologesen — non incuriosum fratris;* Hist. 1, 13 *Otho pueritiam incuriose egerat;* cp. 34 *credula fama inter gaudentes et incuriosos;* cp. 49 *famae nec incuriosus nec venditator;* cp. 79 *vagos et incuriosos tertia legio — invasit;* 2, 17 *faciles occupantibus et melioribus incuriosi;* cp. 88 *incuriosos milites — spoliavere;* 3, 6 *occasio invadendi incuriosos;* cp. 56 *summi discriminis incuriosos;* 4, 28

incuriosius agentes; 5, 22 incuriosis vigiliis; Agric. 1 *incuriosa suorum aetas.* Vid. Doederl. Synon. III p. 120.

INCURSARE v. accusat.

INCUS Dial. 20 *studiorum incude positi.* Cf. Cic. de or. 2, 39; Dronk. ad dial. locum p. 152, et Osann. p. 36.

INCUSSUS, us Hist. 4, 23 *armorum incussu praecipitati.* Ita Sen. de constant. 6 *munimenta incussu arietis labefieri.*

INCUSTODITUS (Ovid., Mart., Sil., Plin. min.) Ann. 2, 12 *secreti et incustoditi;* 12, 4 *incustoditus amor;* 15, 50 *Nero — incustoditus;* cp. 55 *incustoditá dierum observatione;* Hist. 4, 65 *transitus incustoditi.*

INDAGO, INIS ex *in* et *ago* conflatum proprie ap. poetas de venatione, dein similitudinis causa (unde semper fere adduntur *velut, quasi, modo*) ad strategemata refertur a rerum scriptoribus: Agric. 37 *cohortes indaginis modo — silvas persultare jussit;* cf. Liv. 7, 37 *cum praemissus eques velut indagine dissipatos Samnites ageret;* auct. B. G. 8, 18 *velut indagine hunc insidiis circumdederunt;* Flor. 4, 2, 32 *rates — actis sub mari funibus captae quasi per indaginem;* 12, 48 *efferam gentem ritu ferarum quasi indagine debellabat.* Latius jam patet h. v. usus ap. Tacitum et Plin. min. cf. Ann. 13, 42 *testamenta et orbos velut indagine ejus capi;* Plin. Pan. 35 *delatores — in aeternum repressisti in illa poenarum indagine inclusos.* Seriores praeeunte Plin. majore etiam ad doctas disquisitiones referunt, sed *res altioris indaginis,* recentioribus haud rara locutio, nusquam, quod sciam, reperitur ap. veteres.

INDE v. deinde et hinc.

INDECORIS Agric. 16 *indecoris atque humilis,* poetice pro *indecorus,* ut ap. eundem nostrum et *decor* et *decus* usurpantur; atque cum in libro scripto sit illa lectio, rectius sane cum Hertelio retinueris quam cum Walchio rejeceris.

INDEFENSUS vid. inauditus.

INDERE maxime Tacito frequens Ann. 2, 56 *quod illi vocabulum indiderant ex nomine urbis;* 3, 14; 12, 69 *inditus lecticae;* 4, 46 *castella rupibus indita;* 12, 57 *inditis pontibus pedestrem ad pugnam;* cp. 3 *cui non judicium non odium erat nisi indita et jussa;* Hist. 4, 34 *immane quantum suis pavoris et hostibus alacritatis indidit;* 5, 4 *Moses — novos ritus — indidit;* Ann. 15, 37 *inditum imperatori flammeum;* 3, 28 *inditi custodes;* 11, 32 *indita sunt vincula;* 15, 57 *vinclo — indidit cervicem;* 11, 1 *vinclis inditis in urbem raptus.*

Praeter nostrum saepissime Plautus h. v. utitur, aliquot locis Curtius, Florus, alii, sed Livius quoque, 1,34. 49; 40,44: *inditum nomen; cognomen indere, inditum.*

INDICATIVUS saepissime a Tacito, Sallustio tamen, Livio, Caesare praeeuntibus, ponitur loco conjunctivi, atque tantum abest, ut eum propter hunc usum negligentiae accusemus, ut eum et linguae legibus summa cum diligentia obtemperasse et ibi etiam, ubi ab iis recessisse videri possit, vim orationis egregie auxisse contendamus.

1) indicativus pro conjunctivo usurpatur, ubi orationi obliquae, quam dicunt, sententiae inseruntur ab ipsius scriptoris ingenio profectae vel certe in ipsius narrationis seriem receptae et adsumptae quasi ex animo eorum, qui loquentes inducuntur. Ann. 4, 10 *ea fraude tum senem, postquam convivium inierat, exceptum poculum Druso tradidisse;* cp. 56 *omnes qui* adstabant (adstantes) *detraxisse corpori tegmina;* 13, 49 *quin de bello, aut pace — quibusque aliis Romana* continentur, *suaderet?*; 1, 36 *legata, quae* petiverant, *exsolvi duplicarique;* 6, 29 *illum, quia male administratae provinciae aliorumque criminum* urgebatur, *culpam invidiâ velavisse;* 3, 69 *non quidem sibi ignara quae de Silano* vulgabantur (i. e. de Silano vulgata), *sed non ex rumore statuendum;* 14, 28 *auxitque patrum honorem statuendo ut, qui a privatis judicibus ad senatum provocavissent, ejusdem pecuniae periculum facerent cujus ii qui imperatorem* adpellavere; 1, 53 *quidam non Româ eos milites, sed ab L. Asprenate, proconsule Africae, missos tradidere, auctore Tiberio, qui famam caedis posse in Asprenatem verti frustra* speraverat; cp. 10 *ab Augusto arma, quae in Antonium acceperit, contra remp. versa: proscriptionem civium, divisiones agrorum* (ei exprobrabant), *ne ipsis quidem qui* cepere *laudatas;* 6, 12 *Gallo exprobrabat, quod — ante sententiam collegii, non, ut* adsolet, *lecto per magistros aestimatoque carmine, apud infrequentem senatum egisset;* Hist. 4, 16 *se cum cohorte, cui* praeerat, *Canninefatem tumultum compressurum.* Simillima ratio est demonstrativi pro reflexivo pronomine usurpati (cf. pronomen no. 2, b.) Vide super hac re Krügerum doctissime disserentem in primo fasciculo libri qui inscr. est „Untersuchungen aus dem Gebiete der latein. Sprachlehre" Brunsv. 1820 p. 64 sqq. Drakenborch. ad Liv. 3, 71, 6 (*se — in eo agro, de quo agitur, militasse*) et Cort. ad Sall. Cat. 27, 4. Non vero

huc retuleris recte Ann. 2, 26 *posse et Cheruscos — quando Romanae ultioni consultum est, internis discordiis relinqui;* nam ibi *esset* legendum esse cum aliis Imm. quoque Beckerus vidit, cum durior sane esset hoc orationis nexu indicativus, eademque ratio est loci Ann. 16, 1, ubi legendum *ut conjecturâ demonstraret.* Cf. tamen Ramsh. Gr. p. 620 extr. et Waltheri observatt. in T. opera, specim. I p. 4 sqq.

De usu indicativi notissimo cum particulae adjuncti in hunc modum: Germ. 21 *cum* (ubi) *defecere — proximam domum adeunt;* cp. 37 *sexcentesimum et quadragesimum annum urbs nostra agebat, cum primum Cimbrorum audita sunt arma,* vid. Walch. Emendatt. Livv. p. 184.

2) Longe frequentissimus Tacito est indicativus dum particulae junctus in indirecta quam dicunt oratione: Ann. 2, 81 *Piso oravit, uti traditis armis maneret in castello, dum Caesar, cui Syriam permitteret, consulitur;* 13, 15 *Nero lenti sceleris inpatiens minitari tribuno, jubere supplicium veneficae, quod, dum rumorem respiciunt, dum parant defensiones, securitatem morarentur;* 14, 58 *si — milites — propulisset, dum refertur nuntius Neroni, dum manus alia permeat, multa secutura, quae ad usque bellum evalescerent;* 15, 45 *tradidere quidam venenum — vitatum a Seneca — dum simplici victu et agrestibus pomis — vitam tolerat;* cp. 59 *quanto laudabilius periturum, dum amplectitur rempublicam, dum auxilia libertati invocat;* Hist. 1, 33 *non exspectandum ut compositis castris forum invadat, — dum egregius imperator — janua ac limine tenus domum cludit;* 3, 38 *versas illuc omnium mentes, dum Vitellius — fovet aemulum* (contra 4, 17 *dum alii Vespasianum, alii Vitellium foveant, patere locum adversus utrumque*); cp. 70 *togatum nempe se et unum e senatoribus, dum inter Vespasianum ac Vitellium proeliis legionum — judicatur — mansisse in fide;* 5, 17 *suam illic victoriam Germanis obstitisse, dum omissis telis praedâ manus impediunt;* Dial. 32 *certum habeo dicturos (eos) me, dum juris et philosophiae scientiam tanquam oratori necessariam laudo, ineptiis meis plausisse.* Patet ex his exemplis, *dum* indicativo junctum participio quoque exprimi posse, cujus usus nonnunquam cum illo conjunctus est, e. g. Hist. 3, 70 *togatum nempe se — dum inter Vespasianum ac Vitellium proeliis — judicatur, jam* Hispaniis — desciscentibus — *mansisse in fide.* — Apud priores haud multa hujus usus exempla invenias, ut Liv. 2, 57 *dum tribuni consulesque ad se*

quisque omnia trahunt, nihil relictum esse virium in medio; 26, 16 *quidam tradunt — dum inter ceteros ad palum deligatur, quia parum inter strepitus exaudiri possent, quae vociferabatur, silentium fieri Flaccum jussisse;* neque etiam apud ceteros magnum numerum. Cf. inter alios locos Quintil. 1, 4, 22 *quod etiam monere supervacuum fuerat, nisi — inciperent, et, dum — malunt, morarentur;* Plin. epist. 8, 14 *ut imperare parendo, duces agere dum sequuntur, adsuescerent;* Plin. H. N. 11, 65 *Metellum — adeo inexplanatae (linguae) fuisse accepimus, ut multis mensibus tortus credatur, dum meditatur — vere dicere.*

Conjuncta esse videtur haec sermonis Tacitei proprietas cum alia quae et ipsa pertinet ad usum *dum* particulae, qua saepius multo quam apud alios recta etiam oratione usurpatur, et praesente quidem tempore juncto, licet aliud tempus requirat orationis nexus. Exempla ubique obvia sunt in Taciti libris. Ita cum praesente Liv. 21, 7; 26, 44; cum perfecto 30, 39; 32, 16; 33, 18; 34, 25; cum imperf. Epit. 130; cum plusquamperf. 31, 14. Raro Cic. hunc usum secutus est e. g. Att. 9, 6; saepius Caesar.

3) nemo saepius usurpat pro conjunctivo indicativum in ejusmodi sententiis, quae cum conditionem exprimant, ea quae ex conditione pendent propemodum usu venisse indicant, ut est e nostro sermone petitum exemplum „Er war verloren, hätte er seinen Entschluß nicht geändert." Plerumque *nisi*, rarius *si*, juncto plusquamperf., nonnunquam imperfecto inchoat conditionem, et quae ea restringuntur maximam parpartem praecedunt:

a) imperfecto: Ann. 4, 71 ni *mihi destinatum* foret — avebat *animus anteire;* 11, 10 *reciperare Armeniam* avebat, ni *cohibitus* foret, Hist. 1, 16 (*etiam*) si *immensum imperii corpus stare ac librari sine rectore* posset, *dignus* eram, *a quo respublica inciperet;* Ann. 1, 35 *elatumque (ferrum)* deferebat *in pectus,* ni *proximi prensam dextram vi* attinuissent; cp. 63 trudebanturque *in paludem* — ni *Caesar* — instruxisset; cp. 65 *Caecina* circumveniebatur, ni — *sese* opposuisset; cp. 69 ni *Agrippina impositum Rheno pontem solvi* prohibuisset, erant *qui id flagitium formidine auderent;* 6, 36 *nec ideo* abscedebat, ni *contractis legionibus Vitellius — metum Romani belli* fecisset; cp. 43 si *statim interiora* — petivisset, *oppressa cunctantium dubitatio* (erat) *et omnes in unum* cedebant; 11, 34 *urbem ingredienti* offerebantur *communes liberi,* nisi

Narcissus amoveri eos jussisset; 12, 39 *nec ideo fugam* sistebat, ni *legiones proelium* excepissent; 13, 2 ibaturque *in caedes*, nisi *Afranius Burrus et Annaeus Seneca obviam* issent; Hist. 4, 36 *eadem in Voculam* parabantur, nisi *servili habitu per tenebras ignoratus* evasisset; Agric. 37 *circumire terga vincentium* coeperant, ni *id ipsum veritus Agricola quattuor equitum alas — venientibus* opposuisset. Cf. Liv. 2, 50 vincebat *auxilio loci paucitas*, ni — evasisset; 28, 33 *anceps certamen* erat, nisi *equites* supervenissent; 4, 52 *fames tristior* erat, ni — foret *subventum*; 3, 19 *nunc* nisi *Latini — arma* sumpsissent, *capti et deleti* eramus; 25, 31 *quod (frumentum)* ni *tam in tempore subvenisset — perniciosa fames* instabat; 34, 29 *difficilior facta oppugnatio* erat, ni — supervenisset. Ex aliis scriptt. petita exempla v. ap. Ramsh. p. 584.

b) plusquamperfecto, quo, more aoristi Graecorum futuri exacti loco positi, magis etiam augetur orationis vis. Ann. 4, 9 si *modum orationi* posuisset, *misericordiâ sui gloriâque animos audientium* impleverat; 6, 9 contremueruntque *patres* —, ni *Celsus — Calvisium discrimini* exemisset; 11, 37 ni — properavisset —, verterat *pernicies in accusatorem*; 15, 50 *hic occasio solitudinis, ibi ipsa frequentia tanti decoris testis pulcherrimum animum* exstimulaverant, nisi *impunitatis cupido* retinuisset; Hist. 3, 28 incesserat *cunctatio*, ni *duces — Cremonam monstrassent*. — Cf. Cic. Fam. 12, 10 *praeclare* viceramus, nisi — *Lepidus* recepisset *Antonium*. — Ejusdem generis sunt quae in explicata ratione temporum suo loco n. 3 exponuntur, e. g. Agric. 4 *se studium philosophiae acrius* hausisse, ni *prudentia matris — animum* coercuisset.

c) perfecto Hist. 1, 64 *prope in proelium* exarsere, ni *Valens* — admonuisset; Dial. 17 si *eum — fatum aliquod in urbem* pertraxisset, *idem Caesarem ipsum et Ciceronem audire* potuit, *et nostris quoque actionibus interesse*. Cf. Liv. 2, 10 *pons iter paene hostibus* dedit, ni *unus vir* fuisset *cet.*; cp. 65 *sic prope* oneratum est *sinistrum cornu*, ni — *metum* excussisset.

d) praesente historico quod dicitur Ann. 2, 22 *bellum in Angrivarios Stertinio* — mandat, ni *deditionem* properavissent; sed non plane eadem h. l. ratio est, quam in praecedentibus observavimus; cf. Liv. 4, 28 *poenas rebellionis* dedissent, ni *Vectius* — inquit. Sed perf. esse potest.

e) ra-

e) rariora sunt ap. Tacitum exempla vulgari dicendi generi accommodata, ut Hist. 2, 66 exarsisset — ni fecissent; 4, 34 si instruxisset *aciem* — *circumiri* nequisset, et: si maturasset, *solvere obsidium* — potuisset. — Nonnunquam imperfectum pro plusquamperfecto positum invenitur, cujus rei eadem fere ratio est, quae imperf. indicativi (v. supra a): Ann. 12, 37 *si statim deditus* traderer, *neque mea fortuna, neque tua gloria inclaruisset;* Hist. 3, 63 *tanta torpedo invaserat animum, ut, si principem eum fuisse ceteri non meminissent, ipse* oblivisceretur; Agric. 16 *quod nisi* — *propere subvenisset, amissa Britannia* foret; cp. 26 *quod nisi paludes — texissent, debellatum eâ victoriâ foret.* Cf. Liv. 10, 41 *nec sustinuissent — ni* — retinerent; Sall. Jug. 59, 3 *neque diutius Numidae restistere quivissent, ni pedites* — facerent. Vide alia exempla ap. Cortium ad h. l. et Drakenb. ad Liv. 38, 2, 2, coll. 34, 11, 2. Optime de enallage imperf. pro plusq. disput. Etzlerus v. doctissimus in Annal. Jahn. Vol. XI. fasc. 2.

INDIGUS Hist. 3, 22 *indigus rectoris;* cp. 48 *urbem externae opis indigam.* Poetica ea vox, legitur etiam ap. Plin. maj.

INDISCRETUS qui discerni non potest, ap. Virg. Aen. 10, 392 *simillima proles Indiscreta suis gratusque parentibus error;* qui disjungi, avelli non potest, ap. nostrum Hist. 4, 52 *suum cuique sanguinem* (prolem) *indiscretum.* Cf. Quintil. 1, 2, 3 *juncta ista atque indiscreta sunt.* Alia vide ap. Forcellinum.

INDISPOSITUS i. q. incompositus, vox ap. solum Tacitum obvia Hist. 2, 68 *apud Vitellium omnia indisposita, temulenta.*

INDISTINCTUS Ann. 6, 8 *indistincta haec defensio et promiscua dabitur?* Utitur h. voce praeter Catullum nostrumque maxime Quintilianus.

INDIVIDUUS Ann. 6, 10 *Rhodum secuti (eum) et apud Capreas individui.* Alio modo Cicero de atomis, quas dicit *individua corpora s. corpuscula* et simpliciter *individua,* etiam singulari numero. Nemo praeterea h. v. usus esse videtur; *individuitas* legitur ap. Tertullianum.

INDOLERE, INDOLESCERE Ann. 4, 17 *aequari adolescentes senectae suae impatienter indoluit.* Ita semel Cicero, saepius poetae et argenteae aetatis scriptores Forcellino quidem auctore.

INDUBIUS (Quintil.) Ann. 14, 45 *plurimorum indubiam innocentiam miserantium.*

INDUCERE translate omnino pertinet ad ea, quae quis de industria agit, ut ad aliquam rem adducat alterius animum. Quare idem est fere 1) quod permovere, insolentius usurpatum juncto infinitivo Ann. 12, 9 *consulem — promissis inducunt sententiam promere;* priores dicunt *aliquo, ad rem inducere* aut *ut* particulam jungunt. 2) *inducere affectum* est ita animum permovere, ut certo quodam modo afficiatur Dial. 6 *coire populum — et accipere affectum quacunque* (i. e. Osanno interprete, *quocunque modo*) *orator induxerit* (affectum scilicet). Ita rectius haud dubie cum Dronkio et G. Jacobo Osannus, quam quae est Lipsii conjectura facilitate tantum commendata *quemcunque orator induerit;* nam quae praecedit vox *accipere* ejusmodi verbum postulat, quo quid agat tribuatque orator populo, non quomodo ipse affectus sit, exprimatur. Minus bene contulit Dronkius Quintil. 11, 3, 58 *ab his affectibus, in quos inducendus est judex, recedere;* pertinet h. l. ad priorem verbi significationem; magis cum illo congruit alter Taciti locus ubi *inducere* est speciem alicujus rei adsumere, ad animos hominum permovendos ac sollicitandos Ann. 1, 7 *ad introspiciendas etiam procerum voluntates inductam dubitationem;* falso enim Gronovius in observatt. 1, 2 *indutam* suasit legendum, minus fortasse perspiciens illius verbi usum. Hinc 3) idem fere valet quod decipere proprie fraude aliquo adducere Ann. 2, 52 *spe victoriae inducti sunt ut vincerentur.* Cf. Cic. Att. 3, 15 *ego proditus, inductus, conjectus in fraudem;* Rosc. Am. 40 *homines induxit, decepit, destituit;* Pis. 1 *eos decepit, fefellit, induxit;* Phil. 2, 32 *qui tum est — inductus, elusus.*

INDUERE maxime frequens Tacito et haud raro insolentiori etiam junctura Ann. 6, 42 *plurimum adulationis Seleucenses induere;* 15, 69 *speciem judicis induere;* 4, 12 *habitum ac voces dolentum simulatione magis quam libens induebat;* 11, 7 *magnum animum induere;* 16, 28 *proditorem et hostem induere;* 2, 15 *seditionem;* 1, 69 *munia ducis;* 12, 13 *societatem alicujus;* cp. 40 *hostilia;* Hist. 4, 57 *hostiles spiritus;* Ann. 6, 33 *diversa induere* i. e. diversas partes sequi; Hist. 4, 38 *falsos pavores induere;* 6, 20 *qualem diem Tiberius induisset* (recte Gron. in observatt. 1, 2 „dies pro habitu et facie hominis in die, ut tempus pro illis quae sunt in tempore.“ Similia sunt ap. Cic. *induere cognomen, personam judicis;* ap. Liv. *simulationem, ingenium novum, percussoris speciem.* — More serioris aevi, ut exempla probant Gellii et Claudiani, et

congruenter ad usum τοῦ *exuere* dicitur *aliquid aliqua re induere* Ann. 15, 45 *animum bonis artibus non induerat.* Vide interpretes.

INDULGERE v. accusat.

INDURARE transl. Hist. 2, 46 *ut flexerat vultum aut induraverat.* Ita Liv. et maxime Seneca; propria sign. ap. poetas et Plin. maj.

INDURESCERE transl. de fidei constantia Hist. 3, 61 *gregarius miles induruerat pro Vitellio.* Utuntur h. v. et hac et propria sign. aequales Taciti et inter priores Celsus ac poetae.

INDUTUS, us ap. solum Tacitum Ann. 16, 4 *ea, quam indutui gerebat veste,* et ejus imitatorem Ammian., qui praebet *indutibus.*

INEMPTUS (Virg., Martial.) Hist. 2, 60 *dedit — consulatum Simplici innoxium et inemptum.*

INERMUS v. exanimis.

INESSE insolentius 1) cum dativo constr. hujus et inferioris aevi more Ann. 2, 12 *amicis inesse adulationem;* 3, 34 *Messallinus, cui parens Messalla, ineratque imago paternae facundiae;* 15, 31 *externae superbiae sueto non inerat notitia nostri;* Hist. 4, 27 *tanta illi exercitui diversitas inerat licentiae patientiaeque;* cp. 41 *quis flagitii conscientia inerat;* 5, 13 *pluribus persuasio inerat.* — Hist. 1, 1 *malignitati falsa species libertatis inest;* 2, 18 *quo plus auctoritatis inesset consiliis.* — Non desunt tamen priorum exempla: Cic. Off. 1, 42 *quibus artibus prudentia major inest;* senect. 2 *tanta inest stultitiae inconstantia;* Liv. 2, 41 *patribus sollicitudo inerat;* ita 5, 6; 23, 35; 28, 18; Sall. Cat. 40. 58; Nep. Epam. 5; haud pauca exhibent poetae. Cf. etiam Cic. Harusp. resp. 25 *inest hoc tempore haud obscurum odium.* 2) absolute, ita tamen, ut facile subintelligatur pronomen Agric. 39 *inerat conscientia derisui fuisse nuper falsum e Germania triumphum;* cf. Liv. 9, 16 *praecipua pedum pernicitas inerat, quae cognomen etiam dedit (Papirio Cursori);* 42, 39 *inerat cura insita mortalibus videndi congredientes nobilem regem;* Cic. Phil. 11, 1 *inest tamen aliquid, quod reip. profuturum putem;* Sall. Cat. 25 *facetiae multusque lepos inerat;* Jug. 64 *inerat contemptor animus.* Similis quidem, sed minime congruens, est usus τοῦ *ἐνεῖναι* apud Graecos, quem contulit Walch. ad locum Agricolae, laudato versu Soph. O. T. 578 *ἄρνησις οὐκ ἔνεστιν ὧν ἀνιστορεῖς;* nam *ἔνεστι* idem est quod *ἔξεστι, ἐγγίγνεται, licet.*

INEVITABILIS (Curt., Sen.) Ann. 1, 74 *inevitabile crimen;* Hist. 4, 24 *fraudem et dolum obscura, eoque inevitabilia.*

INEXHAUSTUS Hist. 5, 7 *modicum id littus et egerentibus (vitrum) inexhaustum;* Germ. 20 *sera juvenum venus, eoque inexhausta pubertas.* Ita semel Virg. de metallis, Cic. uno et ipse loco de aviditate legendi.

INEXPERTUS 1) active, ut ap. Horat. Ovidiumque, Ann. 16, 5 *lasciviae inexperti;* Hist. 1, 8 *bellis inexpertus.* 2) passive, ut haud raro Livius etiam Ann. 1, 59 *aliis gentibus — inexperta esse supplicia, nescia tributa;* Hist. 2, 75 *legiones civili bello inexpertas.*

INEXPLEBILIS Hist. 2, 62 *epularum foeda et inexplebilis libido;* cp. 95 *inexplebiles Vitellii libidines.* Ita Cic. exhibet *inexpl. cupiditas,* Liv. *vir inexplebilis virtutis veraeque laudis;* saepius utuntur h. v. Taciti aequales serioresque.

INEXPLICABILIS, qua voce Cic. quoque, Liv., alii utuntur, audacius paullo a Tacito usurpatur Ann. 3, 73 *bellum inexplicabile minitari.*

INFENSARE apud solum Tacitum Ann. 6, 34 *infensare pabula;* 13, 37 *bello infensare Armeniam;* sine casu etiam cp. 41 *ut quasi infensantibus deis exitio tradi crederetur.* Eodem modo infensus frequentatur Tacito pro *infestus,* praeeuntibus tamen praeter poetas Livio et Cicerone, Ann. 1, 81 *eruptura ad infensius servitium;* 4, 33 *etiam gloria ac virtus infensos habet;* 5, 3 *Tiberius — infense invectus;* 11, 1 *opes principibus infensas;* 14, 46 *valetudo infensa;* 15, 10 *adventare Vologesen magno et infenso agmine;* Hist. 4, 25 *infensior illic miles.*

INFERIUS Ann. 3, 3 *inferius majestate sua rati;* cp. 64 *ut inferius majestate principis.* Cf. Quintil. 8, 4, 4 *et si tantum* verberatus *esset, uno gradu increverat, ponendo etiam id esse* facinus, *quod erat inferius, et, si tantum* occisus *esset, per plures gradus adscenderat.* Priores hac quidem significatione, qua ad gradum et dignitatem pertinet *inferior* tantum usurpasse videntur.

INFERNUS Ann. 2, 28 *ut infernas umbras carminibus eliceret;* cp. 69 *numina inferna;* Hist. 5, 5 *eadem de infernis persuasio, coelestium contra;* Germ. 43 *atras ad proelia noctes legunt, ipsaque formidine atque umbra feralis exercitus terrorem inferunt, nullo hostium sustinente novum ac velut infernum adspectum.* Ita Livius habet *dii inferni, stagna inferna;* saepius multo poetae h. v. usurpant.

INFICERE 1) proprie Hist. 2, 55 *quem locum Galba moriens sanguine infecerat.* Ita aequales et poetae loquuntur. 2) translate, et plerumque quidem in malam partem, i. q. polluere, maculare, sed, non maculas quasdam adspergere et superficiem quasi inquinare, sed penitus corrumpere, ut patet e Sen. epist. 59 *diu in istis vitiis jacuimus, elui difficile est; non enim inquinati sumus, sed infecti.* — Ann. 2, 2 *petitum alio ex orbe regem hostium artibus infectum;* cp. 85 *quattuor millia libertini generis ea superstitione infecta;* 3, 65 *tempora illa adeo infecta et adulatione sordida fuere cet.;* 6, 7 *infecti quasi valetudine et contactu;* 11, 6 *infectum (filium Arminii) alimonio, servitio, cultu, omnibus externis;* Germ. 4 *Germaniae populos nullis aliis aliarum nationum connubiis infectos,* ad quem locum minus recte, in universum quidem, ut ex prioribus exemplis perspici licet, Passovius adnotavit „verbis *inficere, vitiare, corrumpere, venenare,* et Graecis *μιαίνειν, μολύνειν, φθείρειν* non adhaeret notio rei in pejus mutatae, sed mixtae tantum, et non jam sincerae v. Iliad. 4, 141. Pors. ad Eurip. Orest. 909; Schaef. ad Dion. Hal. de comp. verb. p. 131; Germ. cp. 23. Interpp. Virg. Georg. 2, 466 et Persii 2, 64. Hinc Gallograeci Floro 2, 1 *adulterata gens* dicuntur.“ Sane nostro etiam loco mutatio quaedem in pejus exprimitur, ut plerumque ap. priores quoque. Cf. locum similem Germ. 46 *procerum connubiis mixtis nonnihil in Sarmatarum habitum foedantur.* Media quam dicunt vox est Hist. 1, 74 *crebrae interim et muliebribus blandimentis infectae ab Othone ad Vitellium epistolae offerebant pecuniam;* quamquam hoc etiam loco corruptelam quandam exprimit; in bonam partem usurpavit Cic. Fin. 3, 2 *sed tamen jam infici debet iis artibus, quas si, dum est tener, combiberit, ad majora veniet paratior.*

INFINITIVUS ap. alium nullum scriptorem tam crebro a vulgari dicendi genere recedit, neque omnino saepius usurpatur, cum ad orationis brevitatem, cujus nostrum amantissimum esse scimus, adjuvandam plurimum faciat.

1) infinit. praesentis ponitur pro inf. fut. Graecorum more Ann. 2, 34 *L. Piso — saevitiam oratorum accusationes minitantium increpans, abire se et cedere urbe, victurum in aliquo abdito et longinquo rure, testabatur; simul curiam relinquebat* ~~(vel volebat)~~; 14, 14 *ratusque dedecus amoliri, si plures foedasset, nobilium familiarum posteros egestate venales in scenam deduxit;* Hist. 1, 51 *accessit callide*

vulgatum, temere creditum, decumari legiones et promptissimum quemque centurionum dimitti; Agric. 9 *comitante opinione, Britanniam ei provinciam dari;* cp. 44 *durare in hac beatissima saeculi luce ac principem Trajanum videre quodam augurio votisque apud nostras aures ominabatur.* Similia sunt Ciceronis, Livii, Sallustii, Curtii, aliorum exempla. Adde locis a Walch. ad Agric. 44 collatis Liv. 33, 5; Cic. Brut. 31; Rosc. Am. 5 et cf. Drakenb. ad Liv. 27, 3, 4.

2) nominativus cum infin. conj. loco accusativi Hist. 4, 55 *ipse e majoribus suis hostis populi Romani quam socius jactabat;* similiter duobus, ut moris est Tacito, dicendi generibus conjunctis cp. 53 *id solum religio adnuere et prioris templi magnificentiae defuisse creditum.* Cf. Virg. Aen. 2, 377 *sensit medios delapsus in hostes* et similia ap. Ramsh. p. 432.

3) contra accusativus loco nominativi conj. cum infin., Graeco more, Ann. 1, 10 *dicebatur contra, pietatem erga parentem et tempora reip. obtentui sumpta;* Hist. 4, 52 *Titum — multo apud patrem sermone orasse* dicebatur, *ne cet.;* Ann. 2, 69 *maleficia, quis* creditur *animas numinibus infernis sacrari;* Hist. 1, 50 *ut tantum superioris Germaniae exercitum descivisse crederetur,* cp. 90 *Trachali ingenio Othonem uti credebatur;* 3, 79 *plebem quoque et servitia pro Vitellio armari* nuntiabatur; Germ. 33 *Angrivarios immigrasse* narratur. Ita Livius verbis *creditur, proditur, traditur, fertur, nuntiatur* haud raro jungit inf. cum accus. Vide Drakenborch. ad Liv. 1, 31, 8 et quos contulit Hess. ad Germ. 33. Rarissime *dicitur* hoc modo invenitur, ut Nep. Paus. 5, 3 *dicitur eo tempore matrem Pausaniae vixisse.*

4) infin. praes. pass. jungitur nonnunquam activo *coepi* pro pass. *coeptus sum.* Ann. 1, 34 *dissoni questus audiri coepere;* cf. Nep. Epam. 10 *postquam apud Cadmeam pugnari cum Lacedaemoniis coepit;* Liv. 2, 29 *ordine consuli coepit;* 22, 4 *postquam pandi agmen coepit;* 35, 35 *educi — coepere;* Sall. Cat. 12 *innocentia pro malivolentia duci coepit;* Jug. 92 *clarior haberi coepit;* Hor. Ep. 1, 15, 27 *urbanus coepit haberi;* Plin. H. N. 10, 41 *cerni coepere.*

5) infinitivus qui dicitur historicus, cujusque apud nullum magis quam apud Tacitum variat usus a) iteratur saepius plerumque quam ap. alios scriptores, conjunctus haud raro cum verbo finito, maxime cum praes. hist. Ann. 1, 2 *ubi militem donis — pellexit,*

insurgere paullatim, munia senatus, magistratuum, legum in se trahere; Agric. 19 *primum domum suam coercuit. — [agere] nihil per libertos servosque publicae rei, non studiis privatis — milites accire, sed optimum quemque fidelissimum putare; omnia scire, non omnia exsequi cet.* (cf. etiam cp. 38 ubi plurimi hujus generis infinitivi similiter coacervantur); Hist. 1, 45 *ruere cuncti in castra, anteire proximos, certare cum praecurrentibus, increpare Galbam, laudare militum judicium, exosculari Othonis manum, quantoque magis falsa erant, quae fiebant, tanto plura facere,* cp. 81 *qui — modo constantiam simulare, modo formidine detegi, simul Othonis vultum intueri;* 2, 22 *altiora murorum — incessere, neglecta aut aevo fluxa cominus adgredi; ingerunt desuper cet.* plura infinitivi cum v. finito conjuncti exempla v. infra in iis quae deinceps sequuntur; praeterea cf. Ann. 15, 11. 27 et Livii quam plurimos locos ap. Drakenb. ad 5, 47, 5 coll. 8, 28, 2. b) jungitur particulis non solum demonstrativis, ut ceterorum mos est, sed etiam copulativis. Hist. 3, 10 *ubi crudescere seditio et ad manus transibant, injici catenas Flaviano jubet;* cp. 31 *mox, ut praeberi ora contumeliis, et posita omni ferocia cuncta victi patiebantur, subit recordatio cet.;* 4, 80 *unde paullatim levior viliorque haberi, manente tamen in speciem amicitia;* Ann. 12, 51 *sed conjunx — toleravit; post — ubi quati uterus et viscera vibrantur, orare cet.;* 3, 26 *at postquam exui aequalitas, et — vis incedebat cet.* Persaepe *cum* particula in hunc modum adhibetur a nostro, ubi quae eodem tempore acciderint exprimuntur, praecedente plerumque *jam.* Ann. 2, 31 *strepebant etiam in vestibulo — cum Libo — vocare;* cp. 40 *jam celebrabant — cum Tiberium anceps cura distrahere;* 11, 34 *jam erat in adspectu — cum obstrepere accusator;* Hist. 3, 31 *jam legiones glomerabantur — cum languescere paullatim Vitellianorum animi;* Ann. 4, 50 *et ingruebat nox nimbo atrox, hostisque — incertos obsessores effecerat, cum Sabinus circumire, hortari cet.;* 6, 44 *jamque multa manu propinqua Seleuciae adventabat, cum Tiridates — distrahi consiliis, iret contra an bellum cunctatione tractaret.* Apud ceteros hujus usus praeter Liv. 2, 27; 4, 51; 6, 27 et Sall. Jug. 98 vix inveneris exempla. Livius in hoc dicendi genere eodem modo utitur haud raro praesente hist., perfecto et plusquamperfecto indicativi; imperfectum ind. jungitur etiam a Cic. et aliis *cum* particulae, ubi idem est quod *dum.* Similiter Tacitus.

sed minus ratione habita illius signif., Ann. 11, 26 *jam Messallina — ad incognitas libidines profluebat, cum abrumpi dissimulationem etiam Silius — urgebat.* Loco *cum* particulae *et* nonnunquam ponitur Ann. 4, 23 *jamque tres laureatae in urbe statuae (erant) et adhuc raptabat Africam Tacfarinas* (cf. loc. supra laudat. Ann. 15, 27). Ita Virg. Aen. 5, 857 sqq. *Vix primos inopina quies laxaverat artus, Et super incumbens* (deus eum) *projecit in undas praecipitem;* omissa etiam particula Aen. 10, 659 *Vix proram attigerat; rumpit Saturnia funem,* et passim ap. Ovidium et Silium. c) ellipsis est in inf. historico latentibus in eo *velle* et *posse.* Hist. 5, 15 *Civilis instare fortunae, Cerialis abolere* (ab. volebat) *ignominiam;* 4, 12 *erat et domi delectus eques, praecipuo nandi studio; arma equosque retinens integris turmis Rhenum perrumpere* (sc. poterat); Germ. 7 *in proximo pignora, unde feminarum ululatus audiri, unde vagitus infantium.*

Rarior est infinitivi narrativi usus ap. Ciceronem, qui vix saepius quam Verr. 1, 26; 2, 76; 4, 27. 29. 66; Fam. 10, 30; Att. 2, 11; 4, 3; 5, 21; 11, 9; Off. 3, 14 hanc locutionem usurpavit; neque etiam Caesar, Nepos, alii plerique multa exhibent exempla. Sed multi sunt in eo Livius ac Sallustius, ille maxime post *tum, tum vero, dein, jam, primo, ibi,* hic eo potissimum recedens a ceterorum usu, quod singula infinitivi hist. exempla, qualia apud plerosque inveniuntur intexta reliquae orationi, in fine etiam capitis usurpat, ut Jug. 65 *ita Mario cuncta procedere.*

6) Substantivi vice fungitur infinitivus Graecorum more a poetis, et haud multis exemplis etiam a prioris aevi scriptoribus recepto:

a) primo casu, ut Cic. Tusc. 3, 10 *non cadit autem invidere in sapientem;* de or. 2, 6 *me hoc ipsum nihil agere et plane cessare delectat;* Liv. 1, 47, 9 *ne non venisse fraudi esset* (cf. Drakenb. ad. 1, 54, 9); Ann. 15, 20 *culpa quam poena tempore prior, emendari quam peccare posterius est;* 11, 20 *legionibus cum damno labor, effodere rivos —, humum infra moliri;* cp. 24 *libertinorum filiis magistratus mandari — priori populo factitatum est;* Hist. 2, 82 *sufficere videbantur adversus Vitellium pars copiarum et dux Mucianus et Vespasiani nomen ac nihil arduum* (sc. esse) *fatis;* 3, 68 *nec quisquam adeo rerum humanarum immemor, quem non commoveret illa facies, Romanum principem — relicta fortunae suae*

sede — exire de imperio; cp. 1 *quibus opperiri auxilia et trahere bellum videbatur;* Dial. 6 *quae in judiciis veneratio! quod gaudium consurgendi adsistendique inter tacentes in unum conversos! coire populum, et circumfundi coronam, et accipere adfectum quacunque orator induxerit.*

b) secundo atque interdum sexto casu cum substantivis conj. loco gerundii, quamquam differt ab eo plerumque, cum non solum ad illustrandum atque supplendum id cui adnectitur, sed ad integrum orationis nexum pertineat. Ann. 6, 12 *quod a majoribus quoque decretum erat — quaesitis — carminibus Sibyllae, datoque sacerdotibus negotio, quantum humanâ ope potuissent, vera discernere;* Dial. 3 *etiamsi non novum tibi ipse negotium importasses, Domitium et Catonem — Graecorum fabulis adgregare;* Ann. 1, 56 *fuerat animus Cheruscis juvare Cattos;* 14, 14 *vetus illi cura erat curriculo quadrigarum insistere.* Ita Tibull. *causa perire* (pereundi) *fuit;* Caes. B. G. 7, 71 *consilium — dimittere;* Plin. H. N. 28, 40 *vis ejus* (est) *excalfacere, mordere, scindere, extrahere, discutere.* deinde cum adjectivis et participiis conjunctus more poetico Agric. 8 *peritus* (τοῦ) *obsequi, eruditusque* (τῷ) *utilia honestis miscere;* cp. 12 *cetera calidioribus terris oriri sueta* (Liv. 4, 31 *civitas vinci insueta;* Plin. Pan. 7 *uterque optimus erat, dignusque alter eligi, alter eligere*); Ann. 12, 67 *haud ignarus summa scelera incipi cum periculo, peragi cum praemio;* 11, 29 *prioris quoque regiae peritus, et potentiam cautis quam acribus consiliis tutius haberi;* 4, 52 *quoquo facinore properus clarescere* (sine exemplo etiam poetarum); Hist. 1, 46 *suspectus consilia ejus fovisse;* 4, 34 *non falso suspectus bellum malle;* Dial. 16 *ipse satis manifestus est jamdudum in contrarium accingi;* Ann. 2, 57 *dissentire manifestus.* Huc pertinet etiam Agric. 25 *ad manus et arma conversi Caledoniam incolentes populi paratu magno, majore fama (uti mos est de ignotis) „oppugnasse ultro,“ castella adorti metum ut provocantes addiderant.*

c) quarto et nonnunquam tertio casu, et illo quidem tum maxime cum eodem casu substantivum praecedit. Ann. 13, 15 *quia nullum crimen neque jubere caedem fratris palam audebat;* Hist. 4, 19 *duplex stipendium, augeri equitum numerum, promissa sane a Vitellio postulabant;* Agric. 44 *festinatae mortis grande solatium tulit evasisse postremum illud tempus;* Hist. 2, 57 *prosperas apud Bedriacum res ac morte Othonis concidisse bellum accepit;* Ann. 13, 36

incautos barbaros et bene gerendae rei casum offerri scripserat. Cf. Cic. de or. 1, 33 *perverse dicere homines perverse dicendo facillime consequi;* 3, 22 *nisi palaestram, nisi saltare didicisset;* Tusc. 1, 26 *ut Jovi bibere ministraret;* Liv. 40, 47 *nihil prius petierunt a praetore, quam ut bibere sibi juberet dari.* (cf. ibi Drakenb.) Plura e poetis et sequioris aevi scriptoribus petita v. ap. Ramsh. p. 425. — Dativus est Taciteo quidem more Ann. 14, 56 *factus natura et consuetudine exercitus* (τῷ) *velare odium fallacibus blanditiis.*

7) Proxime accedit ad ea quae modo exposita sunt infinitivus verbis permultis junctus, quae e vulgari sermone *ut, ne, quominus, quod* vel aliam structuram desiderant. Nemo inter omnes Latinos scriptores, ne poetis quidem exceptis, saepius hoc brevitatis adjumento usus est quam Tacitus, et cum variare sermonem amet, haud raro cum insolentiori hac constructione conjunxit vulgarem.

a) apud alios quoque scriptores, maximam partem etiam apud priores, quamquam minus saepe, ita usurpata inveniuntur *hortari, impellere, praecipere, permittere, postulare, imperare, monere, maturare, prohibere, instare, erubescere, consentire, destinare, pergere.* (cf. Drakenb. ad Liv. 37, 49, 1) Ann. 11, 16 *Caesar* — hortatur — *gentile decus capessere,* 6, 37 *Vitellius* — *hortatus Tiridaten parata capessere cet.;* 15, 59 *hortarentur Pisonem pergere in castra.* Ita Cic. quoque loquitur; sed Tacitus etiam compositis ita usus est Ann. 12, 49 *ultro regium insigne sumere* cohortatur; 3, 16 *M. Piso repetere Syriam* dehortatus est. Ann. 13, 19 *Paridem* — impulit *ire propere* (ita saepius Justinus). Agric. 38 *praefecto classis circumvehi Britanniam* praecepit (Ovid., Plin. maj.). Hist. 1, 47 *concedi corpora sepulturae cremarique* permisit (Nep. Con. 4); 4, 22 *sed parum provisum ut copiae in castra conveherentur: rapi permisere.* Ann. 2, 50 *majestatis crimen distingui Caesar* postulavit (Cic.); Hist. 4, 2 *civitas* — *exstingui reliqua belli postulabat;* 3, 81 *eximi supremo certamini unum diem postulabat;* eodem modo ap. Tacitum junguntur expostulare, exposcere, deposcere Ann. 15, 17 *ille Armeniam — vacuam fieri expostulabat* (sed Ann. 12, 46 *utque — decedant expostulat*); 14, 13 *simul praegredi exposcunt;* Hist. 3, 19 *pergere Cremonam — deposcunt.* — Ann. 15, 28 *filio — ducere manipulos atque operire reliquias malae pugnae* imperavit (Cic. Att. 2, 4); 2, 25 *C. Silio — ire in Cattos imperat.* — Ann. 1, 63 *Arminius colligi suos et*

propinquare silvis monitos *vertit repente* (Cic. fin. 1, 20 *ratio ipsa monet amicitias comparare;* Virg. Aen. 10, 439 *soror alma monet succurrere Lauso Turnum*); 11, 1 *moneret Claudium cavere vim; 4, 67 qui monerent perfugere ad Germaniae exercitus;* 12, 46 *secretis nuntiis monet Rhadamistum oppugnationem quoquo modo celerare;* 13, 37 *Antiochum monet proximas sibi praefecturas petere;* 15, 12 *quos — redire ad signa monebat;* cp. 54 *vulneribus ligamenta — parare eundem Milichum monet;* Hist. 5, 24 *propinquos monebat, fortunam belli — mutare* (genitivum exprimi infinitivo patet ex Hist. 1, 67 *temporis ac necessitatis monuit;* Ann. 2, 43 *Plancinam — Augusta monuit — Agrippinam insectandi.* Ita priores jam admonere genitivo jungunt, unde huic quoque infinitivum addit Tacitus Ann. 6, 7 *admonuit C. Cestium — dicere senatui;* 15, 67 *admonitus fortiter protendere cervicem*). Hist. 4, 70 *ne Tutor quidem* maturavit — *ardua Alpium praesidiis claudere* (Caes. aliique eod. modo); Hist. 5, 18 *si Romana classis sequi maturasset,* et sic passim. Ann. 16, 23 *vim civitatis Pergamenae* prohibentis *Acratum Caesaris libertum statuas et picturas avehere, inultam omiserat;* Hist. 4, 59 *Voculam — prohibuere foedissimam mortem sponte praevenire* (ita Cic. quoque, qui eodem modo *impedire,* ut Caesar *recusare* infinitivo junxit). Ann. 11, 34 instabat *quidem Narcissus aperire ambages,* i. e. postulabat ut aperirentur (sic. Cic. Verr. 3, 59 Livius, Plaut., alii). Ann. 6, 23 *non* erubuit *permittere* (Cic. legg. 1, 19 *erubescunt pudici etiam impudica loqui*). Germ. 34 — *in claritatem ejus referre* consensimus (Cic. L. Agr. 1, 5; Sen. de otio 32, 16). Ann. 13, 20 (et saepius simili modo) *ut Burrum etiam demovere praefectura* destinaret (Caes., Nep., Liv. alii; v. suo loco). Ann. 11, 4 pergitque *Suilius addere reos,* et sic saepissime, etiam ap. Liv. et alios.

b) Poetarum in usum recepta sunt quae sequuntur: Ann. 13, 37 suadet *Tiridati precibus Caesarem adgredi;* 15, 63 *suadet in aliud cubiculum abscedere* (Virg., Phaedr.); Hist. 2, 10 *propria vi Crispus* incubuerat *delatorem fratris sui pervertere* (cf. Virg. G. 4, 249); Ann. 15, 2 mandavit *Tigranen Armenia exturbari* (Martial.); 6, 2 *principem* orabat *deligere senatores;* 11, 32 *Vibidiam — oravit pontificis maximi aures adire* (cf. Virg. Ecl. 2, 43); cp. 26 *cum abrumpi dissimulationem etiam Silius* — urgebat (Horat); 2, 43 *donec ultro* ambiretur *delatum ab Augusto consulatum accipere*

(Stat.); 15, 51 accingeretur *modo navare operam* (Virg.); 3, 72 *nec Augustus* arcuerat *Taurum — hostilis exuvias ornatum ad urbis conferre* (Ovid.); 4, 38 perstitit *posthac aspernari talem sui cultum; 3, 70 perstitit intercedere; 14, 60 perstitere sanctitatem dominae tueri* (Ovid., Sil.); 4, 6 dabatur *primoribus disserere;* cp. 60 *neque Neroni defendere* (se) *daretur; 6, 19 neque propinquis aut amicis adsistere — dabatur; 12, 11 datum post haec C. Cassio — deducere juvenem ripam ad Euphratis* (ita poetae loquuntur; ubi de disputationibus agitur, scriptores quoque prioris aevi); 4, 29 *exsequi accusationem* adigitur; cp. 45 *cum tormentis edere conscios adigeretur*; 11, 10 *adegit Parthos — mittere ad principem — occultas preces; 12, 4 adactus — ejurare magistratum; 14, 24 carne pecudum propulsare famem adacti; 13, 25 mori adactus; 15, 35 mori adigitur* (Virg. aliique poetae); Hist. 3, 58 nec deerat *ipse vultu, voce, lacrimis misericordiam elicere; 4, 1 nec deerat egentissimus quisque — prodere ultro dites dominos;* cp. 11 *nec deerat ipse, stipatus armatis — vim principis amplecti;* cp. 80 *neque ipse deerat adrogantiâ vocare offensas* (similiter Silius ait *nec cernere deerat* i. e. licebat); sed vulg. constr. Ann. 14, 39 *nec defuit Polycletus, quo minus — militibus quoque nostris terribilis incederet.*

c) Solus Tacitus ita usurpasse videtur verba his exemplis expressa: Ann. 12, 50 percellunt *Vologesen omittere praesentia: 6, 33 Mithridates Pharasmanen* perpulit *dolo et vi conatus suos juvare; 11, 29 duas pellices — perpulit delationem subire; 13, 54 perpulit Verritum — preces suscipere,* (cf. Hist. 2, 62 *priores* id *principes — vi perpulerant*); Hist. 2, 62 *coloniae* aemulabantur — *juvenes pretio inlicere* (cf. Sall. Cat. 52, 24 *conjuravere — incendere* ibique Cort.); Hist. 2, 10 *dari tempus, edi crimina, quamvis invisum ac nocentem more tamen audiendum* censebant; 1, 39 *cum alii in palatium redire, alii capitolium petere, plerique rostra occupanda censerent;* Ann. 15, 25 scribitur *tetrarchis — jussis Corbulonis obsequi; 16, 11* nuntiat *patri abjicere spem; 11, 37* denuntiat *centurionibus — exsequi caedem; 12, 27 in oppidum Ubiorum — veteranos — deduci* impetrat; cp. 9 *Pollionem* — inducunt *sententiam expromere; 3, 40* componunt — *Gallos concire; 4, 56 Lepidus ipse deligere* (eum) abnuebat; cp. 57 dubitaverat *Augustus Germanicum — rei Romanae imponere* (i. e. dubius fuerat utrum imp. nec ne); 11, 9 pepigere *fraudem inimicorum ulcisci;* 14, 31 re-

sumere libertatem occultis conjurationibus pepigerant, (cf. cp. 42 *pretium pepigerat*; 13, 14 *pepigerat Pallas, ne — interrogaretur*); 2, 37 *nepos erat oratoris Hortensii*, inlectus *a D. Augusto — ducere uxorem*; 4, 12 *inliciebantur — perstimulare*; Germ. 34 obstitit *Oceanus* (τῷ) *in se simul atque in Herculem inquiri*; Ann. 2, 71 inlacrimabunt (τῷ) *quondam florentem cecidisse.*

Verbis deferre et incusare inf. jungitur, loco genitivi aut *quod* particulae: Ann. 2, 27 *Libo — defertur moliri res novas*; 3, 22 *defertur simulavisse partum*; cp. 38 *Trebellienum incusans popularium injurias inultas sinere.* Contra pro acc. c. inf. *quod* insolentius usurpatur Hist. 2, 60 *creditum famâ objectumque mox in senatu Caecilio Simplici, quod eum honorem pecunia mercari — voluisset*; item *ut* Ann. 13, 40 *quibus jusserat ut instantibus cominus resiterent.*

INFORMIS proprie, ut ap. Liv. Hist. 4, 23 *informe opus* (*machinarum*); translate, more poet., Ann. 6, 49 *repentinum et informem exitum delegit.*

INFRA proprie Agric. 12 *infra coelum et sidera nox cadit*, ubi vid. Pichen. et Walch.; translate Germ. 37 *infra Ventidium dejectus Oriens*; Ann. 14, 54 *invidia infra tuam magnitudinem jacet*; 13, 2 *neque Neroni infra servos ingenium* (i. e. non obnoxium servis); 2, 43 *Piso vix Tiberio concedere; liberos ejus ut multum infra* (se positos) *despectare.* Similia habent alii, ut Cic. fin. 3, 8 *infra se omnia humana ducens*; Vell. 2, 83 *humillimus assentator reginae et infra servos cliens.*

INGEMERE insolentius junct. Germ. 46 *ingemere agris, inlaborare domibus*; similiter Horat. *ingemere laboribus*, sed propius hoc accedit ad vulg. sermonem, quo *ing. alicui rei* est *propter aliq. rem gemitum edere*; Tacitus, ut solet, praegnante structura usus, et locum et rem exprimit, ut *ingemere agris* sit *ingemere in agris laboribus.*

INGENIUM vox digna quae hoc loco accuratius explicetur, cum iis sit adnumeranda, in quibus maxime singulorum usus scriptorum variat, et unde optime perspici potest, latius multo argenteae quam aureae aetatis patuisse licentiam in constituendis vocabulorum significationibus, ita tamen, ut apud priores jam, singulis nonnunquam locis, earum omnium quasi initia invenias. Igitur *ingenium* cum sit *id quod ingenitum est*, maxime respondet in universum nostrae linguae Geist (Kopf), plerumque opp. *animo* (Herz), ut ap. Cic., cujus usum primum respiciemus, Phil. 11, 13 *summa ingenii in-*

doles (Geistesanlagen); 2, 18 *adolescens summa spe et animi et ingenii praeditus;* Lig. 12 *hoc* (*oblivisci injurias*) *est animi — etiam ingenii tui;* Att. 14, 17 *magnitudo cum animi tum etiam ingenii atque consilii* (opp. *corpori* Tusc. 1, 32); unde ad intelligendi potissimum judicandique vim pertinet, et ap. Ciceronem jam quibusdam locis non solum acumen, sed etiam peculiari significatione et rerum inveniendarum atque excogitandarum facultatem et argutias, maxime cum dolo malo conjunctas exprimit: div. 1, 36 *acuta, retusa ingenia;* N. D. 2, 16 *acutiora ingenia et ad intelligendum aptiora;* Tusc. 5, 15 *hebeti ingenio esse;* fin. 2, 25 *de ingenio ejus in his disputationibus,* non de moribus, *quaeritur* (cf. Tusc. 3, 20 de eodem Epicuro *de acumine agitur ejus, non de moribus*); de or. 1, 4 *ingenia nostrorum hominum praestiterunt;* Arch. 3 *omnes qui aliquid de ingeniis poterant judicare;* Fam. 6, 6 *ingeniis excellentibus delectari* (v. abstracta); N. D. 2, 50 *quae medicorum ingeniis reperta sunt;* div. 2, 70 *Quid ipsorum interpretum conjecturae nonne magis ingenia declarant eorum, quam vim naturae?;* Coel. 26 *o magna vis veritatis, quae contra hominum ingenia, calliditatem, sollertiam — se ipsa defendat;* partit. 12 *si ingeniis hominum criminosorum sit exposita vita innocentium.* Raro admodum a Cic. usurpatur sign., qua latissime patet, pro *indole, natura,* Beschaffenheit, ut inv. 1, 45 *inverecundum animi ingenium.* Alia prorsus hujus vocis ratio est ap. Livium ceterosque rerum scriptores (Caesar Hirtiusque vix paucis locis eo vocabulo usi sunt); et maxime quidem Livius discedit a Cicerone, cum plerumque ad mores animique indolem referat *ingenium,* quod ex adjectis optime intelligitur, ut 1, 9 *muliebre ingenium;* cp. 27 *vanum;* cp. 46 *mite;* cp. 51 *ferox;* 2, 23 *vehemens;* cp. 24 *populare;* cp. 37 *mobile;* cp. 48 *vividum;* 6, 22 *vegetum;* 10, 22 *ea ingenia consularia esse* (Consularnaturen); 8, 36 *temperandum ingenium suum esse* (seine heftige Natur); 27, 33 *praepropera ac fervida ingenia imperatorum.* Raro congruit cum Ciceroniano usu Livianus, ut 3, 34 *plus pollere multorum ingenia consiliaque;* 9, 17 et 29, 31 *indoles animi ingeniique;* 31, 26 *ingeniis artificum.* Eodem modo Curtius plerumque mores exprimit ingenii vocabulo, e. g. 4, 6, 3; 5, 6, 18; 10, 13 etiam bestiarum indolem 8, 1, 35 *mittor ad feras bestias praecipitia ingenia sortitas.* Medius fere est inter Ciceronem atque Livium Sallustius, cum ad intelligendi facultatem pariter atque ad mores referens ingenium, tum peculiaribus

His significationibus, quales ap. Ciceronem nonnunquam obtinent, usurpans vocem eam, e. g. Catil. 20 *per ignaviam aut vana ingenia* (leere Einfälle) *incerta pro certis captare;* cp. 51 *magnitudo sceleris omnium ingenia exsuperat* (i. e. acumen in excogitandis poenis). — Argenteae aetatis scriptores maximam partem Livianum usum sequuntur et, in quo maxime hujus priorisque aevi in hac re discrimen vertitur, non solum retinent et frequentant, sed augent etiam atque amplificant peculiares illas significationes. Cf. Plin. H. N. 14, 11 de vitis genere *ingenii* (Industrie) *non naturae opus est;* 15, 27 *minimum in hac arbore ingenia profecere;* 17, 1 *quae (arbores) arte et humanis ingeniis fiunt verius quam nascuntur;* 16, 84 *nuper portentosis ingeniis principatu Neronis* inventum, *ut cet.;* 17, 27 *reliqua genera casus ingenio suo* (Laune) excogitavit, *ac defractos serere ramos docuit;* 10, 3 *ingenium* (mos) *est ei* (*aquilae*) *testudines raptas frangere;* cp. 62 *de ingeniis avium* (de earum docilitate); 32, 5 *piscium ingenia* (astutia); (saepissime praeterea Plin. usurp. de rebus inanimis, ut nunquam, ni fallor, Cicero, raro Livius et Sallustius); Seneca c. ad Helv. 9, 11 *omnium adjutus ingenio vix tamen* invenit; Clem. 25 *nova supplicia conquirit, ingenium advocat, instrumenta* excogitat; epist. 70 *non deerit ad mortem* (ad m. viam inveniendam) *ingenium cui non defuerit animus.*

Nulli magis haec vox frequentatur quam Tacito, cujus exempla ita in ordinem quendam disposuimus, significationum minus ratione habita, cum de his satis dictum videatur: Ann. 1, 23 *promptum ingenium;* cp. 29 *ingenium promptum ad asperiora;* cp. 80 *callidum;* 2, 28 *celebre et avidum famae malae;* 4, 60 *atrox;* 5, 8 et Hist. 4, 5 *inlustre;* Ann. 6, 41 *come;* Hist. 2, 1 *quantaecunque fortunae capax;* 1, 67 et Ann. 14, 59 *turbidum;* Hist. 2, 87 et 3, 32 *procax;* 1, 49 *medium, magis extra vitia quam cum virtutibus;* Agric. 4 *sublime et erectum;* Ann. 2, 64 et 13, 3 *amoenum;* cp. 82 *civilia filiorum ingenia;* Dial. 10 *oratorium ingenium;* cp. 21 *divinum;* cp. 25 *diversa ingenia;* Hist. 5, 13 *quies proeliorum fuit, donec cuncta expugnandis urbibus reperta apud veteres aut novis ingeniis* (nuper excogitatis inventis) *struerentur.* — Ann. 1, 53 *sollers ingenio;* 2, 43 *ingenio violentus;* 6, 15 *mitis ingenio;* cp. 45 *commotus ingenio;* 15, 1 *cunctator ingenio;* Agric. 13 *velox ingenio;* Hist. 1, 21 *ingenio trux;* 3, 62 *non absurdus ingenio;* 4, 38 *turbidus ingenio;* cp. 62 *ingenio debilior.* — Ann. 4, 42 *celebris ingenii vir.* — Dial. 21 *vis aut animi aut ingenii;* Ann. 1, 75

tristitia ingenii; 5, 4 libido ingeniorum; Hist. 1, 7; 2, 57; 3, 85 *mobilitas igenii;* Dial. 1 *dum formam sui quisque et animi et ingenii redderet.* — Ann. 4, 33 *senatus et optimatium ingenia;* Agric. 24 *ingenia cultusque hominum;* Hist. 3, 57 *Tarracinam occupavere, moenibus situque magis quam ipsorum ingenio tutam;* 4, 83 *Ptolemaeus, ut sunt ingenia regum, pronus ad formidinem, ubi securitas rediit, voluptatum quam religionum adpetens;* Agric. 21 *ingenia Britannorum.* Ann. 13, 53 *quietae res in Germania — ingenio ducum;* Hist. 4, 32 *dominorum ingenia* (Laune) *exspectare;* 3, 28 *Hormine id ingenium* (Einfall) — *an potius auctor sit C. Plinius — haud facile discreverim.* Nonnunquam natura ponitur pro *ingenio:* Agric. 46 *si natura suppeditet;* Hist. 2, 5 *natura atque arte compositus* (*Titus*) *adliciendis etiam Muciani moribus.* Cf. Cic. pro Sext. 2; Dej. 2; Fam. 5, 7; 6, 6. 13; 10, 13; Q. frat. 1, 1; ad Brut. 1; Liv. 2, 29. 60. Vid. Cort. ad Sall. Jug. 28, 4; sed contra quoque *ingenium* de rebus inanimis, ubi vulgo *natura* ponitur, e. g. Ann. 6, 41 *ingenium locorum;* Hist. 2, 4 *ingenium montis;* 5, 14 *latitudo camporum suopte ingenio humentium* (cf. Liv. 28, 12 *locorum hominumque ingenia;* 37, 54 *si natura insita velut ingenio terrae vinci posset;* 40, 35 *provincia ingenio ferox;* Sall. Hist. 3 p. 978 *ing. loci;* 5 p. 998 *insulas constabat suopte ingenio alimenta mortalibus gignere*). Ejusdem generis sunt loci, ubi ad inventionis artificia pertinet ingenium Ann. 16, 20 *quonam modo noctium suarum ingenia notescerent;* Hist. 2, 71 *immixtis histrionibus et spadonum gregibus et cetero Neronianae aulae ingenio.* Cf. praeter locos e majore Plinio et Seneca supra allatos Plin. Pan. 49 *exquisita ingenia coenarum,* et quae passim e nostro exhibita sunt ubi ad homines pertinet vocabulum. — Verbis jungitur aliove quo modo construitur Dial. 33 *alere ingenia sua;* Ann. 16, 29 *proferre ingenium;* 4, 52 *divulgato ingenio* (da sein Talent bekannt geworden war); 6, 51 *suo tantum ingenio utebatur;* Hist. 1, 90 *Trachali ingenio Othonem uti credebatur;* Ann. 14, 3 *obtulit ingenium* (sollertiam, artem) *Anicetus libertus* cf. 12, 66 *ejus mulieris ingenio paratum virus*); Hist. 4, 42 *ingenium caede imbuere;* Dial. 14 *declamatorio studio ingenia exercere.* — Dial. 6 *in ingenio quoque sicut in agro — gratiora tamen quae sua sponte nascuntur;* cp. 9 *indulgentiam principis ingenio mereri;* Hist. 1, 82 *manipulatim adlocuti sunt — praefecti, ex suo quisque ingenio mitius aut horridius;* 2, 5 *per virtutes, per voluptates, ut*

cuique

cuique ingenium, adsciscebantur; Germ. 3 *ex ingenio suo quisque demat vel addat fidem;* Ann. 3, 26 *suopte ingenio* (ita Liv. 29, 6; Sall. Hist. 5 p. 998; Plaut. Capt. 2, 3, 11 *tuopte ingenio*); Hist. 1, 5 *arte magis et impulsu quam suo ingenio traductus.* — De plurali *ingenia*, ubi ipsi homines designantur, v. abstracta.

INGENS ap. Ciceronem in universum rara vox (Verr. 3, 46 *ingens immanisque praeda*) poetis, Livio et argenteae aetatis scriptoribus, maxime Tacito frequens (Vellejo in deliciis *immanis:* 1, 11. 12; 2, 1. 12. 59. 69): Ann. 3, 30 *ingentibus negotiis par;* cp. 73 *ingentibus bellis* (cf. 4, 32. 62); 4, 5 *ingens terrarum sinus;* Hist. 2, 78 *ingentes termini;* Ann. 4, 18 *ingens exercitus;* cp. 49 *multitudo;* cp. 72 *ingentes belluae;* 12, 9 et Hist. 2, 8 *ing. promissa;* Ann. 13, 44 et 14, 14 *ing. dona;* Hist. 5, 23 *ingens lintrium vis;* Agric. 35 *ing. alacritas* et *victoriae decus;* cp. 36 *ingentes gladii;* Dial. 6 et Ann. 14, 52 *ingentes opes;* cp. 53 *ing. merita;* Hist. 2, 4 *ing. rerum fiducia;* cp. 6 *ing. auxilia;* cp. 83 *ing. agmen;* cp. 88 *tela;* cp. 95 *paratus.* — Germ. 37 et Ann. 11, 10 *ingens gloriâ;* 15, 53 et Hist. 1, 53 *corpore ingens;* cp. 61 *ingens viribus opibusque;* 2, 81 *vetustis opibus ingens.* Similiter Livius habet *viribus, auctoritate, favore, victoriâ ingens;* sed insolentius genitivum jungit Tacitus Ann. 1, 69 *femina ingens animi;* Hist. 4, 66 *Civilis — ingens rerum.* Vide Doederl. Syn. III p. 222 sqq.

INGERERE nulli magis frequens quam Tacito, plerumque hostilem impetum (ut *immittere*, quod v. suo loco) eumque iteratum et crebram alicujus rei maxime ejus qua quis penitus imbuatur et aut honore aut ignominia afficiatur commemorationem exprimit: Ann. 2, 81 *saxa et faces ingerere;* 1, 65 *equis maxime vulnera ingerit;* Hist. 3, 85 *ingestis vulneribus concidit.* — Ann. 1, 39 *ingerunt contumelias;* 4, 42 *voces quae plerumque verae et graves coram ingerebantur,* Hist. 4, 78 *vera erant, et a tribunis praefectisque eadem ingerebantur;* Ann. 1, 72 *nomen patris patriae Tiberius a populo saepius ingestum repudiavit;* 2, 79 *magnitudinem imperatoris identidem ingerens* i. e. crebro commemorans; Dial. 7 *quorum nomina prius parentes liberis suis ingerunt?* (inculcant quasi). Cf. praeter locos a Forcellino allatos Cic. Verr. 3, 28 *ingerebat iste Artemidorum* (inimico animo); Att. 11, 6 *sed ingero praeterita!* (i. e. quid commemoro pr.); Liv. 36, 18 *sagittas simul ac jacula ingerere;* 45, 36 *in Galbam probra ingerere;* Sen. cons. ad Helv. 2 *quibus excitetur (dolor) ingeram;* epist. 12 *perseverabo Epicurum tibi ingerere.* Cf. adgerere.

INGLORIUS et poetis et Ciceroni satis frequens saepissime usurpatur a Tacito Ann. 1, 70 *inglorium exitium; 4, 32 inglorius labor; 6, 37 haud inglorius auxiliator; 12, 14 brevi et inglorio imperio;* Agric. 9 *vincere inglorium — arbitrabatur;* cp. 46 *multos veterum velut inglorios et ignobiles oblivio obruit;* Hist. 3, 59 cum genitivo *nec ipse inglorius militiae.*

INGRAVESCERE insolentius usurp. Hist. 3, 54 *confitenti consultantique (Vitellio) superérant spes viresque: cum e contrario laeta omnia fingeret, falsis* (rumoribus) *ingravescebat* (er ließ sich durch falsche Gerüchte immer tiefer ins Verderben stürzen). Similiter ad ipsum hominem pertinet ap. Cic. Att. 10, 4 *alter ardet furore et scelere, nec remittit aliquid, sed in dies ingravescit,* cum aliis locis ab eodem illo ad morbum, corpus, aetatem, annonam, studium referatur.

INGREDI *famam* Dial. 11 (Cic. *in spem ingredi*); i. q. adgredi (Cic.) Ann. 6, 4 *Latiarem ingressus est;* unde est incipere (Cic.) Ann. 11, 2 *ingressus defensionem.*

INGRESSUS, us insolentius de ipsis angustiis per quas iturus est aliquis Ann. 15, 3 *ingressus hostiles intercipere.* Cf. Caes. B. C. 1, 84 *nunc vero (milites) paene ut feras circummunitos prohiberi aqua, prohiberi ingressu,* Heldio interprete „sie könnten keinen freien Schritt mehr thun.“

INGRUERE ab *in* et *ruere,* quapropter plus valet quam *imminere, impendere,* praeter Livium maxime Tacito frequentatur: Ann. 1, 27 *simul ingruunt, saxa jaciunt;* cp. 48 et passim *bellum ingruit;* cp. 65 *tela ingr.; 2, 77 hostile quid; 3, 56* et 6, 38 *accusatores; 4, 2 si quid subitum ingruat;* cp. 35 *damnatio;* cp. 41 *invidia;* cp. 50 *nox; 6, 10 necessitas; 12, 4 dominationes;* cp. 12 *hostis; 2, 11 catervae;* Hist. 3, 34 *ingruente in Italiam Hannibale; 4, 84 mala ingr.*

INHONORUS i. q. inhonoratus Hist. 4, 62 *inhonora signa.* Ita Plin. maj. 5, 33; 15, 28; 36, 4 et Sil.; Liv. vero 45, 36 *inhonorata militia*; 33, 23 *inhonoratior triumphus.* Cf. Drakenb. ad 35, 12, 4.

INHORRERE translate, ut in fragm. Cic. (v. Forcell.) Ann. 11, 28 *domus principis inhorruerat.* Apud Liv. et poetas similia inveniuntur, ut *inhorret acies.*

INJECTUS, us (Lucret., Stat., Plin. maj.) Ann. 6, 50 *Macro intrepidus opprimi senem injectu multae vestis jubet.*

INITIUM v. finis.

INLABORARE *domibus* Germ. 46 i. e. in domibus laborare, vox ap. solum Tacitum obvia.

INLACRIMARE vid. infinit.

INLICERE cum ap. Ciceronem et alios, tum ap. priscos scriptores et saepissime ap. nostrum legitur Ann. 4, 12 *inliciebantur pravis sermonibus tumidos spiritus perstimulare*; 6, 45 *amore juvenem inlicere*; cp. 36 *inliciente Vitellio*; 4, 31 *Libonem inlexerat insidiis*; 12, 15 *inlicere perfugas*; 13, 37 *inlecti Insechi, gens ante alias socia Romanis, avia Armeniae incursavit*; Hist. 4, 56 *Vocula Gallorum fraude inlectus ad hostem contendit*.

INLIGARE translate i. q. impedire, implicare, irretire, inter omnes maxime Tacito frequens Ann. 2, 27 *quo pluribus indiciis inligaret* (*eum*); 3, 21 *inligatus praedâ*; 6, 32 *ut Abdum — lento veneno inligaret* (ut dicitur *morbo implicari*); 12, 25 *stupro ejus inligatus*; 13, 40 *ne — impeditis locis seque et equestres copias inligaret*; 15, 1 *bellis inligatus* (ita Liv. quoque locutus est); cp. 51 *primores — labefacere et conscientia inligare connixa est*; Hist. 3, 46 *externo bello inligari*. Similia habet Cicero.

INLUDERE 1) i. q. ludibrio habere, ludificari cum accus. et dat. (ita ap. Cic. et alios etiam c. utroque casu, ap. Terent. praeterea *in aliquo* et *in aliquem inludere*); Ann. 2, 50 *quia probrosis sermonibus — Tiberium — inlusisset*; 3, 29 *sed neque tum fuisse dubitaverim, qui ejusmodi preces occulti inluderent*; 14, 52 *inludere voces, quotiens caneret*; 1, 71 *quia Quinctilii Vari corpus inlusisse dicebatur*; 13, 17 *inlusum isse pueritiae Britannici Neronem*; 15, 72 *C. Caesar, scortorum quoque cupiens, etiam matri ejus inlusit*. Cf. Curt. 3, 12, 22 *conjugem ipsius — adeo ipse non violavit, ut summam adhibuerit curam, ne quis captivo corpori illuderet*; Suet. Tib. 45 *feminarum illustrium capitibus quantopere solitus sit illudere*. 2) i. q. decipere, praeeunte Cicerone Ann. 3, 27 *corrupti spe aut inlusi per intercessionem socii*; 16, 1 *inlusit dehinc fortuna Neroni*. 3) i. q. ludendo quasi perdere Ann. 15, 42 *etiam quae natura denegavisset per artem tentare et viribus principis inludere* (i. e. pecuniae ejus); Hist. 2, 94 *tanquam in summa abundantia pecuniae inludere*. Ita Terentius dixit *filiae vitam illudere*, Virgilius *vitibus illudere*.

INLUSTRIS „was von selbst in die Augen fällt, in luce positus, conspicuus“ Doederl. Synon. II p. 84 sqq., propria significatione apud priores, exceptis poetis, rara admodum vox Ann. 1, 50 *nox sideribus inlustris*; 13, 41 *cuncta — sole in-*

lustria fuere. Cf. praeter locum Ciceronianum a Forcellino allatum Curt. 3, 3, 5 *illustria castra*; §. 8 *die jam illustri.* Similiter Liv. 5, 47 *nocte sublustri.* De equitibus illustr. v. s. v. eques.

INLUVIES, de cujus etymo v. Doederl. Synon. II p. 45 sqq. 1) i. fere q. inundatio, ut legitur ap. Justinum quoque, Ann. 12, 51 *Zenobiam — placida inluvie spirantem — advertere pastores.* 2) i. q. sordes Ciceronis aliorumque quorundam more Hist. 4, 46 *semet clausos nudosque et inluvie deformes adspicerent;* Ann. 4, 28 *ab exsilio retractus inluvieque ac squalore obsitus.* cf. eluvies.

INJUCUNDUS peculiari sign. ad orationem pertinet Agric. 22 *ut bonis comis, ita adversus malos injucundus.* Eundem fere in modum, sed ita, ut minus mores exprimat, ap. Quintil. legitur *injucundus auctor.* Similiter substantivo usus est Cicero N. D. 2, 55 *quemadmodum reliquiae cibi depellantur — praetereundum est, ne quid habeat injucunditatis oratio.*

INNARE pro magis usitato *innatare*, ut quibusdam locis ap. Livium, Virgilium, Suet., Ann. 1, 70 *quo levior classis vadoso mari innaret.*

INNECTERE apud omnium paene aetatum poetas obvia vox, Ann. 3, 10 *Tiberium — conscientiae matris innexum esse;* 6, 36 *Hyrcanis — per adfinitatem innexus erat;* Hist. 4, 46 *prensare commanipularium pectora, cervicibus innecti.* Cf. connectere.

INNITI vulgo cum ablat. vel *in* praepositione constr., apud poetas et argent. aet. scriptt. cum dat., et transl. quidem sign.; Tacitus utrumque usum conjunxit Ann. 2, 29 *delatus ad fores curiae innisusque fratri;* 3, 30 *cui secreta imperatorum innitereutur;* 13, 14 *quibus superbia muliebris innitebatur;* Dial. 2 *alienarum artium adminiculis inniti;* — Ann. 15, 60 *salutem suam incolumitate Pisonis inniti.*

INNOXIUS 1) qui non nocet, ut ap. priores quoque Hist. 4, 20 *si nemo obsisteret, innoxium iter fore* 2) passive, ut idem fere sit quod tutus, praeeunte Sallustio, Hist. 3, 47 *hinc vel illinc adpellere indiscretum et innoxium est.* 3) peculiari sign. dicitur Ann. 13, 34 *paupertas innoxia* in qua noxa s. culpa non est, i. e. quae sine culpa contracta est.

INORIRI ap. solum Tacitum Ann. 11, 23 *si memoria eorum inoriretur, qui cet.*

INQUIES i. q. inquietus, prisca vox, apud Plautum, Sallustium, Vellejum, Plin. maj., Tacitum et sequioris aevi scriptt. quosdam obvia Ann. 1, 65 *nox inquies;* cp. 68 *haud minus*

inquies Germanus; 3, 4 *dies — ploratibus inquies*; 16, 14 *animo inquies*; Sall. Hist. 1 p. 934 *vitio humani ingenii — quod inquies atque indomitum*; p. 949 *expers consilii, inquies*; p. 951 *prolatandis seditionibus inquies*; loco a Ruhnk. ad Vell. 2, 68 e quarto Hist. libro laud. *Hostilius Dasianus inquies animi*; Vell. 2, 68 *vir inquies et ultra sortem temerarius*; cp. 77 *in quo — animus inquies manere non potuit*; Plin. Prooem. *animus inquies pascitur opere*. Cf. Ruhnk. ad Vell. 2, 68 et Cort. ad Sall. Hist. 1 p. 934, qui similes etiam e Justino, Apulejo aliisque h. generis scriptt. locos attulerunt.

INQUIETARE Hist. 3, 84 *inquietare victoriam*. Usi sunt hac voce omnes paene arg. aet. scriptores.

INRELIGIOSE Ann. 2, 50 *si qua de Augusto inreligiose dixisset*. Praeter T. adverbio usus est Arnob., adjectivo etiam Livius.

INREPERE v. adrepere.

INREVERENTIA apud solum Tacitum Ann. 3, 31 *qui juventutis inreverentiam gravibus decretis notavissent*; 13, 26 *coalitam libertate inreverentiam eo prorupisse*; Hist. 3, 51 *tantam victoribus adversus fas nefasque inreverentiam fuisse*.

INREVOCABILIS Agric. 42 *Domitiani vero natura praeceps in iram, et, quo obscurior, eo inrevocabilior* i. e. implacabilior, et hac quidem significatione vix apud alium hujus vocis usum deprehendas. Propria sign. praeter aequales et poetas Liv. quoque usus est.

INRISUS, us Ann. 13, 15 *inrisum ex eo sperans pueri*. Tertio casu Caesar, sexto Liv. et Plin. maj. usi sunt. Particip. cum Plauto et Virg. usurpat Tacit. Ann. 4, 9 *ad vana et totiens inrisa revolutus*.

INRITAMENTUM Ann. 3, 9 *inrītamenta invīdiae*; cp. 54 *ne inritamenta quidem eadem intra Italiam dominantibus*; Hist. 2, 62 *inritamenta gulae*; Agric. 20 *inritamenta pacis ostentare*; Germ. 19 *nullis conviviorum* inritationibus *conruptae* (Germ. mulieres); utraque vox argenteae et seriori aetati maxime usurpata, praeeuntibus tamen prioris aevi non poetis solum, sed etiam scriptoribus, Sallustio, Livio.

INRITUS maxime inter omnes Tacito frequentatur, nonnunquam paullo insolentius: Ann. 3, 54 *offensiones — inritas neque mihi aut vobis usui futuras jure deprecor*; 14, 12 *prodigia quoque crebra et inrita intercessere*; Hist. 3, 34 *inritam praedam militibus effecerat consensus Italiae*; 4, 81 *remedii — irriti ludibrium penes miseros fore*, — Hist. 3, 53 *cecidisse in irritum labores* (vulgo *ad irritum* c. ut Hist. 3, 26 *victoria ad*

inritum revolvebatur); 4, 32 *ille ut inritus legationis rediit* (ita Vellej. habet *irritus consilii*, Curtius *irritus spei*, Silius *irritus incepti*), more poetico ad ipsos homines refertur, et sic passim: Ann. 1, 59 *quando — inritus discesserit ille inter numina dicatus Augustus*; 3, 21 *inritum fessumque Romanum impune ludificabatur*; 15, 7 *revertere inriti*; cp. 25 *inriti remittuntur*; Hist. 2, 22 *ne inritus* (alii leg. *inrisus*) *ac vanus iisdem castris adsideret*; 3, 20 *inriti stabimus, altitudinem turrium et aliena munimenta mirantes?*; Agric. 22 *inritis hostibus eoque desperantibus.*

INRUMPERE v. accusat.

INSATIABILITER (Lucret., Plin. min.; Ammian. etiam substantivo utitur, adjectivo paene omnes) Ann. 4, 38 *unum insatiabiliter parandum, prosperam sui memoriam.*

INSENESCERE vox poetica ab arg. aetate recepta in solut. orat. Ann. 4, 6 *cum plerique iisdem negotiis insenescerent.*

INSERERE 1) i. q. admiscere, adnectere Ann. 6, 2 *dum ignobilitatem suam magnis nominibus inserit*; Hist. 1, 23 *inserendo saepius querelas et ambiguos de Galba sermones*; Dial. 25 *supersunt aliqua epistolis eorum inserta.* Cf. Liv. 35, 17 *dum suas quisque nunc querelas nunc expostulationes inserit.* Similia exhibent alii. 2) se inserere more poet., a Val. Max. etiam recepto i. q. se immiscere Hist. 2, 19 *inserentibus se centurionibus tribunisque laudari providentia ducis*; cp. 61 *inter magnorum virorum discrimina — Mariccus quidam e plebe Bojorum inserere sese fortunae et provocare arma Romana*; Dial. 10 *si modo in hac studiorum parte oblectare otium et nomen inserere possunt famae.*

INSIGNITIOR (qua voce Liv. quoque utitur, si lectio certa; positivo alii multi) Ann. 3, 70 *insignitior infamia*; 4, 51 *insignitius flagitium.*

INSISTERE more poet. et arg. aetatis, sed Livio praeeunte, cum dativo constr. (vulgo *in aliq. rem*) Hist. 3, 77 *percunctatus statim regredi se an perdomandae Campaniae insistere juberet*; Ann. 16, 25 *sin crudelitati insisteret*; 2, 21 *insisterent caedibus*; Hist. 2, 46 *fortes et strenuos etiam contra fortunam insistere spei*; passive, sine alio fortasse exemplo Ann. 2, 62 *ut fracto jam Maroboduo usque in exitium insisteretur*; absolute (Liv.) Ann. 4, 60 *plerique inceptum sermonem abrumpere, insistentibus contra irridentibusque qui Sejano fautores aderant.*

INSOCIABILIS (Liv., Curt., poet., arg. aet. scriptt.) Ann. 4, 12 *insociabilis nurui;* 13, 17 *insociabile regnum;* 15, 68 *praeceps et insociabilis.*

INSOLESCERE i. e. superbire, supra solitum efferri Ann. 2, 63 *si quando insolescerent Suevi;* cp. 75 *magis insolescente Plancina;* Hist. 2, 7 *rebus secundis etiam egregios duces insolescere.* Cf. Sall. Cat. 6 *per licentiam insolescere animum humanum;* Justin. 31, 8 *secundis rebus insolescere.* Sed substantivo saepius utuntur priores et utraque quidem significatione insuetam rem et arrogantiam exprimente, ut ap. Tacitum Ann. 3, 38. 59.

INSONS poetica vox, quibusdam locis etiam ap. Sall., Liv., alios nonnullos scriptt. obvia, maxime Tacito frequentatur Ann. 3, 67; 15, 65; 6, 48; 13, 1. 32. 33; 14, 58; 15, 52. 65. 70; 16, 10. 24; Hist. 2, 13; 3, 14.

INSTANTIOR, INSTANTIUS (Quintil., Plin. min., seriores) Ann. 2, 56 *instantior cura;* Hist. 4, 83 *donec eadem species, terribilior jam et instantior exitium ipsi regnoque denuntiaret;* Ann. 6, 35 *Pharasmanes Orodesque — concurrunt, instantius Pharasmanes.*

INSTAURARE multis exemplis praeeunte Livio i. q. instituere, facere Ann. 6, 50 *instaurari epulas jubet;* Hist. 2, 70 *instaurabat sacrum diis loci.* Ita Plin. quoque maj. haud raro, e. g. 11, 27 *instaurare sibi tunicas.*

INSTIGATOR (Auson.) Hist. 1, 38 *sibi quisque dux et instigator.*

INSTIGATRIX ap. solum Tacitum Hist. 1, 51 *acerrima instigatrix adversus Galbianos.*

INSTINCTOR (Ammian.) Hist. 1, 23 *sceleris instinctor;* 4, 68 *acerrimo instinctore belli Tullio.*

INSTINCTUS, US Hist. 1, 70 *instinctu decurionum;* 2, 46 *ire in aciem, excitare partium fortunam furore quodam et instinctu flagrabat.* Ita Cicerone praeeunte haud pauci aequalium Taciti locuti sunt.

INSUESCERE pro adsuescere, ut singulis locis ap. Terent. et Livium, Ann. 2, 45 *insueverat sequi signa;* 6, 32 *omisso cultu Romano, cui per tot annos insueverat;* 11, 3 *usurpatis quibus insueverat exercitationibus;* cp. 29 *pellices, quarum is corporibus maxime insueverat.*

INSULTARE v. accusat.

INSUMERE 1) i. q. impendere, et saepius quidem quam ap. priores, Ann. 2, 53 *paucos dies insumpsit reficien-*

dae classi; 3, 44 *quod in tanto rerum motu libellis accusatorum insumeret operam;* Dial. 9 *carminibus — totam vitam insumere;* cp. 29 *nec in notitia vel rerum vel hominum vel temporum satis operae insumitur.* 2) i. q. sumere, adsumere Ann. 14, 44 *creditisne servum interficiendi domini animum insumpsisse* (al. leg. *sumpsisse*); 6, 32 *instituta Parthorum insumit.* Ita Stat. Cf. Rup. ad Ann. 6, 32, 3.

INSURGERE poetice, ut legitur etiam ap. Quint. et Plin. min. 1) i. q. surgere Germ. 39 *si forte prolapsus est, adtolli et insurgere haud licitum.* 2) translate Ann. 2, 16 *pone tergum insurgebat silva;* i. q. invalescere Ann. 1, 2 *insurgere paullatim;* 11, 16 *Romanas opes insurgere.* Similiter haud raro Quintil. *insurgit oratio.*

INTECTUS i. e. non tectus (i. q. tectus est ap. Livium etiam) praeter Tacitum ap. solum Apulej., Ann. 2, 59 *pedibus intectis;* Germ. 17 *cetera intecti;* Hist. 4, 46 et 77 *intecto corpore;* 5, 22 *dux semisomnus ac prope intectus;* translate ap. unum Tacitum Ann. 4, 1 *ut — sibi uni incautum intectumque efficeret.*

INTELLECTUS, US, praeeunte Vellejo 1, 13, idem fere est ap. h. aetatis scriptores quod ap. priores, maxime ap. Ciceronem, *intelligentia:* Ann. 6, 36 *quis neque boni intellectus neque mali cura;* 13, 38 *dissimulato intellectu;* Germ. 26 *hiems et ver et aestas intellectum ac vocabula habent* (et intelliguntur, man verbindet damit einen bestimmten Begriff, et certis nominibus designantur), *auctumni perinde nomen ac bona ignorantur;* Dial. 19 *non — inscitiâ litterarum transtulisse se ad id dicendi genus —, sed judicio et intellectu;* cp. 31 *intellectus eorum quae nec in virtutibus neque in vitiis numerantur.* Cf. Quintil. 1, 5, 2; 2, 16, 15.

INTELLIGERE ap. nostrum quoque est mente percipere, non animo, ut Walch. ad Agric. 40 contendit, exemplis nullis probans sententiam suam. Cf. Ann. 1, 11. 49; 6, 40; 4, 52; 14, 6; Hist. 4, 83; Vellej. 1, 9; 2, 43; Quintil. 1, 3, 17; 10, 1, 104; 11, 3, 72 ibique Spalding. Insolentius paullo ad ipsos homines pertinet Ann. 3, 3 *Tiberius atque Augusta publico abstinuere — ne omnium oculis vultum eorum scrutantibus falsi intelligerentur.* Simile est Ovidianum illud *Barbarus hic ego sum quia non intelligor ulli.*

INTEMERATUS poetica vox quam ap. priores scriptt. vix invenias Ann. 1, 42 *quid enim per hos dies inausum intemeratumve vobis?* cp. 49 *ea seditione intemerata modestia;*

12, 34 *intemerata conjugum et liberorum corpora;* 16, 26 *intemeratus, inpollutus;* Hist. 4, 58 *castra inconrupta et intemerata.* Cf. temerare.

INTENDERE (INTENTUS) maxime freq. Tacito 1) i. q. expandere, pandere Ann. 2, 24 *intentis vestibus,* vix simili ap. alios exemplo 2) porrigere (ut ap. Cic. *digitum int.* et similia) Ann. 1, 65 *manum intendentis repulisse;* hinc convertere Ann. 4, 70 *quo intendisset oculos.* 3) de animi intentione, studio, consilio, conatu, ut vulgo, Ann. 2, 60 *miraculis intendit animum;* Agric. 18 *Monam insulam — redigere in potestatem animo intendit;* Hist. 2, 12 *arcere — finibus Othonianos intendit;* cp. 22 *Cremonam petere intendit;* 1, 48 *prout animum intendisset pravus aut industrius;* Ann. 4, 72 *non intentâ cujusquam curâ, quae firmitudo, quae mensura;* 11, 32 *haud segniter intendit;* 2, 6 *huc intendit;* 3, 37 *huc potius intenderet;* Hist. 4, 82 *intentus numini;* cp. 28 *intentis custodiis, ne quis — penetraret;* (ita Liv. 5, 47, 11; 39, 19, 2); Ann. 1, 22 *quid pararet intentos;* cp. 52. *Drusum — laudavit — intentior et fida oratione;* 6, 50 *sermone ac vultu intentus;* intentus est qui sibi cavet Ann. 14, 3 *adversus insidias intentus;* 16, 8 *intentior metu.* Praeterea huc pertinent insolentius dicta a) ubi intentus idem fere est quod adductus i. e. severus (v. adductus) Ann. 12, 42 *intentiorem fore disciplinam;* (cf. 14, 45 *ne mos antiquus — per saevitiam intenderetur*); 11, 18 *intentum et magnis delictis inexorabilem scias;* cf. Liv. 8, 17 *intentius delectum habere;* b) ubi intentus designat eum, qui cum cura alicui rei praeest Ann. 5, 10 *is Macedoniae tum intentus Achajam quoque curabat.* 4) ut ap. priores exprimit inferre, intentare, moliri et hostili quidem vel inimico animo Ann. 1, 28 *metum intendunt;* cp. 39 *intento mortis metu;* 3, 56 *probra et minas intendere* (cf. quae praecedunt *cum voces, cum manus intentarent*); cp. 48 *pericula intendere;* 6, 4 *mutuâ accusatione intentâ;* 4, 3; 13, 14. 26 *manus intendere;* 16, 9 *intendere ictus;* 5, 4 *exitium domui ejus intendi clamitat;* Germ. 12 *discrimen capitis intendere;* eodem pertinet Ann. 11, 7 *ut se quis alienis negotiis intendat;* cf. Cic. Fam. 8, 4 *qui se intenderant adversarios in ejus tribunatum.* sed insolentius dicitur Ann. 4, 70 *neque tamen dubitabatur, in Neronem et Agrippinam intendi* i. e. ad Ner. et Agr. pertinere eam orationem 5) poet. more, sed praeeunte Sallustio, idem est quod augere, exaggerare Ann. 2, 38 *intendetur socordia;* cp. 57

intendere vera; 4, 11 *cum omnia alia conquirerent intenderentque;* cp. 26 *huic negatus honor gloriam intendit;* cp. 40 *intendatur certamen;* 12, 35 *ardorem exercitus intendebant* (ita Rup. cum mss. et vett. edd.; recentt. et inter eos etiam J. Bekker. *incendeb.*); 13, 15 *Nero intellecta invidia odium intendit;* cp. 20 *Paris solitus — luxûs principis intendere;* cp. 47 *quem metum — tali mendacio intendit;* 14, 23 *quibus* (*Tigranocertis*) *excisis metum hostium intenderet;* Hist. 1, 12 *amicorum cupiditates ipsa Galbae facilitas intendebat;* cp. 24 *largitionem intendere;* Hist. 2, 54 *intendebat formidinem* quod cet. Inde intentus est idem quod auctus Hist. 1, 89 *intenta alimentorum pretia.* Cf. num. 3, a.

INTENTARE ap. priores quoque non admodum rara vox, saepius tamen a T. usurpata esse videtur Ann. 1, 27 *manus intentantes;* 3, 28 *terror omnibus intentabatur;* 12, 47 *probra ac verbera intentabat;* Hist. 1, 69 *tela ac manus in ora legatorum intentant;* 3, 31 *ingerebant probra, intentabant ictus;* Ann. 3, 36 *domino cum voces, cum manus intentarent.*

INTENTATUS i. e. non tentatus poetice Ann. 1, 50 *intentatum iter.*

INTER 1) inter quae Ann. 2, 34. 58; 3, 33; 15, 24; Hist. 1, 78, ut ap. Liv. haud raro *inter haec* pro *interea*, sed nonnunquam exprimit occasionem. 2) pro apud vel a praepositionibus Ann. 2, 85 *more inter veteres recepto;* 4, 16 *omissa confarreandi adsuetudine aut inter paucos retenta;* 11, 10 *nece Bardanis turbatae Parthorum res inter ambiguos quis in regnum acciperetur;* Hist. 1, 1 *neutris cura posteritatis inter infensos vel obnoxios;* cp. 34 *credula fama inter gaudentes et incuriosos.* V. exempla e Livio allata ap. Tursellin. 3) pro in praep. cum ablat. conjuncta, ad statum rerum accuratius exprimendum, et sunt huj. usus exempla quaedam etiam ap. priores obvia, Ann. 2, 38 *avitae nobilitatis etiam inter angustias fortunae retinens;* cp. 37 *tantâ inter extrema superbiâ agebat;* Hist. 2, 23 *trepidabat rebus prosperis incertus et inter adversa melior;* 3, 4 *nihil spei sibi inter adversa reliquerat;* cp. 40 *quod inter ancipitia deterrimum est, dum media sequitur, nec ausus est satis, nec providit.* 4) saepe hac praep. utitur Tacit., et haud raro praegn. constr., ad ambiguitatem vel dubitationem aliquam exprimendam Ann. 2, 3 *Armenia inter Parthorum et Romanas opes infida;* cp. 66 *inter metum et iram cunctatus;* 4, 50 *juventus Tarsam inter et Turesim distrahebatur;* 6, 46 *dubitavit de tradenda republica*

primum inter nepotes; 12, 32 *qui bellum inter et pacem dubitabant;* Hist. 1, 50 *utrasque inpias preces, utraque detestanda vota, inter duos* (cum ambigerent inter Oth. et Vitell.) *quorum bello solum id scires, deteriorem fore qui vicisset;* 2, 10 *civitas inter libertatem ac licentiam incerta;* cp. 95 *civitas — inter Vinios, Fabios, Icelos, Asiaticos varia et pudenda sorte agebat;* 3, 39 *trepidanti inter scelus metumque;* 4, 59 *varie excepta oratio inter spem metumque ac pudorem.* Cf. collocatio verbb.

INTERCEPTOR *donativi* Hist. 3, 10. Utitur h. v. Livius quoque.

INTERCIPERE, ut vulgo, capere aliquem v. aliq. rem, priusquam ad locum certum perveniat, μεσολαβεῖν, e. g. Hist. 4, 75 *plerique culpabant Cerialem passum jungi quos discretos intercipere licuisset;* Agric. 5 *intercepti exercitus,* sive capti, sive caesi, aufgehoben; cf. Brem. ad Nep. Iphicr. 2, 3; Drakenb. ad Liv. Epit. 117; sed latius sane patet hujus verbi usus ap. arg. aet. scriptt., cum haud raro exprimat subito interficere, praematura morte abripere Ann. 2, 71 *scelere Pisonis et Plancinae interceptus;* cp. 82 *neque ob aliud interceptos, quam quia cet.;* 3, 12 et Agric. 43 *veneno interceptus;* Ann. 14, 3 *naufragio interceptus;* Hist. 1, 86 *plures in tabernis et cubilibus intercepti* (inundatione Tiberis). Cf. Quintil. 10, 1, 121 *interceptus quoque magnum sibi vindicat locum* et locos a Forcell. allatos.

INTERDICERE v. in Prolegomenis de varietate stili Tacitei.

INTERFECTRIX Ann. 3, 17 ap. Hygin. quoque legitur; interfector etiam ap. Cic.

INTERFECTUS insolentius de voluntaria morte usurp. Ann. 1, 2 *interfecto Antonio;* est vero omnino idem fere quod *cum periisset Ant.* Cf. Virg. Georg. 4, 330 *Fer stabulis inimicum ignem atque interfice messes;* Cic. fr. ap. Non. 6, 9 *herbas arescere et interfici.* Eadem ratio est τοῦ *occidere* Hist. 1, 53 *occiso Nerone;* cf. Suet. Nero 49 *ferrum jugulo adegit juvante Epaphrodito.*

INTERJACERE et INTERJICERE peculiari sign., qua ad sermonem pertinet, Ann. 2, 10 *pleraque Latino sermone interjaciebat;* 1, 23 *ni miles — preces et — minas interjecisset.* Propius accedit ad usum ceterorum Hist. 3, 81 *si moram interjecissent.*

INTERJECTUS, US, sexto casu, ad tempus refertur a solo Tacito Ann. 3, 51 *interjectu temporis;* cp. 67 *petito paucorum dierum interjectu;* 6, 39 *noctis interjectu.* Cic. habet: *Luna interpositu interjectuque terrae repente deficit.*

INTERIM i. q. aliquando, aliquamdiu, τέως ap. solum, ut videtur, Tacitum Ann. 1, 4 *serviendum adolescentibus, qui rempublicam interim premant, quandoque distrahant;* 14, 41 *pari ignominia Valerius Ponticus adficitur, quod reos — detulisset, interim specie legum, mox praevaricando ultionem elusurus.* Alia ratio est hujus verbi ap. Quintil. et ejusdem aet. scriptt. ubi idem est quod *interdum.* Vid. Spald. ad Quint. 1, 1, 8 et Sen. de ira 2, 21 *timeat interim, vereatur semper.* — quandoque Ann. 1, 4 et 6, 20 positum est pro aliquando, ut ap. Suet. Caes. 1 *quandoque optimatium partibus — exitio futurum.* Ita Cic. jam Liviusque locuti sunt. Ut in illis locis *interim — quandoque, interim — mox* opponuntur, ita (praeter vulg. locutionem *modo — modo* Hist. 1, 54) *modo — aliquando* Ann. 1, 81; 6, 35; 11, 34; 16, 10; Hist. 2, 74; *modo — nunc* Hist. 2, 51 (Ovid.); *modo — ecce nunc* Dial. 3; modo — saepius Ann. 11, 16; 14, 10; *modo — nunc — plerumque — postremo* Hist. 3, 85. Cf. rursus.

INTERIOR ad vim et efficacitatem pertinet Hist. 1, 2 *interior potentia;* ita Ann. 15, 2 *vires intimas molemque belli ciet.* Similiter Liv. 42, 17 *amicitiam,* Cicero (v. Schütz. Lex.) *societatem interiorem* vocat. Praeterea explicatione eget h. v. Ann. 2, 24 *multos Angrivarii nuper in fidem accepti redemtos ab interioribus reddidere,* ubi falso *interiores* Rupertius interpretatus est *a mari remotos;* nam ad oras delati quo modo statim ad populos a mari remotos pervenerint vix cogitari potest. Sunt potius simpliciter remoti et eam ob causam Romanis ignoti, maris ratione non habita, quamquam oras maritimas Germaniae septentrionalis colentes. Ita *ulteriores* sc. populi Germ. 17 et Hist. 4, 50 remotiores ac minus notos ob longinquitatem designat. Vid. similia e Cic. et aliis petita ap. Forcell. s. v. interior et interpp. ad Caes. B. G. 2, 2.

INTERLUERE (Liv., Virg.) Ann. 6, 1 *quod Capreas et Surrentum interluit fretum.*

INTERNATUS (Liv.) Hist. 4, 60 *internatas saxis herbas vellentes.*

INTERPRETARI Agric. 40 *ut plerique — viso adspectoque Agricola quaererent famam, pauci interpretarentur,* optime a Walch. explicatur. „Sie vermißten den äußeren Glanz, wel-

chen der Ruf von Agrikola's Größe erwarten ließ. Wenige (Tieferschauende) begriffen ihn."

INTERSTINCTUS (Plin. maj., Stat., et quem omisit Forcellin., Quintil. 10, 3, 129) Ann. 4, 57 *ulcerosa facies ac plerumque medicaminibus interstincta.*

INTERVENIRE ut vulgo cum dat. Hist. 4, 85 *parum decore Domitianum confecto prope bello alienae gloriae interventurum;* ap. unum fortasse Tac. cum accusat. Ann. 3, 23 *ludorum diebus, qui cognitionem intervenerant.*

INTERVERTERE i. q. eripere, furari, etiam decoquere (Cic.) Ann. 16, 10 *interversis patroni rebus;* Hist. 2, 95 *Vitellius — novies millies sestertium paucissimis mensibus intervertisse creditur.*

INTESTABILIS i. q. detestabilis Ann. 6, 40 *quamquam intestabilis tamen inpunita agebat;* cp. 51 *intestabilis saevitia;* 15, 55 *incusat ultro intestabilem et consceleratum;* Hist. 4, 42 *intestabilior et saevior exortus est.* Eadem sign. invenitur ap. Horat. et Sall. Jug. 67; Hist. 1 p. 936. Gron. ad Liv. 37, 57, 15 affert praeterea Plin. 30, 2 ubi *magicam* dicit *intestabilem, irritam, inanem esse.*

INTOLERANS v. tolerare.

INTRARE nonnunquam paullo insolentius junctum, sed non plane recedens a priorum consuetudine Ann. 11, 32 *Ostiensem viam intrat* (Liv. *fines, agrum intrare*); 2, 5 *si mare intretur;* 16, 25 *quibus intrari curiam placebat;* Hist. 3, 20 *non si pateant portae — intrandum; —* Agric. 5 *intravit animum militaris gloriae cupido,* Ann. 1, 39 *pavidos — intrat metus;* cp. 43 *quos jam pudor et gloria intrat.*

INTROSPICERE saepissime ap. Tacitum, quibusdam locis ap. Cic., Quintil., Plin. min., Gell., Ann. 1, 7 *ad introspiciendas procerum voluntates;* cp. 10 *quoniam adrogantiam saevitiamque ejus introspexerit;* 3, 60 *numinum religiones introspexit;* 4, 32 *non sine usu fuerit introspicere illa primo adspectu levia;* 11, 38 *introspexit fortunam;* 5, 4 *meditationes ejus introspicere creditus;* Hist. 2, 20 *recentem aliorum felicitatem aegris oculis introspicere;* sine casu Ann. 6, 21 *quantum introspiceret, magis ac magis trepidus;* Dial. 12 *si introspicere altius velis.* Cf. praeter locos Cic. et Gellii a Forcell. congestos Cic. divin. 2, 51; Quintil. 10, 2, 16 *non introspectis penitus virtutibus;* 5, 8 *tractamus singula et necessario introspicimus;* Plin. Pan. 75 *introspiciat modo vitam seque quid mercatur interroget.* Plaut. Most. 4, 2, 27 habet *introspectare.*

INTUMESCERE (ap. poetas et aequales) Ann. 1, 38 *intumescente motu;* Hist. 4, 19 *intumuere statim superbiâ ferociâque;* Germ. 3 *quo plenior et gravior vox repercussu intumescat.*

INTURBIDUS ap. solum Tacitum Ann. 2, 52 *inturbidus externis rebus annus;* 14, 22 *tuta et inturbida juventa frueretur;* Hist. 3, 39 *sanctus, inturbidus, nullius repentini honoris adpetens.*

INTUTUS, ut singulis locis ap. Sall., Liv., alios, Ann. 1, 38 *intutae latebrae;* 2, 42 *intuta Tiberii amicitia credebatur;* 4, 3 *quia vi tot simul corripere intutum;* 14, 33 *defendentibus intutum;* Hist. 1, 33 *intuta quae indecora;* 3, 76 *intuta moenium firmare.*

INUMBRARE absolute Hist. 3, 19 *inumbrante vespera;* umbra tegere et obscurare est ap. aequales, poetas et Curtium, delineare ap. Varronem.

INVERTERE est commutatis verbis dicere Ann. 15, 63 *Seneca advocatis scriptoribus pleraque tradidit, quae in vulgus edita ejus verbis invertere supersedeo.* Ita Cic. Partit. 7 *oratio conversa et mutata;* de Orat. 2, 65 *inversio verborum* et *invertuntur verba*, in hoc tamen loco inest cavillationis significatio et Ter. Heaut. 2, 3, 131 *inversa verba* sunt, Turnebo interprete, inflexa tropoque immutata.

INVIDERE alicui aliqua re, sed omisso haud raro casu tertio Ann. 1, 22 *ne hostes quidem sepultura invident;* Germ. 33 *ne spectaculo quidem proelii invidere* (sc. nobis); Ann. 15, 63 *non invidebo exemplo* (sc. tibi meo); et in his quidem duobus locis dativum esse posse, patet ex Ann. 13, 53 *invidit operi Aelius Gracilis;* sed Quintil. 9, 3, 1 *si antiquum*, ait, *sermonem nostro camparemus, paene jam quidquid loquimur figura est, ut* hac re invidere, *non, ut omnes veteres et Cicero praecipue* hanc rem. Vide interpp. ad h. l. Ita constanter abl. utitur Plin. min. e. g. 1, 10 *neque enim ego — invideo aliis bono;* 2, 10 *Quousque et tibi et nobis invidebis: tibi maxima laude, nobis voluptate?* Vid. Doederl. Syn. III p. 63.

INVIDIA Ann. 2, 72 *invidiam et adrogantiam effugerat* i. e. adrogantiâ se invidiosum non reddidit aliis, nam „*invidia duplex: altera invidum, altera invidiosum facit.*“ Quintil. 6, 2. Ceterum hoc significationis discrimen obtinet ap. omnes scriptores.

INVIOLABILIS (Lucret., Sil.) Ann. 3, 62 *Dianae Leucophrynae perfugium inviolabile foret.*

INVISITATUS Hist. 2, 50 *avem invisitata specie — celebri loco consedisse incolae memorant.* Adde locis a Forcell. laudatis Cic. divin. 2, 67 *forma invisitata;* Phil. 10, 1 *invisitatus, inauditus;* Liv. 5, 37 et 45 *invisitatus atque inauditus hostis* et quae exhibet index Drakenb.

INVOLARE v. accusat.

INVOLVERE et propr. et transl. sign. maxime poetis, Ciceroni et arg. aet. scriptt. freq. Ann. 14, 30 *obvios igni suo involvunt;* 1, 70 *cuncta pari violentia* (fluctuum) *involvebantur;* 16, 32 *fraudibus involutos aut flagitiis commaculatos;* 3, 63 *si qua iniquitas involveretur.* Similiter Cic. loquitur: *involuta aperire, res involutas explicare, pacis nomine bellum involutum.*

IRE v. supinum.

IS v. pronomen.

ITAQUE v. igitur.

ITER 1) i. q. via praeeunte Cicerone cum aliis, sed noster etiam de viis urbis usurp. Ann. 1, 20 *ob itinera et pontes et alios usus;* 3, 4 *itinera urbis;* Hist. 1, 81 *diversa urbis itinera;* Ann. 4, 70 *deseri itinera, fora;* 15, 38 *incendium — anteiit remedia velocitate mali et obnoxia urbe artis itineribus hucque et illuc flexis.* 2) translate i. q. ratio, modus saepissime ap. Quintil. et Tacitum Dial. 19 *novis et exquisitis eloquentiae itineribus opus est;* Hist. 4, 49 *duo itinera audendi;* 1, 61 *duo itinera bello destinavit:* Ann. 16, 17 *adquirendae pecuniae brevius iter credebat;* cp. 26 *quod tali in tempore capessendae reip. iter ingrederetur.* Cf. Cic. Att. 4, 2 *ut interrumpat iter amoris nostri et officii mei;* Phil. 1, 14 *verum iter gloriae* et *via gloriae;* Rep. 2, 25 *videre itinera flexusque rerum publicarum;* Liv. 31, 18 *se per omnes vias leti interficere* (plura vide ap. Drakenb. ad Liv. 6, 35, 3); auct. epist. 2 ad Caes. de ord. rep. 12 *si hoc itinere* (hac ratione) *uti decreveris, cetera in promptu erunt.*

JUBERE v. accusat.

JUNCTISSIMUS Hist. 4, 52 *prosperis* (*principum rebus*) *et alii fruuntur, adversa ad junctissimos pertinent.* Similiter Ovid. habet *junctissimus illi et comes* et *junctissima pectora.*

JURARE 1) ut reip. temporibus in consulum verba jurabant cives (cf. Liv. 2, 32; 3, 20), ita in verba principum inde a Julii Caesaris aevo (Suet. Caes. 84): Ann. 1, 7 *consu-*

les primi in verba Tiberii Caesaris juravere, apudque eos Sejus Strabo et C. Turranius, ille praetoriarum cohortium praefectus, hic annonae; mox senatus milesque et populus; (de locutione *in verba jur.* cf. etiam Hist. 4, 57 *ut, flagitium incognitum, Romanus exercitus in externa verba jurarent)* idem valet cp. 8 *in nomen jurare* (Sueton.) et *in aliquem jurare* Hist. 1, 76; ap. Liv. *jurare in se* est jurando sibi mala imprecari. 2) in acta imperatoris jurare Ann. 1, 72; 4, 42; 13, 11 quid significet Lipsius exposuit in Exc. A. ad Ann. 16, 22 *principio anni vitare ThrasEam sollenne jusjurandum.* 3) senatus et principes sententias suas jurejurando confirmabant Ann. 1, 74 *exarsit adeo (Tiberius) ut — proclamaret se quoque in ea causa laturum sententiam palam et juratum;* 4, 31 *amovendum in insulam censuit (Tiberius) tanta contentione animi, ut et jurando obstringeret,* e republica id esse; cp. 21 *ut judicio jurati senatus Cretam amoveretur.* Cf. Liv. 30, 40 *patres jurati censuerunt;* 42, 21 *ut juratus senatus decerneret;* Plin. epist. 5, 14 *quin etiam Dextrum, qui primus diversum censuerat perlata lege de senatu habendo jurare coegit, e republica esse quod censuisset.*

JURISDICTIO et actus est juris dicundi, ut ap. priores, et simul conventus, quam sign. jurisdictio ap. Plin. maj. haud raro obtinet, Ann. 1, 80 *id quoque morum Tiberii fuit continuare imperia ac plerosque ad finem vitae in iisdem exercitibus aut jurisdictionibus habere.*

JUS TRIBUNICIUM, Ann. 1, 2 et passim, quam vim habuerit imperatorum temporibus ipse Tacitus exponit Ann. 3, 56. *Id summi fastigii vocabulum Augustus reperit, ne regis aut dictatoris nomen adsumeret, ac tamen appellatione aliqua cetera imperia praemineret.*

JUSTITIUM Ann. 1, 16; 2, 82 et passim non aliter hoc tempore usurpatur quam a prioribus; cf. e. g. Liv. 9, 7 et quae Drakenb. congessit ad lib. 4, 26, 12. Falso Wolfius priori Ann. loco suspecta habet verba *ob justitium aut gaudium;* utrumque recte conjungi inde patet, quod praecedentia *fine Augusti et initiis Tiberii* apte congruunt cum his verbis, tum quod gaudium sive fictum et compositum sive ex animo profectum non minus excipiebat novum principem quam tristitia prosequebatur defunctum; cf. cp. 7 *ne laeti excessu principis neu tristiores primordio cet.* et Suet. Calig. 13. 14. Glossema vero illum locum non sapere inde quoque colligi potest, quod

cp. 50

cp. 50 disertim commemoratur illud *justitium ob amissum Augustum.*

JUSTUS peculiari junctura Ann. 2, 5 *fundi Germanos acie et justis locis, juvari silvis, paludibus,* quae recte explicat Forcellin., cum dicit „*justa loca* sunt aequa, et in quibus neuter exercitus habet subsidii quidquam praeter virtutem, quibus *iniqua* opponuntur."

JUTUS pro adjutus Ann. 14, 4 *Placuit sollertia tempore etiam juta.* Utitur h. v. Palladius saeculo tertio p. C. n. Tacitum amare simplicia exposuimus in Prolegomenis.

JUVENTA et JUVENTUS v. Heteroclita.

JUXTA 1) praepositio, cujus cum ap. ceteros rerum scriptores, maxime Sall. et Livium, tum ap. Tacitum multo magis variat usus quam stilo oratorio, Hist. 2, 12 *occursantes domini juxta conjuges et liberos;* cp. 89 *ceteri juxta suam quisque centuriam armis donisque fulgentes;* postpositum substantivo Ann. 2, 41 *Tiberim juxta;* 6, 39 *urbem juxta* (v. conlocat. verbb.); translate Ann. 6, 13 *juxta seditionem ventum* (Liv. 6, 42 *prope secessionem plebis res venit*); Dial. 22 *juxta finem vitae;* Germ. 21 *periculosiores sunt inimicitiae juxta libertatem;* cp. 30 *velocitas juxta formidinem, cunctatio propior constantiae est;* Ann. 6, 42 *populi imperium juxta libertatem; paucorum dominatio regiae libidini propior est,* ubi Ernest. contulit Thucyd. 1, 13 ἐγγύτατα τοῦ νῦν τρόπου et 3, 62 ubi oligarchia ἐγγυτάτω τυράννου esse dicitur; Hist. 2, 76 *juxta deos in tua manu positum est.* Cf. Liv. 9, 9 *apud quos juxta divinas religiones fides humana colitur;* 39, 9 *huic consuetudo juxta vicinitatem cum Aebutio fuit.* Magis etiam quam Tacitus ultra fines vulgaris sermonis protulit hujus praepos. usum Justinus, ap. quem idem est quod *secundum,* pro 2, 12 *Jones juxta praeceptum Themistoclis pugnae se paullatim subtrahere coeperunt.* 2) adverbium Hist. 2, 74 *procul vel juxta sitas vires circumspectabat;* translate Ann. 4, 1 *juxta adulatio et superbia* (conjunctae erant); 1, 6 *juxta periculoso, ficta seu vera promeret;* cp. 48 *innocentes ac noxios juxta cadere;* 2, 56 *proceres plebemque juxta devinxerat;* 4, 59 *qui* (Sejanus) *nunc patientiam senis et segnitiam juvenis juxta insultet;* cp. 74 *juxta gratiam aut fastus janitorum perpetiebantur;* 11, 33 *Getae, praetorii praefecto haud satis fidebat ad honesta seu prava juxta levi;* 12, 17 *impediti vel eminentes loci amnesque et urbes juxta perrumpuntur;* Hist. 3, 58 *in metu consilia prudentium et vulgi rumor juxta audiuntur;*

5, 7 *solo coeloque juxta gravi.* Apud Liv., Sall. et etiam Cic. plerumque *juxta ac*, *ac si*, *atque* legitur, ap. Liv. praeterea *juxta quam* 10, 6: *juxta eam rem aegre passi patres quam cum consulatum vulgari viderent,* ap. Sall., praeeunte Plauto, *juxta cum* Catil. 58: *quo in loco res nostrae sint juxta mecum omnes intelligitis.* Cetera Livii et Sallustii exempla sunt: Liv. 3, 33; 25, 12; 28, 20; 32, 14; 37, 54; Sall. Cat. 2. 37. 51. 61. 65. 67. 72. 85; Jug. 88. 95.

LABARE transl. ut inclinare, quod tamen minus valet, peculiari nonnunquam junctura, sed simillimis ap. priores exemplis, Germ. 8 *acies inclinatae jam et labantes;* Hist. 3, 23 *sustinuit labantem aciem; 2, 86 labantibus Vitellii rebus;* 1, 26 *labare Germanici exercitus fidem;* 5, 18 *fluitantem labantemque militem eminus fodiebant.* Ann. 2, 26 *labare hostes petendaeque pacis consilia sumere;* cp. 33 *si quid in moribus labaret;* 14, 12 *labante jam Agrippina;* 15, 55 *ut labaret indicium.* Similiter ap. Cic. Liviumque *labant animus, consilium, fides, cohors, socii, fortuna, disciplina.*

LACER, excepto uno fortasse loco Livii 1, 28 *lacerum corpus,* poetis tantum et arg. aet. scriptoribus usitata vox Hist. 3, 10 *lacera veste;* Agric. 37 *laceri artus;* Hist. 2, 22 *exsangues aut laceri;* cp. 70 *lacera corpora;* 3, 27 *laceros prosternere;* Ann. 15, 40 *tectorum vestigia lacera.* Cf. locos a Forcell. omissos Plin. H. N. 2, 63 *lacerum corpus;* Plin. Pan. 52 *laceros artus;* similiter *lacerare bona patria* dixit Sallust. Cat. 14; vid. ibi Cort. adnotat. Cf. etiam laniare.

LACESSERE plerumque hostilem vel inimicum animum exprimit, est vero etiam amice provocare Cic. Fam. 12, 20 *Sic igitur facies, meque amabis, et scripto aliquo lacesses. Ego enim respondere facilius possum quam provocare. Quodsi, ut es, cessabis, lacessam;* ad Att. 13, 18 *cum ipse homo πολυγραφώτατος nunquam me lacessisset;* Tusc. 5, 41 *a quo non modo impulsi sumus ad philosophicas scriptiones, verum etiam lacessiti;* Liv. 40, 54 *nunc praebendo aures, nunc lacessendo etiam mentionem rei temere actae, saepe querenti querens et ipse aderat.* Hinc explicatur Ann. 14, 3 *Nero vitare secretos ejus congressus, abscedentem in hortos aut Tusculanum vel Antiatem in agrum laudare, quod otium lacesseret* i. e. provocaret, quaereret, capesseret. Cf. Quintil. 2, 12, 12 *otium consolari.*

LAETUS 1) gratus, laetitiam adferens, faustus (opp. tristis) Ann. 1, 5 *laeti nuntii;* 12, 8 *laetum (id) in publicum*

rata; cp. 40 *laetior finis;* Hist. 1, 62 *laetum augurium;* cp. 72 *laeta primoribus — Celsi salus;* 2, 4 *laeta exta;* cp. 11 *laeta principia;* cp. 54 *laetiore nuntio.* Ita poetae plerumque loquuntur, raro Cic. et alii scriptores. cf. festus. 2) de herbis luxuriantibus et inde de orationis ornatu Dial. 40 *tulit valentiorem eloquentiam, sicuti indomitus ager habet quasdam herbas laetiores* (ita praeter poetas maxime Cic. et Sall.); — Ann. 4, 33 *laetius efferre aliquid;* Dial. 14 *laeta, audentior et poetarum quam oratorum similior oratio;* cp. 20 *laetitia orationis;* cp. 21 *quo minus laetitiam nitoremque nostrorum temporum exprimeret;* cp. 22 *locos laetiores adtentavit Cicero.* Cf. Cic. orat. 1, 18 *laetum genus verborum;* Quintil. 10, 1, 46 *Idem (Homerus) laetus et pressus; jucundus et gravis;* 11, 1, 49 *laetissimis locis sententiisque dicere;* Plin. epist. 3, 18 *qui hilarius et quasi exsultantius scripsi;* 9, 33 de avunculo *laetissimum ingenium,* ut Quint. 2, 4, 4 *indoles laeta.* 3) cum genitivo Ann. 2, 26 *laetus animi* poetice, sed praeeuntibus Sall. et Vellejo.

LAMENTUM, sed plurali numero, saepissime ap. Tacitum (et Cic.) Ann. 4, 51; 15, 38; 16, 13; Hist. 4, 1. 45; Germ. 27; Agric. 28. Cf. Doederl. Synon. III. p. 150. sqq.

LANIARE pro dilacerare, scindere, poetice Hist. 3, 84 *laniata veste;* Liv. 21, 46, 2 *laniatis obviis ipse intactus evaserat;* Quintil. 11, 3, 174 *vestes laniare* ut Ovid. Met. 4, 139 *laniata comas;* Sen. epist. 51 translate *vitia cor laniant.*

LANIATUS, US proprie Ann. 15, 44 *laniatu canum interire.* Sic *ferarum laniatus* ap. Cic.; translate ap. unum Tacitum Ann. 6, 6 *si recludantur tyrannorum mentes, posse adspici laniatus et ictus.* Cf. laniare.

LAPIS Hist. 2, 88 *ad septimum ab urbe lapidem;* Ann. 1, 45 *sexagesimum apud lapidem;* saepius omittitur a Tacito Hist. 2, 24 *ad duodecimum a Cremona;* cp. 39 *promoveri ad quartum a Bedriaco castra placuit;* 3, 15 *ad octavum a Bedriaco progressus.* Vid. in Prolegg. de ellipsi.

LAPSARE (poetae, Flor., Gell.) Ann. 1, 65 *lubrico paludum lapsantes;* Hist. 1, 79 *lapsantibus equis.*

LATIUM pro jus Latii vid. in Prolegg. de ellipsi.

LATUS, A UM de oratione i. q. ornatus, laetus, fusus Hist. 1, 90 *genus orandi — ad implendas aures latum et sonans.* Ita Cic. et Quintil. quoque. — Ann. 2, 78 *lato mari* idem est quod *alto mari;* apud alios, e. g. Horat. epist. 1, 2, 20; Cic. Verr. 4, 46 latitudinem et immensum ambitum

maris designat. Sed nihil mutandum in loco Taciti, ubi oppositum est latum mare navigationi in angustiis orae maritimae.

LAUREA et LAUREATAE LITTERAE Ann. 2, 26 *deportare lauream;* Hist. 3, 77 *ipse lauream gestae prospere rei ad fratrem misit;* Agric. 18 *Agricola — ne laureatis quidem* (sc. litteris) *gesta prosecutus est.* Cf. ap. Cic. *laureati fasces, lictores;* in Pis. 17 *tabulas cum laurea mittere;* Liv. 5, 28 *litterae laureatae;* 45, 1; Suet. Dom. 6; Nero 13; Plin. Pan. 8; Plin. maj. 15, 36 (30. 40.) *Laurus Romanis praecipuae laetitiae victoriarumque nuntia additur litteris et militum lanceis pilisque.*

LECTITARE satis freq. Ciceroni, sed *lectitatus* ap. unum fortasse Tacitum Ann. 14, 50 *libros exuri jussit conquisitos lectitatosque.*

LEGATI LEGIONUM Ann. 2, 36; Hist. 1, 7 dicti sunt inde a Gallicis Caesaris expeditionibus; Caes. B. G. 1, 52 *Caesar singulis legionibus singulos legatos et quaestorem praefecit.* Retinuit hoc institutum Augustus, universo exercitui praeficiens legatos consulares, singulis legionibus legatos praetorios qui legati legionum dicebantur vel legati praetorii (Agric. 7.) Nonnunquam jam ante praetoriam dignitatem hoc munere fungebantur. Vid. Rup. ad Ann. 2, 36.

LENIMENTUM Hist. 2, 67 *addito honestae missionis lenimento.* Ita aequales et prioris aetatis poetae locuti sunt.

LENOCINARI (aequales et nonnullis locis Cicero) Germ. 43 *insitae feritati arte ac tempore lenocinantur;* Dial. 6 *lenocinatur voluptati.* — l e n o c i n i u m Hist. 1, 18 haud rara ap. Cic. vox.

LENTESCO de succino Germ. 45 *ut in picem resinamve lentescit.* Similiter Virg. *picis in morem lentescit ad digitos,* vox poetica et arg. aetati propria; utitur ea jam Colum.

LEVAMENTUM et LEVAMEN Ann. 1, 17 *nec aliud levamentum quam si certis sub legibus militia iniretur;* Hist. 1, 8 *Galliae — obligatae — in posterum tributi levamento;* Ann. 4, 66 *accusatorum major in dies et infestior vis sine levamento grassabatur;* 3, 34 *uxorium levamentum* i. e. quod ex uxore petitur; Hist. 5, 3 *Moses — aquarum venas aperit; id levamen.* Utraque voce etiam Cic. utitur nonnullis locis.

LIBERTUS ap. priores spectat ad dominum, l i b e r t i n u s ad conditionem liberti, domini non habita ratione; argentea aetate utriusque vocis promiscuus est usus, ita tamen

ut *libertus* tantum dicatur pro libertino, non contra *libertinus* pro liberto. Cf. Hist. 1, 13. 27. 46; 2, 57. 91. 92. 94. 95; Ann. 4, 7; 13, 27; Germ. 25. Vide Brem. ad Suet. Claud. 24; Drakenb. ad Liv. 9, 46, 10; Hess. ad Germ. 25.

LIBIDO i. q. liberum arbitrium, licentia, Willkühr, Ann. 4, 46 *ne regibus quidem parere nisi ex libidine soliti*; 6, 16 *cum antea ex libidine locupletium agitaretur fenus*; cp. 42 *paucorum dominatio regiae libidini propior est*; Hist. 4, 76 *cuncta ex libidine agere*; Ann. 5, 4 *libido ingeniorum*. Cf. Cic. fin. 1, 6 et l. Agr. 2, 6 *libido consularis*; in Pis. 39 *quos hominum libido delegit*; cp. 36 *libidinosissimae liberationes*; rep. 2, 37 *libidinose populo praefuerunt*. Ita Liv. quoque et Sall. usi sunt adjectivo.

LIBITUM substantive a solo Tacito usurpatur Ann. 6, 1 *suaque ipsi libita in captos exercebant*; 12, 6 *abripi conjuges ad libita Caesarum*; 14, 2 *usque ad libita Pallantis provoluta*. Cf. admissum et cupitum.

LIBRAMENTUM Hist. 3, 23 *vincla ac libramenta tormentorum abscindere*. Et hoc et *libramen* habet Livius, sed *libramen* de actu librandi, *libramenta*, sicut Tacitus, de ponderibus, quibus gravabantur tormenta ut majore impetu missilia jacerentur.

LIBRATORES a librando (cf. libramentum) Ann. 2, 20 *funditores libratoresque excutere tela et proturbare hostem jubet*; 13, 39 *libratoribus funditoribusque adtribuitur locus, unde eminus glandes torquerent*. Apud priores non invenitur hujus vocis usus; ap. Plin. epist. 10, 50 *librator* est qui libram aquae explorat, componiturque cum architecto. Cf. Caes. B. G. 7, 81 *fundis, librilibus sudibusque — ac glandibus Gallos perterrent*; metaphr. Graec. vertit *λίθους μεγάλους*; Festus adnotat: *librilia sunt instrumenta bellica, saxa scilicet ad brachii crassitudinem in modum flagellorum loris revincta*; sed Veget. 2, 23 exhibet *libralia saxa*. Gronovius in textum recepit *libritores*. Inspiciendi sunt libri manuscripti. Ernestii argumentum e loco Pliniano petitum nihil valet contra Gron. lect.

LIBURNA sc. navis Germ. 9. Utitur hac scriptura Horat. quoque pro vulg. *liburnica*, ut est Agric. 28 *tres liburnicas — adscendere*; Hist. 5, 23 *armamenta Liburnicis solita*. Vide quos laudavit Hess. ad Germ. 9.

LICTORES uxoribus quoque imperatorum comites additi Ann. 1, 14; 13, 2; electi e libertinorum corpore cp. 27.

LIGAMENTUM Ann. 15, 54 *vulneribus ligamenta, quibus sistitur sanguis, parare eundem Milichum monet.* Idem Quintil. usurpat; Ovid., Propert., Colum. *ligamen.*

LIGARE Hist. 4, 53 *vittas quis ligatus lapis;* Germ. 39 *nemo nisi vinculis ligatus ingreditur.* Utuntur hac voce aequales et prioris aetatis poetae.

LIMES ap. Tacitum et omnino imperatorum temporibus est agger quo imperii fines notantur et contra hostiles impetus muniuntur, Ann. 1, 50 *limitem scindit* (v. scindere); 2, 7 *cuncta inter castellum Alisonem ac Rhenum novis limitibus aggeribusque permunita;* Germ. 29 *limite acto promotisque praesidiis.* Cf. Vell. 2, 120 *penetrat interius, aperit limites;* Spart. Hadr. 12 *per ea tempora et alias frequenter in plurimis locis, in quibus barbari non fluminibus, sed limitibus dividuntur, stipitibus magnis in modum muralis sepis funditus iactis atque connexis barbaros separavit.* Ita Ammian. 30, 9 Valentinianum vocat *oppidorum et limitum conditorem tempestivum.* — De via, ut ap. Liv. et al., Hist. 3, 25 *per limitem viae sparguntur;* ita Ovid. etiam pro fluminis alveo utitur *limite.*

LINQUERE pro relinquere plerumque ap. poet. et arg. aet. scriptt. Ann. 3, 46 *quasi exanimes linquebantur;* Hist. 3, 25 *filium domi liquerat.* Sed haud ita raro utitur h. v. etiam Cic. de or. 3, 10 *linquamus igitur haec;* ep. 46 *linquamus naturam;* Planc. 10 *eum linquentem terram eam;* de fato 16 *ut is in insula Lemno linqueretur.* — Vell. 1, 9 *quam ille linquens cet.*

LITTERATURA Graeca Ann. 11, 13 de litterarum serie et ordine, quod vulgo alphabetum dicitur. Ita nusquam alibi, quod sciam; proxime accedit ad locum nostrum Sen. epist. 88 *prima illa, ut antiqui vocabant, litteratura, per quam pueris elementa traduntur, non docet liberales artes, sed mox percipiendis locum parat;* litterarum formationem ap. Cic. exprimit *litteratura,* praeterea eruditionem; Quintil. ita reddit *γραμματικήν.*

LIVERE vox et propr. et transl. signif. poetica Agric. 12 *margarita subfusca ac liventia;* Ann. 13, 42 *Senecam — livere* (invidere) *his, qui vividam — eloquentiam — exercerent.* Similiter cum dativo Mart. 6, 86, 6 *Et potet calidam qui mihi livet aquam.* Cf. Doederl. Synon. III. p. 67 sqq.

LOCUS v. Heterogenea.

LONGINQUUS v. seq.

LONGUS 1) ad tempus pertinet, ut ap. priores longum tempus, spatium, l. mora et sim., saepius ap. nostrum Hist. 2, 55 *longi principatus;* Ann. 14, 40. 65 *longa senecta;* cp. 31 *l. opulentia;* 1, 8 *l. potentia;* cp. 53 *inopiâ et tabe longâ;* 6, 28 *post longum saeculorum ambitum;* 14, 53 *inter nobiles et longa decora praeferentes novitas mea enituit;* — 1, 69 *odia* in longum *jaciens;* 3, 27 *otium ei rei haud in longum paravit;* 5, 2 *acerbis facetiis — quarum apud praepotentes in longum memoria est;* 11, 20 *unde tenuis fructus nec in longum fuit;* Hist. 2, 95 *nec in longius consultans;* 4, 22 *quae adversus necessitates in longum suffecissent.* Ita poetae nonnunquam et Vell. 2, 85 *Illis in longum fortissime pugnandi duravit constantia;* longius pro diutius etiam ap. Caes. legitur B. G. 7, 71 *frumentum se exigue dierum XXX habere, sed paullo etiam longius tolerare posse parcendo.* Vide plura exempla ap. Forcell. 2) de loci spatio et longinquitate, Ann. 16, 5 *per longas provincias;* maxime adv. Hist. 5, 11 *rebus secundis longius ausuri;* 3, 15 *longius curabant exploratores;* 2, 24 *equites procedere longius jussi;* cp. 25 *longius secuti;* 3, 56 *taurus — longe* (ab altaribus) *confossus;* 2, 38 *sed me veterum novorumque morum reputatio longius tulit.* Notissimae sunt priorum locutiones *longe lateque, late longeque, longe esse, abesse;* sed cf. etiam Sall. Jug. 89 *haud longe a moenibus;* cp. 27 *haud longe ab eo itinere;* cp. 92 *haud longe a flumine;* Caes. B. C. 2, 37 *minus quinque et viginti milibus longe ab Utica abesse;* vid. ibi Held. adnotat. coll. B. G. 7, 16; Hirt. b. Afr. 68; — Cic. fam. 3, 7 *tam longe inquis* (iter facient)? 9, 10 *labor longius* (scribendo); divin. 2, 37 *sed labor longius, ad propositum revertar;* de or. 3, 40 *ne longe simile sit ductum;* Phil. 2, 32 *Caesari ex Hispania redeunti obviam longissime processisti.* 3) longum est idem fere valet quod absurdum, et omnino nimiam vanamque moram exprimit Hist. 2, 2 *haud fuerit longum — paucis disserere;* cp. 64 *longum interfectori visum;* 3, 71 *et arcessere tormenta — longum videbatur.* Ita Cic. quoque et alii dicunt *ne longum sit, nolo esse longus* et simil. — Eadem fere ratio est longinqui et longinquitatis, quae saepius ad locum quam ad tempus refert Tacitus Ann. 3, 34 *longinqua imperii adire;* 11, 10 *longinquam militiam adspernari;* 13, 41 et 14, 24 *longinquum iter, longinqua itinera;* 6, 39 *per longinquos nuntios;* 1, 47 *majestate salva, cui major* ex longinquo *reverentia* (ita maxime Sen. et Plin. maj. loquuntur); — 13, 37 *spes*

longinqua et sera (ita Sall. et Horat. habent *spem longam*); cf. Liv. 41, 21 *longinquo morbo implicari; 22, 33 longinqua cura* i. e. cura rei etiam nunc remotae. — Agric. 19 *longinquitas regionum;* Ann. 6, 44 *longinquitate itineris fessos;* 3, 5 *ob longinquitatem itinerum;* 1, 53 *obscuram fore necem longinquitate exsilii ratus.* Similia habet Cic.

LOQUI aliquid pro de aliquare poetarum more, a Cic., Livio, aliis quibusdam recepto Ann. 16, 22 *te, Nero, et Thraseam avida discordiarum civitas loquitur* (cf. Dial. 16 *cum audio antiquos*); Liv. 5, 2 *quid turres, quid vineas — loquar?* cp. 54 *ne singulas loquar urbes;* similiter Cic. *merum bellum, mera scelera, pugnantia loqui.* Vid. Lex. Schütz.

LORICA metaph. pertinet ad munimenta bellica et est Vegetio auctore *fossa non solum vallo et sudibus, sed etiam turriculis instructa.* Ann. 4, 49 *fossam loricamque contexens* Hist. 4, 37 *quin et loricam vallumque per fines suos Treveri struxere.* Adde locis e Caesare, Curtio (9, 4, 30.) et Floro a Forcell. congestis Caes. B. G. 7, 72 *huic (vallo) loricam pinnasque adjecit.*

LUBRICUS maxime Tacito et Ciceroni frequentatur, plerumque transl. sign.; aptissime derivatur a *labi, labare,* unde Ann. 1, 65 *lubrico paludum lapsantes;* — cp. 72 *se magis in lubrico* (cf. cp. 36 *in ancipiti respublica*); 6, 51 *in lubrico agere;* Hist. 1, 10 *lubrico statu;* Ann. 13, 2 *lubrica aetas;* 6, 49 *lubricum juventae;* 14, 56 *lubricum adolescentiae;* Hist. 2, 101 *lubricâ ad mutandam fidem classe;* Ann. 2, 87 *angusta et lubrica oratio;* Dial. 13 *lubricum forum.* Exempla Ciceronis, ni fallor, omnia sunt rep. 1, 28 *iter ad finitimum quoddam malum praeceps ac lubricum;* Tusc. 4, 18 *vitia sunt in lubrico incitataque semel proclive labuntur;* Flacc. 42 *via vitae lubrica;* Off. 1, 19 *gloriae cupiditas — locus est sane lubricus;* Planc. 2 *lubrica defensionis ratio;* Phil. 2, 24 *reliquorum factorum ejus difficilis sane reprehensio et lubrica;* 5, 18 *cupiditas dominandi praeceps et lubrica;* Acad. 4, 28 *venit ad soritas, lubricum sane et periculosum locum;* cp. 34 *assensus lubricos sustinere;* cp. 21 *ipsa consuetudo assentiendi periculosa esse videtur et lubrica;* Pis. 28 *lubricum genus orationis adolescenti;* Verr. 5, 52 *aetati maxime lubricae atque incertae exempla nequitiae praebere;* Orat. 28 *minime in lubrico versabitur* (orator); Coel. 17 (*natura*) *interdum multas vias adolescentiae lubricas ostendit, quibus illa insistere aut ingredi sine casu aliquo aut prolapsione vix posset.* — N. D. 2, 57 *lubricos ocu-*

los fecit et mobiles (natura). — Curt. 6, 4, 10 *se in praecipiti et lubrico stantem consilium a praesenti necessitate repetisse;* 7, 8, 24 *lubrica fortuna;* Sen. c. ad Marciam 9 *opes in lubrico positae;* constant. 5 *lubrica et incerta possessio;* v. beat. 8 *nihil pravi, nihil lubrici superest (sapienti);* epist. 1 *hujus rei (temporis) fugacis ac lubricae possessio.* Ceterorum scriptorum, maxime poetarum locos similes vide ap. Forcell.

LUCAR praeter Tacit. Ann. 1, 77 *de modo lucaris* in inscript. vet. et ap. Tertull. — Festus in voce *Pecunia:* Pecunia, quae erogatur in ludos et spectacula, appellatur *lucar* (al. leg. *lucaris*) quod e *lucis* captetur; Gloss. Graec. *μισθὸς ἀπὸ φίσκου, τὸ θεατρικόν.* Salmasius scribi vult *locar*, ut sit merces pro loco in spectaculis, cum Mart. 5, 24, 9 *locarios* vocet qui locos in theatris vendant, et Varro L. L. 4, 2 *locarium* sc. pretium similiter interpretetur „*quod datur in stabulo et taberna, ubi consistant.*" De re vide Sen. epist. 80 *quinque modios accipit et quinque denarios* sc. in menses, vid. adnot. Ruhkopfii. Lucian. Icaromenipp. 29 *ἀνθρώπιον ἑπτὰ δραχμῶν ἐς τὸν ἀγῶνα μεμισθωμένον.* Postea aucta est merces; vid. Capitol. M. Ant. 11. Cum nostro loco cfr. Suet. Tib. 34 *ludorum ac munerum impensas corripuit, mercedibus scenicorum recisis.*

LUDICRUM i. q. spectaculum, cum singulari numero non usurpetur *ludus* hac sign., sed ad locum tantum pertineat. Vid. Doederl. Synon. II p. 31. Ann. 1, 54 *indulserat ei ludicro Augustus.* Ita Liv. 33, 32 *Isthmiorum statum ludicrum aderat* et *ludicrum indici solet;* 34, 41 *nobile ludicrum Nemeorum;* 39, 22 *hujus seculi ludicrum celebratum est;* Vell. 1, 8 *quo quidem in ludicro cet.* praeterea poetae et arg. aet. scriptt. utuntur substantivo; adjectivi etiam crebrior ap. Tacit. et aequales quam ap. priores usus; cf. Ann. 1, 50 *festam eam Germanis noctem ac sollennibus epulis ludicram;* Germ. 24 *nudi juvenes, quibus id ludicrum est, inter gladios se — jaciunt;* Ann. 14, 14 *citharā ludicrum in modum canere;* cp. 16 *ludicrae artes;* 16, 4 *ludicra deformitas;* Hist. 2, 68 *apud victores orta seditio, ludicro initio.*

LUDIFICARI Ann. 1, 46; 3, 21 vox apud Ciceronem quoque (hic cum aliis quibusd. etiam *ludificare* habet), Livium Sall. et alios nonnullos, maxime comicos obvia.

LUES v. tabes.

LUXUS rarior omnino ap. priores vox. Vid. Doederlin. Synon. II p. 24. De antiquo dativo *luxu* vid. s. hoc casu.

LYMPHATUS maxime poetis et arg. aet. scriptoribus, sed nonnullis locis etiam Livio et Ciceroni usurp. Ann. 1, 32 *repente lymphati destrictis gladiis in centuriones invadunt;* Hist. 1, 82 *lymphatis caeco pavore animis.* Doederl. auctore in Synon. II p. 16 ita ut *lymphor, limpidus, lympha* originem traxit a *λείβω;* inde lymphatus non est *νυμφόληπτος,* sed, ex Isidori sententia, qui aquam timet, quem Graeci *ὑδροφόβην* vocant. Vide Drakenb. ad Liv. 7, 17, 3; 10, 28, 10.

MACHINAMENTUM Ann. 12, 45 *nihil tam ignarum barbaris quam machinamenta et astus oppugnationum;* Hist. 4, 30 *praecipuum pavorem intulit suspensum et nutans machinamentum.* Eadem propria sign. Liv. et Sen. utuntur, transl. serioris aevi scriptt. Vide Drakenb. ad Liv. 37, 5, 5.

MACHINATOR propr. (Liv.) Ann. 15, 42 *Nero — exstruxit domum — magistris et machinatoribus Severo et Celere;* transl. (Cic. haud raro) Ann. 1, 10 *sui milites Hirtium et machinator doli Caesar abstulerat.*

MACTARE i. q. devovere Ann. 2, 13 *ruptores pacis ultioni et gloriae mactandos;* similiter Liv. 10, 28 *hostium legiones Telluri ac diis Manibus mactandas dabo.*

MACULOSUS (et propr. et transl. sign. praeeunte Cic.) Ann. 13, 33 *Cossutianum — maculosum foedumque;* Hist. 1, 7 *Capitonem — avaritia et libidine foedum ac maculosum;* 2, 30 *ut foedum et maculosum — inridebant;* 3, 38 *omni dedecore maculosum.*

MAGIS omissum v. in adjectiv.; *magis magisque* (Ann. 15, 57) insolentius exprimitur Ann. 6, 21; 14, 8 *magis ac magis;* cf. praeter locos a Tursell. laudatos Cic. Att. 16, 3 *magis et magis;* Plin. H. N. 12, 1; alter Epist. 7, 3; 10, 28 *magis ac magis;* Ennius ap. Cic. Sen. 4 *magisque magisque;* Virg. Aen. 2, 299. *Et magis atque magis.*

MAGNILOQUUS Agric. 27 *prompti post eventum ac magniloqui erant.* Ita Ovid.; alia sign. Stat. habet *magniloquus Homerus; magniloquentia* subst. etiam ap. Cic. Liviumque legitur.

MAJESTATIS (sc. laesae) LEX, sicut crimen laesae maj. s. perduellio, reip. jam temporibus obvia (Liv. 26, 3) aliter habebatur imperatorum aevo. Tacitus ipse Ann. 1, 72 coll. cp. 73 ita discrimen exponit: 1) *alia in judicium veniebant* (reip. aetate) eorumque jam sequitur enumeratio, quacum cf. Cic. de Orat. 2, 39 *majestatem minuit qui exercitum hostibus — tradidit;* Partit. 30 *qui per vim multitudinis rem ad seditionem*

vocavit, (auct. ad Herenn. 2, 12 *qui ea tollit, ex quibus rebus civitatis amplitudo constat*); de inv. 2, 18 *maj. minuere est aliquid de rep., cum potestatem non habeas, administrare.* 2) cum verbis Taciti *facta arguebantur, dicta impune erant* cf. Cic. Fam. 3, 11 *ea est majestatis vis et sic involuta, ut in quemvis impune declamare liceat.* Inde ab Augusti temporibus majestatis accusabantur, qui dictis factisve imperatoris dignitatem laeserant; cf. Suet. Tib. 58; Plin. Pan. 11. 42; Sen. Ben. 3, 26, ubi notanda sunt verba: *excipiebatur ebriorum sermo, simplicitas jocantium; nihil erat tutum; omnis saeviendi placebat occasio.*

MALEFICIUM, ap. priores oppositum simpliciter *beneficio*, arg. aetate designat haud raro *carmina* et *devotiones* atque *veneficia;* Ann. 2, 69 *semusti cineres ac tabe obliti aliaque maleficia quis creditur animas numinibus infernis sacrari.* Inde *maleficus* idem est q. *veneficus, magus.* Cf. Cod. tit. 18 lib. 9 *de maleficis et mathematicis* (a nostro etiam mathem. cum magis componuntur; vid. interpp. ad Ann. 2, 32); ib. leg. 5. *Chaldaei ac magi et ceteri quos maleficos vulgus appellat.*

MALLE Ann. 12, 46 *ne dubitaret armis incruentas conditiones malle.* „docte pro: *malle i. cond.* (h. e. pacem) *quam arma* s. bellum. Sic *malle* ap. Horat. Sat. 2, 8, 79 et Apul. Apol. p. 83 ed. Pric.“ Rupert.

MANARE peculiari modo usurp. Ann. 2, 23 *alvei* (navis) *manantes per latera* i. e. aquam emittentes per latera; similia sunt Liv. 1, 59 *manantem cruore cultrum;* 40, 39 *manantia sanguine spolia;* Plin. H. N. 13, 43 *incisa (ferula) lacte manat;* Ter. Eun. 1, 2, 25 *plenus rimarum sum, hac atque illac perfluo.* Repudianda est Ruperti sententia, Tacitum scripsisse *manante per s. super latera fluctu et superurgente*, nam *superurg. fluct.* non explicationi quasi inservit sed novam prorsus addit sententiam. Recte igitur Doederl. in Synon. II p. 2: „daß schon Wasser eingedrungen war, ist unmittelbar vorher erwähnt: daran erinnert nur Tacitus unter einem anderen Bilde, indem er dieses Wasser wieder aus- oder ablaufen läßt, wenn sich eine Seite des Schiffs aus den Wellen erhob; und während die Schiffe innen schon so voll Wasser waren, drohte noch die Woge von oben.“

MANCIPARE i. q. vendere (Plaut., Horat., Plin. min.) Ann. 1, 73 *Falanio objiciebat accusator — quod venditis hortis statuam Augusti simul mancipasset;* 2, 30 *mancipari sin-*

gulos actori publico; unde *mancipio accipere* 3, 67 ut ap. Cic. Liviumque *mancipio dare;* cf. Schütz. Lex. Cic. — translate, Cic. praeeunte, Hist. 2, 71 *luxu et saginae mancipatus emptusque.*

MANERE, praeter vulg. usum, absolute usurp. Hist. 1, 76 *ne Aquitania quidem, quamquam a Julio Cordo in verba Othonis adstricta, diu mansit* i. e. in fide permansit; cf. quae statim sequuntur: *longinquae provinciae penes Othonem manebant.* De rebus inanimis Cic. quoque ita usus est h. v. Off. 2, §. 29 *parietes urbis modo stant et manent;* Verr. 4, 55 *parietes, quorum ornatus tot saecula manserat;* unde *mansurus* ap. Tacitum maxime i. est quod *firmus, perpetuus;* vid. in particip. et cf. durare.

MANIFESTUS vid. genitiv.

MANIPULATIM Hist. 1, 82 *manipulatim adlocuti sunt — praefecti.* Ita Liv. quoque, tribus locis 8, 8, 3; 2, 53, 1; 23, 42, 10.

MANSITARE (Plin. maj.) Ann. 13, 44 *mansitasse una convincebatur;* 14, 42 *cum vetere ex more familiam omnem, quae sub eodem tecto mansitaverat, ad supplicium agi oporteret.*

MANUALIA SAXA Ann. 4, 51 item ap. Sisenn. ed. Cort. p. 61; χερμάδια sunt ap. Homerum.

MANUBIAE Ann. 2, 53 *sacratas ab Augusto manubias,* quae poetice designant Apollinis templum ab Augusto exstructum ad Actii prom. cf. Suet. Oct. 18. Reip. etiam temporibus tertia pars praedae a ducibus in similem usum adhiberi solebat.

MANUS paullo insolentiori usu, sed non sine exemplis priorum, idem est q. *potestas* (cf. sinus) Ann. 1, 31 *sua in manu sitam rem Romanam;* cp. 7 *in cujus manu tot legiones;* Hist. 2, 76 *juxta deos in tua manu positum est;* Ann. 4, 7 *datos in manum milites;* — cp. 11 *quorum in manus cura nostra* (liber n.) *venerit;* Dial. 36 *nescio an venerint in manus vestras haec vetera;* pro *ad manus venire,* i. e. pugnare, dicitur Ann. 2, 80 *ut venere in manus;* Hist. 4, 71 *ut ventum in manus;* cp. 76 *venturosque in manus;* sed eodem modo Liv. jam atque Sall. locuti sunt, Liv. 2, 46 *pugna jam in manus venerat;* Sall. Jug. 89, 2 *in manus venire,* ubi vid. Cort. — Insolentius quoque dictum est Ann. 1, 63 *manibus aequis abscessum,* ut Sall. Cat. 39 *aequa manu discedere,* ubi recte

Cort. „alibi dicunt aequo Marte; sed quod de discedentibus ex proelio non ita proprie dicitur, cum rectum sit *aequo Marte contendere, pugnare.*“ Cf. praeterea festinare et fatiscere.

MARCIDUS vox poetica, maxime arg. aet. scriptoribus freq. Ann. 6, 4 *somno aut libidinosis vigiliis marcidus.* Ita praeter poetas Liv. quoque, Vell., alii usurpant *marcere*; Tacitus Hist. 3, 36 *illum in nemore Aricino desidem et marcentem proditio — perculit;* Germ. 36 *Cherusci nimiam ac marcentem diu pacem inlacessiti nutrierunt.*

MARE praegn. constr. vide in Proleg. de stili Tacitei brevitate.

MATERIA (materies vid. in Heterocl.) transl. sign., ut ap. priores, sed nonnunquam minus usit. structura usurp. Ann. 4, 59 *praebuit ipsi materiem, cur amicitiae constantiaeque Sejani magis fideret;* 11, 5 *materiam praedandi patefecerat;* Hist. 1, 66 *quotiens pecuniae materia deesset, stupris et adulteriis exorabatur;* Ann. 1, 76 *non crediderim ad ostentandam saevitiam movendasque populi offensiones concessam filio materiem.* — Propria sign. differt a *ligno, lignis,* cum semper spectet ad id quod exstruitur, cujus nulla proprie ratio habetur ubi *lignum, ligna* usurpata inveniuntur; cf. Ann. 1, 35 *materiae, lignorum adgestus* (hi ad ignes in castris accendendos pertinent); simillimus locus est Plin. Epist. 10, 50.

MATHEMATICI vid. maleficium et interpp. ad Ann. 2, 32.

MATRIMONIUM i. q. uxor v. in abstract.

MATURARE vid. festinare.

MEARE vox poetica, sed Curtio quoque et maj. Plin. usurp. Ann. 3, 34 *divum Augustum in Orientem meavisse;* 4, 5 *cum — huc illuc mearent.* Cf. commeare, permeare, remeare, transmeare.

MEATUS 1) de avium volatu Ann 6, 28 *ubi par oneri, par meatui sit* (avis phoenix); Hist. 1, 62 *aquila leni meatu — praevolavit.* 2) i. q. plenius ap. priores *meatus animae* s. *meatus spiritus* Ann. 14, 51 *tumescentibus paullatim faucibus et impedito meatu spiritum finiebat.* 3) de tractu ostioque fluvii Germ. 1. *Danubius — in Ponticum mare sex meatibus erumpit.* Quae omnes vocis significationes apud poetas et arg. aet. scriptt. inveniuntur.

MEDICAMEN Ann. 12, 51 *obligant vulnus, agrestia medicamina adhibent* (Cic., Ovid.); cp. 67 *infusum delectabili*

cibo boletorum venenum, nec vim medicaminis (item Flor. 2, 20 de veneno) *statim intellectam; 4, 57 ulcerosa facies ac plerumque medicaminibus* (emplastris) *interstincta;* similiter de fucata facie Petron. Sat. 102. 126.

MEDIE vid. medius.

MEDITAMENTUM (Gell.) Ann. 15, 35 *eum nobiles habere, quos ab epistolis et libellis et rationibus adpellet, nomina summae curae et meditamenta;* Hist. 4, 26 *muniendo vallandoque et ceteris belli meditamentis militem firmabant.*

MEDIUS 1) propr. sign. de loco et tempore, ut vulgo, sed haud raro substantive et sine praepositione (Ovid. Met. 2, 137 *medio tutissimus ibis;* Liv. 27, 48 *et jam medium diei erat*) Ann. 11, 21 *vacuis per medium diei porticibus;* ita 14, 2 *medio diei;* 13, 28; 14, 53; Hist. 2, 53 *medio temporis* i. q. interea (sed adject. quoque e. g. Ann. 6, 23 *medio triennio*); — Ann. 1, 64 *medio montium et paludum porrigebatur planities;* 2, 52 *legio medio, leves cohortes duaeque alae in cornibus locantur;* 13, 38 *medio sextam legionem constituit:* Agric. 24 *Hibernia medio inter Britanniam atque Hispaniam sita;* Hist. 3, 16 *diductis in latera turmis vacuum medio relinquit iter.* 2) transl., ut saepissime priores, e. c. Liv. 2, 27 *medium se gerere;* 39, 29 *medium responsum;* sed ap. nostrum majorem etiam in modum simpliciter ponitur pro ambiguus Ann. 3, 15 *donec mediae Pisoni spes;* Hist. 3, 52 *ad Primum et Varum media scriptitabat;* 4, 8 *etiam mediis patrum adnitentibus* (i. e. qui inter patres ambigui erant); de locutione *in medium relinquere* vid. accus. Mediocritatem exprimit, ut ap. priores, Hist. 1, 49 *ipsi medium ingenium, magis extra vitia quam cum virtutibus;* sed hunc quoque locum ad ambiguitatis significationem referre praestat. — Ut vulgo dicitur *in medium consulere*, ita Hist. 2, 37 *in medium consultare;* insolentius cum abl. Hist. 3, 19 *haec in medio* (in medium proferunt, publice jaciunt), *pulchra dictu; illa sibi quisque* (privatim), *posse colon. cet.* — adverb. praeter Tacitum ap. serioris tantum aevi scriptt. legitur Hist. 1, 19 *patrum favor aderat: multi voluntate effusius; qui noluerant, medie; ac plurimi obvio obsequio.*

MELIUS, in melius, vid. in accusat.

MEMORARE idem fere est quod commemorare, tradere, sed nonnunquam ap. Tacitum plus valet estque praeteritae cujusdam rei fidem facere, ut Ann. 2, 58 *miserat amicitiam ac foedus memoraturos;* 4, 46 *antequam arma inciperent, mi-*

sere legatos amicitiam obsequiumque memoraturos. Ita Virgil., Plaut., alii poetae, sed quibusdam locis Cic. quoque, Liv., Sall. locuti sunt. Vid. Gron. ad Plaut. Pseud. 5, 1, 36 *venio — foedus commemoratum;* cf. Liv. 27, 4 *ad commemorandam renovandamque amicitiam missi.* Simili modo *memoria* praegn. fundit sensum Ann. 1, 32 *Cassius Chaerea, mox caede C. Caesaris memoriam apud posteros adeptus;* 2, 3 *ejus filius Artaxias, memoriâ patris nobis infensus* (i. e. cum memor esset injuriarum, quibus p. adfeceramus).

MENSURA transl. Ann. 14, 54 *sed uterque mensuram implevimus, et tu, quantum princeps tribuere amico posset, et ego, quantum amicus a principe accipere;* Hist. 1, 52 *nec consularis legati mensurâ, sed in majus omnia accipiebantur.* Cf. Cic. Orat. 20 *quidquid est quod sub aurium mensuram cadit, etiamsi abest a versu — numerus vocatur.* Saepius ita locuti sunt poetae.

MERCARI vid. emercari.

MERCIMONIUN i. q. merx, ut ap. Plaut. Amphitr. Prol. 1., Ann. 15, 38 *per tabernas, quibus id mercimonium inerat, quo flamma alitur.*

MERITUS i. e. qui stipendia meruit Ann. 11, 18 *Gannascus natione Canninefas, auxiliaris et diu meritus,* insolentius sane, cum ap. reliquos scriptores omnes fortasse (vide Drakenb. ad Liv. Epit. 5) *merere,* non *mereri* etiam, pro *stipendia merere* s. *mereri* usurpetur; sed participio opus erat Tacito brevitatis studioso; quidni eodem jure *mereri* in hunc modum dixerit, quo alii *merere?* Et proxime accedit haec lectio ad Mss. corruptam scripturam. Vid. Rup. ad h. l.

MERSARE Ann. 15, 69 *calidâ aquâ mersatur.* Utuntur h. v. Lucret., Hor., Virg., Catull.

METUENTIOR Ann. 13, 25 *Nero, metuentior in posterum, milites sibi — circumdedit.* Cic. exhibet *metuens legum,* (sic saepius poetae), Ovid. *metuentius numinis ingenium;* Tacitei similem vix quemquam inveneris locum.

METUS active Agric. 44 *nihil metus in vultu* (nichts Furcht Erregendes)*; gratia oris supererat.* Virdung. contulit Ovid. Met. 2, 857 *Nullae in fronte minae, nec formidabile lumen; Pacem vultus habet.* Cf. Doederl. Synon. II. p. 191 sq. — Ann. 1, 40 Im. Bekkerus recte cum Wolfio legit *eo in metu,* non *eo in motu;* argumenta afferre vix attinet, cum ex orationis nexu omnia pateant. — Idem est quod *bellum* (ut ap.

Vell. 2, 24. 28) Hist. 1, 86 *plura alia rudibus saeculis etiam in pace observata, quae nunc tantum in metu audiuntur;* et sic passim. Cf. dativ. et plural.

MILES praegn. sign. nonnunquam *Romanum militem* indicat, Ann. 2, 21 *nec minor Germanis animus —; contra miles cet.;* 14, 37 *et miles ne mulierum quidem neci temperabat.* Cf. singularis.

MILITARIS saepius quam ap. alios *belli peritiam virtutemque* designat, ut ap. Horat. *militaris Daunia* pro *bellicosa.* Ann. 15, 10 *a viris militaribus adversus urgentes casus firmatus erat;* cp. 26 *multa auctoritate, quae viro militari pro facundia erat;* Hist. 2, 75 *versabatur ante oculos Germanici exercitus robur, notum viro militari;* 3, 73 *pauci militarium virorum — pugnam ausi obtruncantur.* Cf. Liv. 30, 15; 35, 26 *militaris vir;* 42, 33 *militares homines;* Sall. Cat. 45 *homines militares;* cp. 59 *homo militaris;* Sen. prov. 4 ubi minus valet *militares viri* (Kriegsleute) *gloriantur vulneribus.* Hinc apud Tacitum *militares* idem est quod *milites* (cf. equester) Ann. 14, 33 *barbari, omissis castellis praesidiisque militarium, quod uberrimum spolianti — petebant.* Adjective ita utitur h. v. Horat. Od. 1, 8, 5 *Cur neque militaris* (militari habitu) *Inter aequales equitat cet.*

MILITARITER (ut saepius Liv.) Hist. 2, 80 *militariter locutus.*

MILITIA pro milites vid. in abstract.

MINISTRARE, praeter vulg. usum, poetice Germ. 44 *nec velis ministrant* (sc. naves). Vide quae monuit Hess. ad h. l. Recte fortasse praetulit *ministrantur;* sed cum saepe admiserit Tacitus Hyperbaton, non sequitur eum etiam h. l. id usurpasse.

MISCERE maxime Tacito freq., et in universum quidem priorum usui congruenter, sed poetice nonnunquam: Ann. 1, 16 *miscere coetus;* 15, 68; Hist. 2, 7 *consilia* (ut saepissime Cic., Liv., alii de rebus novis et seditionibus); — Agric 36 *Batavi miscere ictus — coepere* (Liv. 28, 30 *anceps proelium miscetur inter triremes*); — Ann. 1, 21 *desertores ac rerum capitalium damnatos sibi jam miscent;* (Liv. 4, 5 *si coalescere, si jungi miscerique vobis privatis necessitudinibus possunt*); 4, 44 *donec Antonii partibus, mox Caesaris misceretur;* 16, 34 *pericula sua miscere cum sorte damnati;* 15, 28 *uterque dextras miscuere;* 1, 54 *civile rebatur misceri voluptatibus vulgi;* Hist. 1, 9 *longis spatiis discreti exercitus — nec viribus miscebantur;*

tur; Ann. 11, 24 *Galli-jam moribus, artibus, adfinitatibus nostris mixti;* — Ann. 6, 51 *inter bona malaque mixtus* (Liv. 29, 20 *haec quamquam partim vera, partim mixta, eoque similia veris jactabantur, vicit tamen Q. Metelli sententia*); Hist. 1, 10 *luxuria, industria, comitate, adrogantia, malis bonisque artibus mixtus*; An. 1, 7 *lacrimas, gaudium, questus, adulationes miscebant;* Hist. 3, 74 *minas adulationesque miscet.* Enallage est in loco Agric. 4 *Massiliam, locum Graeca comitate et provinciali parsimonia mixtum ac bene compositum* (i. e. locum in quo mixta sunt cet); cf. cp. 25 *mixti copiis et laetitia,* die verschiedenen Truppengattungen mischten sich durcheinander in gemeinsamer Freude; Hist. 4, 29 *restincto igne misceri cuncta tenebris et armis jubet.* Vide ablat., qui haud raro ap. nostrum cum eodem casu diversam rationem exprimente componitur.

MISSIO *gratiosa* (Liv. 43, 14) *ante emerita stipendia,* „praeter causariam et ignominiosam, et honestam confectis stipendiis, est, quae per ambitionem et gratiam impetrata est." Turneb. 16. Advers. 21. „De missionibus vide Lips. de Milit. Rom. 5. 19; de gratiosa missione ibidem et Salmas. ad Jus Attic. et Rom. cap. 21, 423." Dukerus. — Praeter hanc missionem Augustus instituit exauctorationem: Ann. 1, 36 *missionem dari vicena stipendia meritis; exauctorari qui sena dena fecissent, ac retineri sub vexillo, ceterorum immunes, nisi propulsandi hostis;* inde cp. 17 *apud vexillum retentos;* cp. 26 *ne veterani sub vexillo haberentur;* cf. Suet. Tib. 48 *atque etiam missiones veteranorum rarissimas fecit, ex senio mortem, ex morte compendium captans;* nam post justam missionem praemia accipere solebant veterani (Suet. Oct. 24). Differt autem exauctoratio a miss. ignominiosa; cf. Hist. 3, 57 *centurio per ignominiam a Galba dimissus* (2, 67 *addito honestae missionis lenimento*); Ann. 1, 44 *ubi avaritiam aut crudelitatem consensu objectavissent, solvebatur militiá* opp. τῷ *retinere ordines.*

MITESCERE transl. Hist. 2, 18 *si seditio mitesceret;* cp. 67 *ut pace et otio mitesceret legio.* Cf. Liv. 5, 17 *mitescere discordiae intestinae metu communi, ut fit, coeptae,* et sic saepius Liv. cum poetis.

MOBILIS transl. Ann. 1, 28 *ut sunt mobiles ad superstitionem perculsae semel mentes;* Hist. 1, 24 *mobilissimum quemque ingenio — adliciendo;* Agric. 13 *C. Caesar — velox ingenio, mobilis poenitentia;* Ann. 6, 36 *posse Parthos, absentium*

aequos, praesentibus mobiles (facile deficientes a praes.), *ad poenitentiam mutari;* Ann. 4, 17 *mobiles adolescentium animos;* Hist. 1, 7 *mobilitas ingenii;* 5, 8 *mobilitas vulgi.* Cf. Liv. 29, 3 *gens ad omnem auram spei mobilis atque infida;* 43, 22 *mobilia ingenia* (39, 40 versatile *ingenium* de variis ingenii facultatibus; ap. Sen. tranq. 11 versabilis i. e. q. mutabilis: *omnem conditionem versabilem esse;* cf. Cic. fam. 2, 7 flexibiles *hominum voluntates;* Liv. Epit. 69 *homo varii et* mutabilis *ingenii*). Sall. Jug. 91 *genus hominum mobile, infidum;* 104 *res fluxae et mobiles;* 113 *regiae voluntates — mobiles;* 46 *ingenio mobili Numidae;* 88 *mobilitas ingenii;* Caes. B. G. 2, 1 *mobilitas et levitas animi;* 4, 5 *Galli — in consiliis capiendis mobiles;* Nep. Timoth. 3 *populus suspicax, mobilis.* Alia quaedam exempla etiam Ciceronis vide ap. Forcell.

MODERATIO explicatione eget in loco vexatissimo Agric. 6 *ludos et inania honoris moderationis atque abundantiae duxit, uti longe a luxuria, ita famae propior;* ita enim recte, ni omnia fallunt, cum Oberl. et aliis I. Bekkerus legit, repudiatis *modo rationis* et *medio rationis,* quae qui adsumserunt mirum in modum contorquent hujus loci sententiam, cujus hanc facillimam interpretationem esse crediderim: Quae praecedunt, maxime quae expressa sunt verbis *gnarus sub Nerone temporum, quibus inertia pro sapientia fuit,* satis demonstrant, Agricolam his quidem temporibus non magnopere adpetiisse honores. Noluit igitur, praesertim cum *longe esset a luxuria,* per *ludos,* in quos tum plerique maximam impendebant pecuniam, qui praeturam adfectabant, plebis gratiam captare, sed in iis edendis *moderationem* adhibendam esse censuit; atque ipsa *honoris inania* sprevit et *abundantiae duxit,* i. e. supervacua esse putavit, *famae* i. e. verae solidaeque gloriae jam *propior,* quam, ut ipse Tacitus auguratur, hoc loco praecipiens quae postero statim anno evenerunt, in Britania sibi peperit. Ita omnia optime cohaerent et singula sibi respondent, neque etiam vim intulimus verbis. Nusquam sane inveneris *ludos ducere* pro *ludis praeesse,* quae Walchii est interpretatio, nusquam prorsus *inania honoris ducere,* qnae quid sibi velint plane omisit Walchius (num iisdem praefuit Agricola?); nemo etiam dixit *ludos medio rationis et abundandantiae — duxit* pro *arbitratus est scil. habendos esse,* ut Hertelius interpretatus est verba ista, ipse duriorem ellipsin vocans; optime vero, quidquid contra moneat Walchius, di-

citur *ducere* i. e. habere, credere *aliquid moderationis et abundantiae.* Cf. Liv. 40, 56, 1 *Potentior quidem erat, quam ut fugam necessariam duceret;* 25, 7, 4 *Faceret quod e republica fideque sua duceret* (magnum exemplorum numerum e Livio congessit Drakenb. ad Liv. 9, 22, 3; 27, 10, 2; 3, 48, 4.); Sall. Jug. 103 *quae aut utilia aut benevolentiae credebant, oratione extollant* (*benevol.* genitivus est; vide ibi Cort.); Tacit. Ann. 3, 20 *illam obsidionem flagitii ratus* i. e. flagitiosam; Germ. 6 *Cedere loco, dummodo rursus instes, consilii quam formidinis arbitrantur.* — *Abundantia* vero non solum de opibus abunde suppetentibus, sed etiam de iis usurpatur quae nimia et supervacua sunt. Cf. Sen. ira 1, 16, 23, ubi de tumore corporis *nec corporibus,* ait, *copiâ vitiosi humoris intensis morbus incrementum est, sed pestilens abundantia.* Nihil facit contra hanc nostram explicationem quod non ejusdem sunt generis genitivi *moderationis* et *abundantiae* juncti τῷ *ducere;* nam hunc dicendi modum saepius secutus est Tacitus. Vide quae dicta sunt in ablat. et in prolegom. ubi de stili Tacitei varietate agitur. Cf. etiam Liv. 25, 7, 4.

MODESTIA vox quibusdam Taciti locis prave intellecta Ann. 4, 7 minime *deam* designat e Lipsii interpretatione a Forcell. quoque recepta; sed *precandam post haec modestiam ut contentus esset* nihil aliud est quam *precandam illi a diis modestiam,* ut recte cum Gronovio Rupert. interpretatur. — Ann. 1, 11 *Versae inde ad Tiberium preces: et ille varie disserebat, de magnitudine imperii, sua modestia; solam divi Augusti mentem tantae molis capacem.* Hic nullo prorsus modo *modestia* est *mediocritas,* ut cum Mureto, Ernest., Wolfio, aliis, hujus loci auctoritate nisi Forcellinus, Gesn., Schellerus statuerunt; *sed vulgarem* retinet significationem (cf. 1, 12 *nequaquam decorum* pudori *suo;* 2, 36 *grave* moderationi suae), non minus quam Ann. 3, 56 *simul modestiae Neronis* (*Tiberii*) *et suae magnitudini fidebat;* 12, 43 *magnaque deum benignitate et modestia hiemis rebus extremis subventum;* nam valde errant, qui his locis illam mediocritatis significationem probari posse credunt. Nunquam sane Augustus Tiberii ingenium sprevit; *modestia* autem *hiemis* i. e. hiemis clementia, qua locutione Columella cum aliis utitur, opponitur *saevitiae hiemis,* ut Plin. 6, 23 ubi de flumine loquitur, cujus non rapidus est cursus, *modestiam aquarum* commemorat; nec unquam propterea quod nos dicimus ein bescheidener Winter, quisquam contenderit, in voce Bescheiden-

heit latere etiam mediocritatis notionem. Quodsi Muretus Varr. Lectt. 11, 4 ait: „modestum quoque pro modico aliquoties dixit" Ann. 4, 7, quem potissimum spectavit locum, *modesta servitia* non sunt pauci servi, sed nondum, ut postea, inmodesti nimisque adrogantes, insolentes, potentes, ut recte expl. Freinshem. conl. 4, 74; 6, 8; Sen. Ep. 74; Lampr. Comm. 19 et Spartian. Hadr. 21; (ac similiter Ann. 2, 52 *modestia vitae* est accipienda; cf. Doederl. Synon. 2. p. 205 et Hess. ad Germ. 36, g.). Vide Quintil. 1, 2, 4 *nec tutior inter servos malos quam ingenuos parum modestos conversatio est*, ibique Spalding.

MODICUS praeeuntibus Cicerone, Livio, aliis, saepissime ap. Tacitum non solum ad mores, (ut Ann. 2, 73 *modicus voluptatum*) sed ad alias quoque res pertinet, Ann. 1, 19 *modicum otium*; 12, 20 *modica laus*; cp. 28 *modica pars famae*; cp. 44 *modicum Iberiae regnum*; Hist. 5, 9 *defunctis regibus aut ad modicum redactis*; Ann. 4, 47 *sanguine barbarorum modico*; 14, 8 *modicum lumen*; 3, 51 *modicae injuriae*; 15, 36 *cujus ne modicos quidem egressus tolerarent*; 3, 44 *modica esse et vulgatis leviora*; 2, 33 *nimium aliquid aut modicum*; Hist. 2, 11 *modicis intervallis sequebantur*. Ita Liv. maxime exhibet *modicus labor*, *modica manus*, *m. praesidium*, *m. certamen* (23, 44), *spatium modici temporis* (33, 41), *fossa modica* (44, 6). Etiam ad genus et dignitatem spectat, ut Ann. 1, 73 *modici equites*; 11, 7 *modici senatores*; 6, 39 *modicus originis*; 4, 52 *modicus dignationis*. Similiter adverb. usurpatur: Ann. 4, 32 *modice lacessita pax*; 2, 74 *ceteris modice nisis* (haud perinde, nicht sonderlich); 4, 40 *suis in eum beneficiis modice percursis* (non intenta laude); cf. Suet. Oct. 73 *ne toro quidem cubuisse ajunt nisi humili et modice instrato*. Non plane ejusdem generis sunt Livii exempla, cum in iis animi etiam quaedam moderatio exprimatur: 41, 4 *modice vinosi*; 23, 36 *haud modice id Hannibal cupiebat*; 28, 15 *si modice se reciperent* i. e. modico gradu.

MOESTUS, (qui quomodo differat a *tristi* bene exposuit Doederl. in Synon. 3. p. 234 sq.), e vulgari loq. genere pertinet ad homines, ut Hist. 1, 82 *Rarus per vias populus; moesta plebs; dejecti in terram militum vultus, ac plus tristitiae quam poenitentiae*; atque ita quoque peculiari modo usurpavit Tacitus, translate scilicet de oratore, de quo *tristitiae* quoque vox in eundem modum dicitur (v. tristis), Dial. 24

oratores — moesti (in quorum oratione laetos nullos deprehendas locos) *et inculti.* Poetice plerumque Tacitus ad res etiam trahit h. vocem, ut Ann. 1, 61 *incedunt moestos locos visuque ac memoria deformes;* 4, 69 *moesta-difficilius reticentur;* 6, 7 *quae ipsis nimia et moesta fuerant;* cp. 49 *aliaque in eundem dolorem moesta et miseranda diu ferebat* (proferebat); Hist. 2, 46 *moesta primum fama, dein profugi e proelio perditas res patefaciunt.*

MOLES 1) ut vulgo, de munimentis, operibus, aedificiis magnis Ann. 14, 8 *Hi molium objectus, hi proximas scaphas scandere conantur;* Hist. 2, 21 *quod nulla in Italia moles tam capax foret* (de amphitheatro); sed peculiari prorsus modo cum *exstructionem* tum *demolitionem* designat, quam utramque significationem ap. priores etiam quibusdam locis molitionis vox habet (Liv. 33, 5 *facilis molitio eorum valli erat*) Ann. 1, 75 *mole publicae viae ductuque aquarum labefactas aedis suas;* Hist. 4, 28 *machinas molemque* (demolitionem) *operum Batavis delegat.* Cf. Curt. 4, 3; vide m o l i r i et s t r u e r e. Similiter a Livio et al. pro apparatu belli ponitur. Cf. Drakenb. ad Liv. 8, 13, 6. 2) saepius quam ap. ceteros scriptores transl. sign. exprimit cum difficultatem quae molestias facessit, tum vim quamcunque et magnum onus, unde molestia et periculum enascitur. Ann. 1, 45 *sic compositis praesentibus haud minor moles supererat;* 2, 78 *haud magna mole — in sententiam trahitur;* 13, 35. *Corbuloni plus molis adversus ignaviam militum; —* 14, 65 *orta insidiarum in Neronem magna moles, sed inprospera;* Hist. 3, 46 *ne externa moles utrimque ingrueret;* Ann. 1, 11 *Augusti mentem tantae molis capacem;* 12, 66 *in tanta mole curarum;* 15, 52 *omissis excubiis et fortunae suae mole* (molestis comitibus); 4, 18 *quanto majore mole procideret Silius;* Hist. 1, 61 *tota mole belli secuturus* (cum omnibus copiis); Ann. 15, 2 *vires intimas molemque belli ciet;* Hist. 2, 6 *tarda mole civilis belli;* cp. 16 *tanta mole belli;* Ann. 2, 46 *non alias majore mole concursum* (cf. Liv. 8, 13, 6 *majore mole pugnare,* ibique Drakenb.); 6, 36 *Artabanus tota mole regni ultum iit.*

MOLIRI maxime Tacito frequentatur 1) i. q. e x s t r u e r e (cf. no. 4) Hist. 2, 40 *dispersos et vallum molientes adgredetur.* 2) i. q. a m o l i r i Ann. 11, 20 *humum infra moliri* (cf. 1, 50 *obstantia silvarum amoliri;* 2, 42 *amoliri juvenem specie honoris statuit);* ita Liv. 25, 36 *moliri onera objecta,* ubi vide Drakenb.; 40, 29 *dum altius moliuntur terram.*

3) i. q. effringere, labefactare, destruere (ita transl. quoque Liv. 6, 11, 8 *fidem moliri)* Ann. 1, 39 *moliuntur fores; 2, 82 moliuntur templorum fores;* Hist. 2, 22 *legionarius — molitur portas;* cf. Curt. 6, 8, 20 *moliri aditum domus;* 7, 5, 33 *fundamenta murorum ab imo moliuntur;* 8, 10, 30 *alii extra urbem tecta moliebantur.* Liv. 23, 18 *moliri portas;* 24, 46 *strepitus molientium portas;* 25, 36 *fores moliri;* 27, 28 *moliri portam,* ubi solam molestiam, non animum quoque hostilem exprimit, unde idem fere est quod vellicando et cum magno labore solvere; 28, 17 *moliri ancoras;* cp. 36 *ancoras, ne in moliendo mora esset, praecidunt;* cp. 7 *molientibus ab terra naves Philippus supervenit;* 36, 24 *corpora ex somno moliebantur,* perquam scita aptaque metaphora. 4) i. q. agitare, struere, maxime dolo et malis artibus Ann. 6, 32 *consiliis et astu res externas moliri;* 12, 22 *moliri crimina et accusatorem;* cp. 3 *struere majora nuptiasque Domitii — et Octaviae — moliri;* cp. 42 *nondum tamen summa moliri Agrippina audebat;* Hist. 1, 5 *imperium sibi molientis;* cp. 73 *famem populo Romano haud obscure molita;* 3, 5 *ne inter discordias externa molirentur.* Ita Liv. 2, 6, 1 *bellum aperte moliendum ratus,* ubi vid. Drakenb. 5) absolute usurp. pro tendere, contendere et cum labore quidem Hist. 2, 35 *erat insula amne medio, in quam gladiatores navibus molientes, Germani nando praelabebantur;* cf. Liv. 27, 11 *quaedam (naves) a Nicandro, dum moliuntur a terra, captae;* 28, 44 *audietis hinc molientem Hannibalem;* Cic. Verr. 5, 34 *Evolarat jam e conspectu fere fugiens quadriremis, cum etiam tunc ceterae naves suo in loco moliebantur.* Similiter *moliri iter* Virg. dixit Aen. 6, 477.

MOLLIRE transl. (raro etiam ap. Cic., Liv., al.) Ann. 6, 41 *Caesarem — secreto loci mollitum;* cp. 38 *quae ceteros mollire solent, tempus, preces cet.;* 11, 25 *ignominiam mollire;* 3, 8 *mandatis per quae principem molliret.*

MOLLIS (MOLLITER) transl. i. q. remissus, lenis, mitis Ann. 1, 40 *satis superque missione et pecunia et mollibus consultis peccatum;* 13, 34 *mollia initia belli;* 12, 46 *propalam incerta et saepius molliora respondens;* 14, 39 *in mollius referre;* Hist. 2, 96 *amici adulantes mollius interpretabantur.* Ann. 2, 30; Hist. 1, 12 *mollius accipere;* cp. 74 *paria Vitellius ostentabat, primo mollius — mox quasi rixantes — flagitia invicem objectavere;* Ann. 1, 54 *populum per tot annos molli-*

ter habitum; 2, 65 molliter rescriptum. Apud priores saepius, quam ap. nostrum *mollis* transl. signif. in malam partem accipitur; vide Drakenb. ad Liv. 3, 59, 5; 34, 47, 5; non semper tamen, certe non simpliciter, e. g. Curt. 6, 3, 6 *dum mitioribus ingeniis imbuantur, et efferatos mollior consuetudo permulceat.* Adverbium non minus Livio quam Tacito frequentatur hac sign. Cf. 30, 3 *mollius abnuere; 5, 5 molliter bellum gerere; 39, 37 molliter agendo dignitatem suam tenere Romanos non posse; 3, 59, 5 multique erant, qui mollius consultum dicerent; 30, 7 ne quid per metum ex recenti clade mollius consuleretur;* — Sal. Jug. 82 *nimis molliter aegritudinem pati;* auct. epist. ad Caes. de ord. rep. 1, 1 *bellum aliorum pace mollius gessisti.*

MOMENTUM Hist. 2, 86 *momento temporis;* ita Liv. 2, 28; idem cum Horat. exhibet *horae momento.* — Ann. 5, 4 *brevibus momentis summa verti posse;* similiter Cic. Phil. 5, 10 *minimis momentis;* — Agric. 43 *momenta deficientis* (die verschiedenen Stadien der Agonie) *per dispositos cursores nuntiata constabat.* — Insolentius ad ipsos homines refertur *momentum esse* pro *momenti esse, momentum habere* Hist. 1, 59 *octo Batavorum cohortes — prout inclinassent, grande momentum sociae aut adversae;* Germ. 25 *Libertini — raro aliquod momentum in domo.* Sed Liv. quoque ita loquitur 3, 12 *juvenem egregium — maximum momentum rerum cet.* Cf. Hess. ad Germ. 25.

MONERE vid. genit. — Idem fere est quod castigare, punire ap. solum, ut videtur, Tacitum Ann. 5, 9 *posse se puerili verbere moneri.* Saepissime idem exprimitur ap. alios quoque *admonendi* verbo. Vide Hess. ad Germ. 37, o, et quae de subst. *monitus* attulit in adnot. ad Germ. 10, 5.

MONSTRARE antiqua et poetica vox, maxime omnium Tacito freq., ap. Cic. rarissima et plerumque in Ennii poetae locis obvia, i. e. quod tradere, demonstrare, denotare ut suspectum, deferre, sed etiam designare tamquam insignem vel alicui rei destinatum, et ita rei futurae spem facere Hist. 2, 50 *pueritia ac juventa qualem monstravimus;* 4, 1 *nec deerat egentissimus quisque — prodere ultro dites dominos: alii ab amicis monstrabantur;* cp. 41 *tamquam Neroni Scribonios fratres — ad exitium monstravisset;* 1, 88 *nullum ob crimen, sed vetusto nomine et propinquitate Galbae monstratus;* Germ. 8 *monstrata cominus captivitate,* ibique Hess.; — Germ. 31 *hostibus simul suisque monstrati* i. e. conspicui (cf. Plin. Pan.

88 *ut olim frugalitate Pisones — pietate Metelli monstrabantur)* Ann. 12, 63 *ea ambage Chalcedonii monstrabantur;* Agric. 13 *monstratus fatis Vespasianus;* Hist. 3, 27 *incesserat cunctatio, ni duces fesso militi — Cremonam monstrassent.*

MONSTRATOR Germ. 21 *monstrator hospitii et comes.* Utuntur h. v. Virg., Ovid., Lucan.

MORS cf. in proleg. de varietate stili Tacitei et s. v. abstract.

MORIS EST vid. genit.

MOTUS, A, UM de rebus novis et turbidis, ut subst. *motus* Ann. 1, 32; Hist. 1, 89, saepius Tacito quam prioribus usurp. Ann. 15, 59 *magnam motae rei famam (fore);* 1, 57 *rebus motis;* 14, 61 *ducem tantum defuisse, qui motis rebus facile reperiretur;* 2, 1 *mota regna;* cp. 43 *motus oriens;* 3, 32 *motam rursum Africam incursu Tacfarinatis;* 4, 27 *mota per Italiam servilis belli semina;* cf. Liv. 1, 17 *cum sensissent ea moveri* (parari) *patres;* 2, 58 *Si citius agi vellet agmen, tardius sedulo incedere; si adhortator operis adesset, omnes sua sponte motam* (coeptam) *remittere industriam;* 34, 54 *nihil motum* (immutatum) *ex antiquo probabile est;* 21, 11 *omiserunt mota arma;* 33, 44 *quod Hispania movisset sc. se.*

MOX ap. Tacit. ejusque aequales, raro ap. priores (Liv. Epit. 59 *primo rem male gessit, mox cet.*) idem fere est quod *deinde*, ut Ann. 12, 29 *prima imperii aetate clarus acceptusque popularibus, mox diuturnitate in superbiam mutans;* et non secus ac *nuper* etiam de remotiori tempore dicitur, ut Ann. 11, 22 *mox duplicatus numerus* (quaestorum). Praeterea ad rerum seriem enumerandam usurpatur, ut Ann. 11, 22 *primum — dein — mox — post;* 12, 36 *mox — postremo;* Germ. 13 *mox — deinde — postea;* cf. deinde. Plin. 13, 2 ita gradum quoque designat: *hoc optimum Sidone, mox Aegypto.* De omissa h. particula vide in prol. de ellipsi.

MULCARE Ann. 1, 32 *prostratos verberibus mulcant*, non *mulctant* s. *multant;* cf. Ter. Adelph. 1, 2, 9 *ipsum dominum atque omnem familiam mulcavit usque ad mortem;* inde *mulcare* idem fere est quod *laedere Ann.* 1, 70 *pernoctavere sine utensilibus, sine igni, magna pars nudo aut mulcato corpore;* Liv. 28, 30 *ceterasque* (triremes) *mulcasset, ni — in Africam transmisisset. Multare* de poena dicitur, et ita quidem *verberibus multare* Ann. 1, 32 sensum funderet idoneum, sed non huic loco. Vide Drakenb. ad Liv. 8, 24, 15; 28, 30, 12; 40, 7, 4; Hess. ad Germ. 12, k.

MULIEBRIS vide in adject.
MUNIA vide in defectivis.
MUNICIPALIS v. in adject.

MUTARE i. q. mutari Ann. 2, 23 *postquam mutabat aestus;* 12, 29 *prima imperii aetate clarus acceptusque popularibus, mox diuturnitate in superbiam mutans.* Sic saepissime Livius 2, 52, 8 *adeo mutaverant animi* (vide ibi Drakenb.); 3, 10 *ut nihil odor mutaret;* 5, 13 *annona ex ante convecta copia nihil mutavit;* 9, 12 *post Caudinam pacem animi mutaverant;* 39, 51 *mores quidem populi Romani quantum mutaverint vel hic dies argumento erit;* 29, 3 *tantum fortunam mutasse* (ita Vell. 2, 82); Sall. Jug. 104 *res — mutant;* Plin. H. N. 9, 68 *urticae noctu vagantur noctuque mutant.* Similia e Lucretio, Varrone, Gellio contulit Forcell. Eadem ratio est τοῦ *variare* Liv. 27, 27 *fama variat.* Cf. vertere, movere, novare, ducere, expedire et alia quae composita invenies in verbo.

NAM, NAMQUE promiscue usurpantur a Tacito, ut a ceteris, nisi quod major et plerumque connectendae orationi inserviens vis est in namque particula, saepius quidem vocabulis praemissa quae cum vocali incipiunt, sed haud raro etiam ante conson. posita, ut Hist. 3, 15 *namque Fabium;* cp. 65 *namque Flavius* (plura vide in collocatione verbb.). Eadem ratio est priorum. Et Cicero quidem ante vocalem et h litteram usurpavit *namque* Att. 10, 8; Consol. ed. Bip. p. 342; N. D. 2, 32; Somn. Scip. 7, 9; Rep. 2, 40; divin. 1, 34; 2, 20; legg. 2, 15; de or. 1, 16. 18; 2, 13. 28. 81; 3, 19. 23. 32. 48; Or. 54; fragm. ex Arat. ed. Bip. T. II. p. 518. 519. 520. 523; pro Flacc. 27; Fam. 10, 15; (Planc.) 12, 16 (Trebon.); Tusc. 2, 10. 16; 5, 10. 13; de or. 2, 51; 3, 44; Verr. 4, 27; Rabir. 4; fin. 5, 5; amic. 5. — Ante conson. Tusc. 3, 19. 27; divin. 1, 30; de or. 1, 22; 3, 2; Phil. 13, 20; Att. 9, 13 (Balb.) de fin. 2, 32; fr. ex Arat. ed. Bip. T. II. p. 517. 522. Nepos persaepe utitur h. voce ante vocalem, sed ante conson. Milt. 1; Them. 6; Epam. 4; Ages. 2; Ham. 2; Att. 18; Livius usque ad octavi libri finem ante vocal. his locis: 2, 16. 36; 3, 4. 44; 4, 13. 31; 5, 13; 6, 8; 7, 28. 29. 32. 33; saepius ante cons. 1, 16; 2, 11. 31; 4, 9 (bis); cp. 56; 5, 11. 12. 22. 47 (bis); 6, 4. 9. 31; 7, 24. 26. 29; 8, 16. 24. 27. 30. 36; Sallustius ante vocal. Cat. 10. 15. 23. 26. 38. 42. 48; Jug. 45. 92; Hist. 3. p. 962. 966. 974. 975; Hist. 6. p. 1000. 1008; ante cons. Cat. 36. Jug. 41. 85; Hist. 2. p. 959; 3. p. 965; 4. p. 982. 998; Curtius ante

vocal. duodetriginta locis; ante conson. 3, 10; 4, 47. 62; 5, 13; 6, 12. 16. 20. 21. 34; 7, 8. 27. 36; 8, 11. 49; 9, 18. 21. 40. 41; 10, 3. 4. 13 ed. Zumpt. Caesar rarius usus est h. v. et ante vocal. tantum et h litteram (unde orta esse videtur praejudicata multorum opinio, minus Latine ante conson. h. particulam usurpari) B. C. 2, 31; 3, 84. 86. 99; B. G. 1, 38; 3, 13; 4, 34; 6, 11; 7, 59. Eandem rationem sequitur auctor libri octavi excepto cp. 28 *namque nostri;* Hirt. b. Alex. excepto cp. 26 *namque tota;* auct. belli Afr. saepius ante conson. usurpasse videtur: cp. 35. 47. 61. 80. 85; raro contra Quintilianus: 6, 2, 12; 9, 2, 29 et 3, 9, 9 ubi tamen Spald. legit *nam nec;* persaepe consonanti praemiserunt Plin. major, Virgil aliique poetae.

De usu *nam* particulae ap. Tacitum haec fere notanda sunt 1) nonnunquam vis ejus intenditur et affirmationem involvit, ut Graeci γάρ pro δή usurpant Ann. 2, 63 *Maroboduus scripsit Tiberio, non ut profugus aut supplex, sed ex memoria prioris fortunae; nam multis nationibus clarissimum quondam regem ad se vocantibus, Romanam amicitiam praetulisse;* Agric. 46 *quidquid ex Agricola amavimus, — manet mansurumque est. — nam multos veterum velut inglorios et ignobiles oblivio obruet: Agricola posteritati narratus et traditus superstes erit.* 2) transitioni inservit sicut *igitur*, sed interdum propius accedit ad *quippe* particulam Ann. 16, 18 *De C. Petronio pauca supra repetenda sunt. nam illi dies per somnum, nox officiis et oblectamentis vitae transigebatur;* Cf. 15, 29 *cetera temperanter adjungit; iturum quippe Romam cet.* Vide Drakenb. ad Liv. 5, 51, 6; 28, 8, 9. 3) incipit ea quae objiciuntur adversarii sententiae (nun!) Ann. 14, 44 *at quidam insontes peribunt. nam et ex fuso exercitu, cum decimus quisque fusti feritur, etiam strenui sortiuntur;* cf. Terent. Adelph. 2, 1, 36 *tamen tibi a me nullast orta injuria.* Aesch. *nam hercle etiam hoc restat.*

NARRATOR Ann. 16, 2 *a narratoribus oratoribusque praecipua materia in laudem principis adsumta est.* Hoc omisso Forcell. duos affert locos Ciceronis Orat. 2, 54 *Natura fingit homines et creat imitatores et narratores facetos;* cp. 12 *Paullulum se erexit et addidit historiae majorem sonum — Antipater, ceteri non exornatores rerum, sed tantummodo narratores fuerunt.*

NATIO vid. gens.

NAVARE vid. in prolegom. de stili Tacitei brevitate (constr. praegn.)

NAVIGABILIS (Liv.) Ann. 13, 53 *litora navigab.*; 15, 42 *fossa navigabilis.*

NAVICULARIUS ναύκληρος Ann. 12, 55 *vim in mercatores et navicularios audebant,* quo praetermisso loco e solo Cicerone attulit exempla Forcell.

NE = ut non vid. in conjunctivo no. 5.

NEC, NEQUE (*neque* pro *et ne* vide in conjunctivo no. 5) haud raro recedunt a vulgari consuetudine, sed non sine priorum quoque exemplis. 1) pro *ne-quidem* ponitur, ut ap. Cic. interdum, saepius ap. arg. aet. scriptt. Ann. 3, 17 *patris quidem jussa nec potuisse filium detrectare.* 2) *nec-quidem* pro *et ne-quidem* Dial. 29 *nec praeceptores quidem* (cf. Plin. Epist. 6, 27 *sed non omnibus eadem placent, nec conveniunt quidem*); Germ. 7 *Ceterum neque animadvertere, neque vincire, nec verberare quidem nisi sacerdotibus permissum,* ubi Cl. Passovius „Insigni, ait, infortunio usa est haec verborum structura *nec-quidem,* quam utpote barbaram ubique exstirparunt viri praestantissimi, in his Drakenb. ad Liv. 1, 10, Ernest. ad Ann. 4, 35, Hist. 2, 76, Schwarz ad Tursell. de part. p. 444, Facciol. ad Cic. Off. 3, 4. Civitate redonarunt Jo. Henr. Voss. ad Virg. Georg. 1, 390, Goerenz ad Cic. Acad. 2, 82, Heinrich ad Cic. orat pro Tull. p. 80." Cf. quae his addidit Hess. ad eundem locum. Vide etiam Osann. ad Dial. 18, ubi tamen rectius *ne* legitur, nam alia hujus loci ratio est. 3) *nec* pro *et non* Ann. 4, 11 *veris neque in miraculum conruptis,* ut priores quoque; 4) *nec* pro *sed non* Germ. 45 *succinum — in ipso litore legunt, nec quae natura quaeve ratio gignat, ut barbaris, quaesitum compertumve.* Vide quos Passov. laudat ad h. l. 5) *nec* pro *non* s. *neque tamen* (cf. et) Ann. 3, 24 *fuit posthac in urbe, neque honores adeptus est;* 4, 45 *sequentis frustratus est, neque diu fefellit;* cp. 54 *parari exitium, neque id imperatorem palam audere;* cp. 57 *sociam adspernabatur, neque depellere poterat;* 6, 37 *initia conatus secunda, neque diuturna;* cp. 50 *medicus — velut propria ad negotia digrediens et per speciem officii manum complexus pulsum venarum adtigit. neque fefellit;* Hist. 4, 71 *nec deterruere ea munimenta Romanum ducem;* Agric. 8 *extra invidiam, nec extra gloriam erat.* Ita priores quoque locuti sunt; vide Bremium ad Nep. Ages. 1. Cort. ad Sall. Cat. 24, 3 coll. Plin. Epist. 3, 1 *sunt in usu et*

Corinthia, quibus delectatur nec afficitur. 6) pro *neque-neque* (Ann. 13, 15 et saepius) ponitur a) *non-non* Ann. 1, 1 *non Cinnae, non Sullae longa dominatio;* 12, 31 *ne-infida pax non duci, non militi requiem permitteret;* cp. 32 *Silurum gens non atrocitate, non clementia mutabatur;* 6) *non-neque* Ann. 1, 4 *non aetate neque rerum experientia;* Hist. 4, 42 *non causam neque reum tueri;* Germ. 22 *gens non astuta nec callida;* Hist. 4, 70 *non Treveri neque Lingones ceteraeve rebellium civitates cet.* c) *neque — et haud* Ann. 3, 35 *sed neque eadem adseveratione, et consensu adulantium haud jutus est;* d) *non* vel *neque — aut* Ann. 3, 53 *quia non aedilis aut praetoris aut consulis partes sustineo;* cp. 54 *offensiones neque mihi aut vobis usui futuras;* 13, 39 *hostem vagum neque paci aut proelio paratum;* 15, 13 *neque eandem vim Samnitibus — aut Hispanis;* Germ. 7 *nec regibus infinita aut libera potestas.* Cf. Handii Tursellin. Vol. I. p. 544. 7) Etiam prioribus usitatissima est locutio *neque — et* Hist. 4, 73 *neque ego unquam facundiam exercui, et populi Romani virtutem armis adfirmavi;* cp. 74 *vitia erunt donec homines; sed neque haec continua, et meliorum interventu pensantur;* Germ 2 *quia nec terra olim sed classibus advehebantur — et immensus — Oceanus raris ab orbe nostro navibus aditur. Ita Graeci dicunt οὔτε-τε, μήτε-τε.* Cf. Passov. ad Germ. p. 86. — Sed argenteae tantum aetatis esse contendit Handius l. l. p. 511 *neque- ac,* quale est Agric. 10 *Naturam Oceani atque aestus neque quaerere hujus operis est, ac multi rettulere.*

NECESSITAS, NECESSITUDO non recedunt quidem ap. Tacitum a priorum usu, sed, saepius et permutantur (antiquo dicendi genere; cf. Drakenb. ad Liv. 2, 43, 3; 8, 33; Cort. ad Sall. Cat. 17, 5 coll. cp. 21; Clav. Cic. Schütz.) et peculiaribus usurpantur significationibus (plurali numero saepissime praeter Tacitum usus est Livius; vide Drakenb. ad 4, 57, 4; 28, 22, 2) 1) necessitudo propria sign. Ann. 12, 3. 9. 46 et passim, pro necessitas legitur Ann. 12, 30 *necessitudinem pugnae adtulere;* 3, 40 *quibus — maxima peccandi nenessitudo;* cp. 64 *necessitudo festinati reditus;* 4, 20 *secundum necessitudinem legis;* de adversa fortuna Ann. 1, 9 *necessitudo reipublicae* (cp. 10 *tempora reip.*). 2) necessitas plerumque sign. praegn. ea exprimit ad quae necessitate cogente aliquis adigitur, atque ita angustias, mortem, sumtus, negotia et similia designat Ann. 11, 4 *necessitas senatoria* i. e. quae cum senator esset necessitate coactus dicere debebat; 2, 67 *gnarum necessitatis*

in urbem traxere; 11, 37 *supremis ejus necessitatibus ad miserationem evicta erat;* 13, 1 *aspera custodia et necessitate extrema ad mortem adigitur;* 15, 61 *qui necessitatem ultimam* (necem) *denuntiaret* (ita *ultima, extrema necessitas* a Livio et Sall. usurpatur, ab illo de summis angustiis, quibus ad legem agrariam accipendam adigebantur patres, ab hoc de summo periculo; vide Drak. ad Liv. 2, 43, 3); Hist. 1, 3 *suprema clarorum virorum necessitas;* cp. 72 *accepto supremae necessitatis nuntio.* — Ann. 1, 11 *opes publicae continebantur* (Libello Augusti) — *quot tributa aut vectigalia et necessitates ac largitiones* i. e. sumptus necessarii opp. largitionibus (ita Cic. *vitae necessitates* vocat quae ad vitam sustentandam necessaria sunt; Plin. min. pluribus locis *necessitates* dicit negotia necessaria, e. g. Epist. 8, 21 *ut necessitates voluptatibus — anteferrem;* Sen. de ira 3, 16 *necessitates* nuncupat mala quae necessitate cogente subeas: *unum est levamentum malorum ingentium pati et necessitatibus suis obsequi);* similis ratio est loci Ann. 2, 27 *hortatur ad luxum et aes alienum, socius libidinum et necessitatum, quo pluribus indiciis inligaret,* ubi *libidines* respondent *luxui, necessitates* vero *aeri alieno.* Ambo igitur ut sumptus facere possent aes alienum contraxerant, nomina dederant, atque ita alter alterius necessitatibus i. e. aeris alieni nexu illigatus est; cf. etiam Suet. Tib. 47 *negavit se aliis subventurum* (pecuniâ), *nisi senatui justas necessitatum causas probassent;* Plin. Ep. 7. 16 *Tironem — privatis mihi et publicis necessitudinibus implicitum;* Liv. 21, 43 *nescio an majora vincula majoresque necessitates vobis quam captivis vestris circumdederit;* 27, 12 *et audacia et audendi omnia necessitatibus pares;* Caes. B. G. 7, 89 *id se bellum suscepisse non suarum necessitatum, sed communis libertatis causa.*

NEDUM vide in conjunctivo no. 5.

NEMO UNUS Ann. 14, 45 *nemo unus contra ire ausus est;* Hist. 1, 82 *neminem unum destinare irae poterant.* Ita permultis locis Livius locutus est, nec minus rara est ap. eum locutio *quisquam unus.* Vide Drakenb. ad 3, 12, 4, et praeter locos ab eo laudatos 3, 55 *nondum in quemquam unum saeviebatur;* cf. Cic. Brut. 93 *quivis unus ex populo;* pro Sull. 8 *homini nemini servias;* Fam. 13, 24 *hominem esse neminem, qui unquam — mentionem fecerit;* N. D. 1, 28 *ut homo nemo velit nisi hominis similis esse;* 2, 38 *ut per biduum nemo hominem homo agnosceret;* 3, 10 *id putare quemquam homi-*

nem — summae arrogantiae censet esse; Liv. 6, 20 *apud neminem auctorem invenio.* —

NEQUE vide nec.

NEQUEO vide queo.

NIHIL intendit vim *non* particulae, et saepius quidem audaciusque interdum quam ap. priores Ann. 1, 37 *nihil cunctatus;* 3, 1 *nihil intermissa navigatione;* cp. 48 *nihil — pertinuit;* 4, 13 *nihil intermissa rerum cura;* 6, 29 *nihil hunc amicitia Sejani, sed labefecit Macronis odium;* cp. 14 *prodigentiâ opum ac mollitiâ vitae amicus Sejano; nihil ad serium;* 11, 1 *nihil ultra scrutatus;* 12, 60 *nihil adtinet referre;* Agric. 29 *nihil fracti.* — Pro *nemo* ponitur, ut ap. comicos maxime poetas Hist. 1, 79 *nihil tam ignavum.*

NIMIRUM, VIDELICET, SCILICET, quae est Tacitei stili varietas, non minus quam enim, enimvero, etenim, nam, namque, quippe, frequentantur nostro, et plerumque quidem, ut *nam* (quod vide suo loco) *quippe, enim* (cf. Liv. 34, 7), cum vi quadam, maxime ironiam exprimente; nimirum (ne mirum sit, δή, doch wohl) Ann. 2, 82 *erumpebant questus: ideo nimirum in extremas terras relegatum (Germanicum), ideo Pisoni permissam provinciam;* 6, 2 *crediderat nimirum* (κατ' ἀντίφρασιν, pro *mirum dictu,* nemo sane crediderit, tantam ejus fuisse credulitatem) *epistolae subsidio sibi alterum ex consulibus poscentis, ut tutus a Capreis urbem peteret;* Hist. 1, 33 *non exspectandum ut compositis castris forum invadat et prospectante Galba Capitolium adeat, dum egregius imperator cum fortibus amicis janua ac limine tenus domum cludit, obsidionem nimirum toleraturus;* videlicet (videre licet) *Ann.* 3, 66 *Objectant Silano violatum Augusti numen, spretam Tiberii majestatem, Mamercus antiqua exempla jaciens, L. Cottam a Scipione Africano, Ser. Galbam a Catone Censorio, P. Rutilium a M. Scauro accusatos. videlicet* (i. e. nunquam) *Scipio et Cato talia ulciscebantur cet.;* sed saepius non indicat ironiam, quae vis plerumque est in scilicet particula (scire licet) Ann. 1, 8 *nunc senem principem longâ potentiâ, provisis etiam heredum in remp. opibus, auxilio scilicet militari tuendum, ut sepultura ejus quieta foret;* 6, 23 *consultus Caesar, an sepeliri sineret, non erubuit permittere, ultroque incusare casus, qui reum abstulissent antequam coram convinceretur. scilicet medio triennio defuerat tempus subeundi judicium consulari seni;* Agric. 2 *neque in ipsos modo auctores, sed in libros quoque eorum saevitum — ut — ure-*

rentur. scilicet illo igne vocem populi Romani et libertatem senatus et conscientiam generis humani aboleri arbitrabantur. Non ironiam, sed alium scriptoris affectum exprimit Ann. 2, 30 *quia vetere senatus consulto quaestio in caput domini prohibebatur, callidus et novi juris repertor Tiberius mancipari singulos actori publico jubet, scilicet* (der Schlaue!) *ut in Libonem ex servis salvo senatus consulto quaeretur;* 3, 65 *memoriae proditur Tiberium, quotiens curia egrederetur, Graecis verbis in hunc modum eloqui solitum, o homines ad servitium paratos; scilicet* (so weit war es gekommen!) *etiam illum, qui libertatem publicam nollet, tam projectae servientium patientiae taedebat;* Agric. 4 *memoria teneo solitum ipsum narrare, se in prima juventa studium philosophiae acrius — hausisse, ni — coercuisset. scilicet* (natürlich!) *sublime et erectum ingenium pulchritudinem ac speciem excelsae magnaeque gloriae vehementius quam caute adpetebat.*

NIMIUS a Tacito saepius quam ab aliis de hominibus usurpatur, modum, maxime potentiae, excedentibus Hist. 3, 52 *nimius jam Antonius* (Ann. 2, 34 *Urgulaniae potentia adeo nimia civitati erat, ut cet.*); Agric. 7 *legio — legatis quoque consularibus nimia ac formidolosa erat;* (cf. Vellej. 2, 32 *Pompejum nimium jam liberae reipublicae;* Liv. 6, 11 *nimius animi;* 3, 26 *plebs Quinctium et imperii nimium, et virum in ipso imperio vehementiorem rata;* Sall. Hist. 4 (locus a Drakenb. ad Liv. 6, 11, 3 laudatus) *inpotens et nimius animi est.* — Hist. 4, 23 *praeferoces initio et rebus secundis nimii;* cp. 80 *nimius commemorandis quae meruisset;* 1, 35 *nimii verbis, linguae feroces,* 3, 75 *sermonis nimius erat;* Drakenb. ad Liv. 2, 2, 2 laudat Cic. ad Brut. Ep. 15 *Unum reprehendebas, quod in honoribus decernendis essem nimius, et tanquam prodigus;* Quinctil. 10. Instit. Orat. 1. p. 919. ed. Burm. *Hic concitatior, sed in cura verborum nimius, et compositione nonnunquam longior, et translationibus parum modicus* et 12, 10. p. 1088. *Quem tamen et suorum homines temporum incessere audebant ut tumidiorem et Asianum et redundantem et in repetitionibus nimium;* cf. etiam Sall. Jug. 84 *tum vero multus atque ferox instare,* ibique Cort.

NISI vid. si.

NOBILITAS rariore sign., qua denotat superbiam, pervicaciam, ap. Tacit. tamen magis virtutum conscientiam arrogantia quadam permixtam Ann. 1, 29 *Drusus — quamquam rudis dicendi, nobilitate ingenita, incusat priora, probat prae-*

sentia, negat se terrore et minis vinci (cf. cp. 4 *vetere atque insita Claudiae familiae superbia*); Hist 1, 30 *nihil arrogabo mihi nobilitatis aut modestiae. neque enim relatu virtutum in comparatione Othonis opus est.* Cf. Liv. 38, 54 *nobilitatem et regnum in senatu Scipionum accusabant;* Plaut. Mil. 4, 8, 14. *Et quia tecum eram, propterea animo eram ferocior: eam nobilitatem amittendam video.* — Ita *nobilis* quoque in malam partem usurpatur a nostro, Cicerone cum aliis praeeunte, ut sit *famosus, δύσφημος* Hist. 3, 39 *addidit facinori* (interfecti Blaesi) *fidem nobili gaudio, Blaesum visendo. quin et audita est saevissima Vitellii vox, qua se — pavisse oculos spectata inimici morte jactavit.* Cf. Cic. Cael. 13 *res est nobis cum Clodia muliere non solum nobile sed etiam nota,* coll. Pet. cons. 3 *qui nequaquam sunt tam genere insignes, quam vitiis nobiles;* magis recedit a generis nobilitate Liv. 39, 9 *scortum nobile libertina Hispala Fecenia;* Plaut. Rud. 3, 2, 5 *qui se scelere nolunt fieri nobiles;* Ovid. Amor. 2, 18, 37. *Et Paris est illic, et adultera nobile crimen, Et comes exstincto Laodamia viro.* Cf. de nobilitatis voce abstracta.

NOMEN ut vulgo Ann. 13, 25 *quidam sub nomine Neronis eadem exercebant* (cf. vox); inde idem fere est quod *species, praetextus,* et exprimit rem inanem Ann. 15, 6 *usurpatas nomine tenus urbium expugnationes;* 13, 9 *ut aemulationis suspectos per nomen obsidum amoveret* (cf. exempla Cic. et Livii in Clav. Schütz. et ind. Drakenb.); Hist. 4, 15 *nomen magis exercitus quam robur;* cp. 75 *Muciani ac Domitiani vana et sine viribus nomina* 1, 30 *Si respublica et senatus et populus vana nomina sunt;* Ann. 4, 67 *Tiberius duodecim villarum nominibus et molibus insederat* (nihil nisi nomina erant molesque villae istae ab incolis suis desertae; similis verbb. junctura est, sed propria v. *nominis* sign. Germ. 38 *propriis adhuc nationibus nominibusque discreti*); Hist. 2, 57 *festinatis per Gallias delectibus, ut remanentium legionum nomina supplerentur* (quae sola nomina fuerant cf. Curt. 4, 12, 9 *nomina verius quam auxilia*). — Idem est quod *causa* Hist. 1, 29 *non quia meo nomine paveam;* Germ. 8 *quam* (*captivitatem*) *longe impatientius feminarum suarum nomine timent,* ubi Kapp. contulit Sall. Cat. 35, 3. Horat. Od. 3, 21, 5; cf. etiam Vell. 1, 5 *Quo nomine* (qua de causa) *non est mirandum cet.* — De aere alieno usurp., ut ap. Cic. Liv., alios Ann. 13, 23 *tabulae exustae sunt, quibus oblitterata aerarii nomina retrahebat.*

NOMINATIM Hist. 1, 43 *nominatim in caedem ejus ardentes*, Ann. 3, 59 *nominatim arguens insolentiam sententiae.* Ita Cic. saepius et Nepos.

NOMINATIO etiam ap. priores rara vox Ann. 6, 45 *additusque nominatione consulum P. Petronius.*

NON haud raro cum vi quadam primum occupat locum; vid. colloc. verbb. *non modo — sed*, omisso *etiam*, ut ap. Graecos *οὐ μόνον ἀλλά* Ann. 1, 77 *non modo e plebe, sed militibus;* Hist. 2, 19 *non arma modo, sed obsequium;* Germ. 10 *non solum apud plebem, sed apud proceres;* cp. 15 *non modo a singulis, sed publice.* (cf. ap. Livium *non modo — sed* 1, 40. 49; 2, 52 bis; 3, 61; 6, 14. 17; 9, 37; 28, 26. 43; 29, 26. 28; 37, 25; 38, 51; *non solum — sed* 21, 59; 28, 19. 42; 32, 29; 37, 53; *non tantum — sed* 28, 19; 39, 37; 41, 5. 14; ap. Cic. *non modo — sed* sive *verum* invent. 1, 15; *de or.* 1, 60; in Q. Caecil. 9; Verr. 2, 19; Manil. 18; pro C. Cornel. fr. ed. Bip. p. 468; Sall. Cat. 18); etiam omisso *sed* Ann. 3, 19 *non modo apud illos homines, — etiam secutis temporibus;* 4, 35 *quorum non modo libertas, etiam libido impunita* (exempla priorum non desunt); *non solum — quoque* Hist. 2, 27 *nec solum apud Caecinam — Fabii quoque Valentis cet.* (cf. Drakenb. ad Liv. 22, 25, 7; 36, 35, 13). Durior ellipsis est *non — sed* (cf. Drakenb. ad Liv. 10, 6, 4; 28, 26, 7; 38, 22, 9) et simpliciter *sed* positum pro *non solum — sed etiam* Germ. 41 *Hermundurorum civitas, fida Romanis: eoque solis Germanorum non in ripa commercium, sed penitus atque in splendidissima Rhaetiae provinciae colonia;* Ann. 15, 58 *ubi dicendam ad causam introissent* (non modo) *laetatum erga conjuratos, sed* (etiam) *fortuitus sermo et subiti occursus — pro crimine accipi.* Vide etiam Cort. ad Sall. Jug. 10, 4; 21, 2; 33, 4; Catil. 18, 7; et quos laudavit Hess. ad Germ. 15.

NOSCERE Agric. 5 *noscere provinciam, nosci exercitui;* Germ. 30 *audire praepositos, nosse ordines;* saepius fortasse quam ap. priores idem est quod cognoscere Ann. 1, 73 *ut quibus initiis — gravissimum exitium inrepserit — noscatur;* 6, 9 *Scauri causam, ut ipse cum senatu nosceret, distulit;* 12, 24 *quod pomoerium Romulus posuerit noscere haud absurdum reor;* et agnoscere Hist. 1, 90 *in rebus urbanis Galerii Trachali ingenio Othonem uti credebatur. et erant qui genus ipsum orandi noscerent.* Inde *notio* ponitur pro cognitio Ann. 3, 59 *dilata notione de jure flaminis;* 6, 12 *tunc*

quoque notioni quindecimvirum is liber subjicitur. Sic Cic. uno fortasse loco et jurisconsulti.

NOSCITARE (Plaut., Liv. al.) Hist. 2, 12 *primo impetu caesi disjectique montani, ut quibus temere conlectis, non castra, non ducem noscitantibus, neque in victoria decus esset neque in fuga flagitium.*

NOTABILIS i. q. insignis, insignitus, bemerkenswerth, auf eine auffallende Weise hervortretend, raro ap. priores, neque etiam ap. aequales tam saepe quam ap. T. invenitur. Hist. 1, 44 *praemia exposcere ob aliquam notabilem operam;* cp. 55 *quibusdam, ut in tumultu, notabilius turbantibus;* 2, 53 *notabile jurgium;* 3, 25 *eo notabilior caedes fuit, quia filius patrem interfecit;* 4, 62 *deformitas haud perinde notabilis;* Germ. 40 *nec quidquam notabile in singulis;* Agric. 40 *notabilis celebritate et frequentia occurrentium introitus;* Dial. 8 *notabilior paupertas et angustia;* cp. 10 *persona notabilis et cum auctoritate dictura;* cp. 40 *magna ista et notabilis eloquentia;* cf. Cic. Fam. 5, 12 post med. *viri excellentis ancipites variique casus — si exitu notabili concluduntur, expletur animus jucundissima lectionis voluptate;* Ovid. Met. 1, 169.

NOTESCERE pro innotescere Ann. 12, 8 *ne malis tantum facinoribus notesceret;* 1, 73. *Quae ubi Tiberio notuere.* Ita Propert. et Lucan. locuti sunt.

NOTIO vide s. v. noscere.

NOVARE pro renovare, ut quibusdam locis Ovid. et de agro iterato Cic., sed illa sign. etiam Liv. 26, 19, 2 *ut ardorem eum, qui resederat, excitaret rursus novaretque,* ubi vide Drak. coll. 4, 33, 7. Tacit. Hist. 2, 51 *novata seditio;* — Hist. 4, 14 *Civilis novare res hoc modo coepit.* Ita Liv., Cic., al. saepius, sed insolentius usurp. absolute Ann. 4, 18 *si legionibus cupido novandi fuisset,* ut Liv. 42, 31 *in tribunis militum novatum eo anno propter Macedonicum bellum.* Cf. mutare.

NOVERCALIS vide in adject.

NOVISSIMUS 1) i. q. extremus, ultimus, propria sign., ut saepe Livius et tribus locis Cic. (vide Drakenb. ad Liv. 10, 29, 5) Ann. 1, 28 *novissimi in culpam;* 2, 24 *ut credatur novissimum (mare) ac sine terris;* Agric. 10 *oram novissimi maris — classis circumvecta;* cf. Sen. Suas. 1 *Finitam cuique rei magnitudinem natura dederat; dedit et modum; nihil infinitum est nisi Oceanus. — post omnia Oceanus, post Oceanum nihil.* 2) translate, ut ultimus, extremus, supremus, de ultima severitate, extremo periculo et ipso exitio, omnino de

eo, quod summum est in aliqua re, ap. solum, ut videtur, Tacitum legitur Ann. 12, 20 *meritum quidem novissima exempla Mithridaten*; 15, 44 *adversus sontes et novissima exempla meritos*; — 6, 50 *a summa spe novissima exspectabat*; 5, 7 *cum superesse tempus novissimis* (supplicio) *crederent*; 12, 33 *novissimum casum experitur*; 11, 3 *tantum illi securitatis novissimae fuit* (cum instaret jam supplicium); Agric. 45 *novissima in luce* (mortis) *desideravere aliquid oculi tui*; Hist. 3, 66 *novissimum spiritum effundere*; Ann. 16, 11 *ne vitam proxime libertatem actam novissimo servitio foedaret* (quasi in mortis adspectu). Conjunctam quasi utramque signif. exhibent loci qui sequuntur Hist. 1, 47 *exacto per scelera die novissimum malorum fuit laetitia* (das letzte und schrecklichste); Ann. 11, 26 *infamiae apud prodigos novissima voluptas est*; Hist. 3, 41 *ruentis fortunae novissima libido*. Cf. supremus.

NOXIA idem fere valet quod noxa (cf. Doederl. Synon. 2. p. 153.), culpa. Ann. 6, 4 *noxiam conscientiae pro foedere haberi*. Ita Liv., Cic., Ter., Plaut., al., sed raro in universum locuti sunt; cf. Drakenb. ad Liv. 2, 54, 10; 8, 28, 8; 10, 19, 2, et praeter locos a Forcell. allatos Caes. B. G. 6, 16; Vell. 1, 12.

NULLUM pro *nulla res* Ann. 3, 15 *nullo magis exterritus est quam cet.* Ita Liv. 2, 59 *nemo ullius nisi fugae memor*, et praeter Horat., argenteae aet. scriptt. Cf. etiam Drakenb. ad Liv. 22, 53, 8 *nullo* (sc. loco) *verius, quam ubi ea cogitentur, hostium castra esse.*

NUMERUS 1) idem fere est quod *pars*, ut. ap. Cic. *perfectum omnibus suis numeris et partibus* et similia saepius leguntur: Dial. 1 — *iisdem nunc numeris, iisdem rationibus persequar, servato ordine disputationis.* 2) ut ap. priores haud raro designat justum ac legitimum numerum, ita ap. Tacitum et aequales peculiari magis significatione exprimit cohortem, vexilla, omnino ordinem militarem, ergo legiones quoque interdum, ut *signa* haud raro pro vexillis et aquilis ponuntur. Ann. 2, 80 *auxilia Cilicum — in numerum legionis composuerat* (ita ut legionis saltem numerus legitimus expleretur; cf. Vell. 2, 73 *servitia fugitivosque in numerum exercitus sui* i. e. in ordines *recipiens, magnum modum legionum effecerat.*); Agric. 18 *sparsi per provinciam numeri*; Hist. 1, 6 *multi ad hoc numeri e Germania ac Britannia et Illyrico*; cp. 87 *reliquos caesorum ad pontem Mulvium et saevitia Galbae in custodiam habitos in numeros legionis composuerat.* Ita Suet. Vesp. 6 dicit *et tunc quidem compressa res est, re-*

vocatis ad officium numeris, parumper; Plin. Epist. 10, 38 de tironibus *nondum distributi in numeros erant.* Vide Lips. ad Hist. 1, 6; Wach. ad Agric. p. 239; cf. Liv. 32, 2 *legatis querentibus ad numerum* (legitimum) *sibi colonos non esse;* ita Caelius ap. Cic. Fam. 8, 8; ipse Cic. Verr. 5, 56. 3) cum contemtu dicitur (cf. nomen) Ann. 14, 27 *repente in unum collecti, numerus magis quam colonia;* Hist. 4, 15 *nomen magis exercitus quam robur: quippe segnem numerum armis oneraverat;* cf. Hor. Epist. 1, 2, 27 *nos numerus sumus et fruges consumere nati;* Sen. de Clem. 5. *alios libens videat, alios in numerum relinquat;* Aristoph. Nub. 1206 ὄντες λίθοι, ἀριθμός, πρόβατ' ἄλλως.

NUNC rariore sign., qualis etiam ap. Ciceronem et alios nonnunquam obtinet, exprimit nostrum so aber, so aber vollends Ann. 16, 16 *Etiam si bella externa tanta casuum similitudine memorarem, meque ipsum satias cepisset, aliorumque taedium exspectarem. — at nunc patientia servilis tantumque sanguinis domi perditum fatigant animum.*

NUNTIARE pro renuntiare sign. militari qua exprimit nostrum e Gallico corruptum rapportiren Ann. 1, 6 *nuncianti centurioni* (Suet. Tib. 22 *renuncianti tribuno factum esse quod imperasset — respondit.*) Vide de *renunciandi* voce Drakenb. ad Liv. Epit. 47; sed quod illo etiam loco Taciti *renuncianti* legendum suadet, non probo; amat enim noster simplicia ponere pro compositis. Vide in Proleg.

OB praeter vulg. usum 1) ut Liv. quoque usurpat *ob hoc, ob haec, ob id, ob ea* pro propterea Ann. 2, 66 *Flaccum — ob id maxime Moesiae praefecit;* 3, 75 *Labeo incorrupta libertate et ob id famâ celebratior;* 13, 5 *in palatium ob id vocabantur;* 2, 30 *ob quae posterum diem reus petivit.* 2) aliarum praepositionum sign. adsumit Ann. 1, 68 *raro super milite et quasi ob metum* (prae metu) *defixo*, 2, 83 *Germanicum — mortem ob rempublicam* (pro rep.) *obiisse;* 6, 5 *cum quibus ob rem pecuniariam* (de re p.) *disceptabat.*

OBDERE i. q. opponere Ann. 13, 5 *obditis a tergo foribus.* Ita poetae et arg. aet. scriptt. loquuntur.

OBFUNDERE vox Ciceroni, Livio et Tacito frequens, sed ap. alios quoque obvia Ann. 1, 68 *hosti sonus tubarum, fulgor armorum obfunduntur;* 11, 20 *quamquam multa simul* (ei) *offunderentur, metus ex imperatore, contemptio ex barbaris;* Hist. 2, 3 *sanguinem arae obfundere;* cp. 80 *obfusam oculis caliginem disjecit,* cf. Drakenb. ad Liv. 33, 7, 8; insolentiori

constr. Ann. 11, 31 *pavore obfusum Claudium,* quasi dicatur *offundere aliquem aliqua re,* ut ap. Val. Max. 2, 7, 6 *oculi clarissima in luce tenebris offusi;* et Cic. etiam ita nonnunquam locutus est. Vide Forcell.

OBJECTARE 1) i. q. exponere, permittere, periculo scilicet (Sall., Virg.) Ann. 2, 5 *ut ea specie Germanicum — dolo simul et casibus objectaret.* 2) i. q. exprobare (Cic., Sall., alii) Ann. 4, 52 *veneficia in principem et devotiones objectabat;* Hist. 1, 60 *spoliatas et inopes legiones Caelius Trebellio objectabat;* 2, 30 *probra Othoni objectantes,* et passim.

OBJECTUS, US vide in proleg. de stilo Taciti, ubi de subst. hujus generis agitur.

OBLIQUARE (Virg., alii poetae et arg. aet. scriptt.) Germ. 38 *obliquare crinem,* ubi consule Hess. de h. v. signif.

OBLISUS Ann. 5, 9 *oblisis faucibus;* ita Plin. min.; oblidere etiam ap. Ciceronem legitur.

OBLITTERARE proprie litteris aliquid superinducere et ita oblivioni tradere, vox rara ap. Cic., magis frequens Livio, poetis et arg. aet. scriptt., maxime Tacito Ann. 11, 14 *Claudius tres litteras adjecit, quae usui imperitante eo, post oblitteratae;* 13, 23 *oblitterata aerarii nomina* (gelöschte Schuldposten) *retrahebat;* 11, 15 *ne ritus sacrorum oblitterarentur;* 1, 51 *tempus oblitterandae seditionis;* 2, 83 *quaedam — vetustas oblitteravit;* 3, 34 *si conjugia — in modum discidii oblitterentur;* 6, 4 *aemulationem melius oblitterari;* ep. 32 *bona juventae senectute flagitiosa oblitteravit;* 15, 73 *composita aut oblitterata mansuetudine principis;* Hist, 1, 55 *senatus populique Romani oblitterata jam nomina;* Hist. 2, 66 *quod damnum — majoribus — cladibus oblitteratum;* Dial. 8 *libentius enim novis et recentibus, quam remotis et oblitteratis exemplis utor;* cp. 22 *ut jam oblitterata et olentia.* Quae omnia neglexerunt Gesn. et Forcell. Adde praeterea locis ab iis allatis Cic. in Vatin. 6 *quod in illo viro et tum ferendum esset, et maximis rebus, quas postea gessit, oblitterandum;* Liv. 27, 8; 29, 15 *obl. rem;* 33, 36 *adversam prospera pugna oblitterare;* 41, 24 *simultates obl.;* 43, 2 *praeterita silentio oblitterare.*

OBLIVIUM Hist. 4, 9 *eam sententiam modestissimus quisque silentio, deinde oblivio transmisit.* Ita haud raro poetae, sed plurali numero; singulari solus Tac. usus esse videtur. Cf. obsidium, consortium.

OBSIDIUM 1) i. q. obsidio (Hist. 1, 68 et passim) vix apud quemquam saepius legitur quam ap. Tacitum Ann. 3, 39

ad exsolvendum obsidium; 13, 41 *an — Artaxata pergeret, obsidioque circumdaret*; ita praeterea Ann. 4, 51; 15, 14; Hist. 2, 23; 3, 69; 4, 24. 28. 58. Vox est antiqua ap. Varronem, Plautum, Sall. Hist. 4 p. 985 et Aurel. Vict. obvia. 2) i. q. obses ap. solum Tacitum Ann. 11, 10 *Meherdaten — obsidio nobis datum*, ut dicitur *servitium* pro *servus*; *praesidium* pro *praeses*. Fortasse aliis quoque Taciti locis restituenda est haec lectio, libris scriptis faventibus, Germ. 20; Ann. 15, 1; Hess. ad illum l. et Rupert. ad Ann. 11, 10, 5.

OBSTINARE (OBSTINATUS, A, UM; OBSTINATIO) absolute Hist. 2, 84 *Vespasiano — ad obtinendas iniquitates haud perinde obstinante*, ut semel ap. Livium 23, 29 *obstinaverant animis vincere aut mori*; cf. Plaut. Aul. 2, 2, 89 *ea affinitatem hanc obstinavit gratiā*. Pacuv. fr. ap. Festum exhibet *obstinari exorsus*. Reliqui scriptores *obstinatus* tantum usurpant, et cum Livio saepissime Tacitus, in bonam et malam partem, Ann. 3, 15 *Tiberium sine miseratione, sine ira, obstinatum clausumque vidit*; 15, 21 *quaedam — virtutes odio sunt, severitas obstinata, invictus adversum gratiam animus*; Hist. 5, 5 *apud ipsos* (Judaeos) *obstinata fides — sed adversus omnes alios hostile odium.* — Hist. 3, 39 *Blaeso, super claritatem natalium et elegantiam morum fidei obstinatio fuit.* Hac voce Cic. quoque et alii utuntur nonnunquam.

OBSTREPERE Hist. 1, 85 *tumultu verborum sibi ipsi obstrepentes*; cp. 75 *seditiosis vocibus obstrepere* (Ann. 1, 25 *vocibus truculentis strepere*) cf. Cic. de or. 3, 13 *ut quodammodo ipsi sibi dicendo obstrepere videantur*; Fam. 5, 4, *tibi litteris obstrepere non audeo*, aliorumque locos, quos attulit Forcell., quibus addas Liv. 21, 56 *nihil sensere, obstrepente pluvia*; cf. obturbare. Ita *strepere* quoque, *circumstrepere*, *adstrepere* saepius ap. Tacitum leguntur; strepere, praeeunte Livio cum al. quibusdam, de loco, ubi strepitus editur Ann. 2, 23 *placidum aequor mille navium remis strepere*; 6, 17 *dein strepere praetoris tribunal*; Hist. 2, 62 *strepentibus ab utroque mari itineribus*; cp. 84 *igitur navium, militum, armorum paratu strepere provinciae*; circumstrepere Ann. 11, 31 *certatim ceteri circumstrepunt, iret in castra cet.*; 3, 36 *Haud dissimilia alii, et quidam atrociora circumstrepebant*; Hist. 2, 44 *clamore seditiosorum et fugacium circumstrepitur.* Utitur h. v. Sen. de v. beata 11 *tot humanam vitam circumstrepentibus minis.* Eodem modo adstrepere (opp. *obstrepere*) argenteae aetatis vox est Ann. 1, 18 *adstrepebat vulgus*, i. e. strepitu,

murmure et plausu vocem Percennii excipiebat; 11, 17 *adstrepebat huic alacre vulgus;* Hist. 2, 90 — *clamore et vocibus adstrepebat;* transitive Ann. 2, 12 *quae pauci incipiant, reliquos adstrepere;* Hist. 4, 49 *ut eadem adstreperent.*

OBSTRINGERE 1) congruit cum priorum usu Ann. 13, 18 *si largitionibus validissimum quemque obstrinxisset;* 2, 26 *Maroboduum pace obstrictum;* 11, 2 *in omni flagitio obstrictos;* 15, 53 *alii matrimonio se obstrinxisse;* 12, 34 *gentili quisque religione obstringi;* Hist. 1, 54 *obstringuntur inter se tacito foedere legiones.* 2) more argent. aetatis idem est quod a f f i r m a r e, aut absolute positum, aut cum accusat. constr. Ann. 1, 14 *jure jurando obstrinxit, se non excessurum;* 4, 31 *ut et jurejurando obstringeret, e rep. id esse;* 13, 11 *clementiam suam obstringens crebris orationibus.*

OBTEGERE 1) i. q. occultare, celare (Cic.) Ann. 4, 19 *scelera obtegere;* 13, 33 *cetera flagitia obtegebat;* 4, 1 *sui obtegens.* 2) i. q. protegere (Caes.) Ann. 16, 5 *Vespasianum aegre meliorum precibus obtectum.*

OBTENDERE 1) sign. propr., qualis obtinet ap. aequales Taciti et Virg., Agric 10 *Britannia — in Occidentem Hispaniae obtenditur* 2) i. q. tegere, velare Hist. 3, 56 *concionanti — tantum foedarum volucrum supervolitavit, ut nube atra diem obtenderent.* Ita poetae locuti sunt et uno loco Cic. ad Q. fratr. 1, 5 *multis simulationum involucris tegitur, et quasi velis quibusdam obtenditur uniuscujusque natura; frons, oculi, vultus persaepe mentiuntur.* Cf. Jo. Fr. Gronov. ad Liv. 1, 57, 8 *Quo cum primis se intendentibus tenebris pervenissent.* 3) i. q. praetendere i. e. obtentui sumere, qua sign. Plin. minor et Lucan. usurp. h. v. Ann. 1, 26 *Ad ea Drusus cum arbitrium senatus et patris obtenderet, clamore turbatur;* 3, 17 *matris preces obtendens;* cp. 35 *cum valetudinem corporis, aetatem liberum, nubilem filiam obtenderet;* 11, 17 *obtendere libertatis vocabulum;* Hist. 3, 36 *curis luxum obtendebat.* Cf. Ann. 12, 7 *cupido auri immensa* o b t e n t u m *habebat, quasi subsidium regno pararetur;* 1, 10 *tempora reipublicae obtentui sumpta;* Hist. 1, 49 *obtentui esse;* 2, 14 *obscurum noctis obtentui fugientibus.* Ita saepius Sall. in fragmentis exhibet *obtentui esse;* Liv. 1, 56 *sub ejus obtentu cognominis.* Eadem exprimunt etiam ap. priores, sed saepius arg. aetate p r a e t e n d e r e et p r a e t e x e r e Ann. 2, 44 *Suevi praetendebantur;* 3, 59 *actos labores praetenderet;* 6, 18 *haec a se factitari praetendebat;* Hist. 2, 39 *Celsus et Paullinus — alienae culpae praetendeban-*

tur; cp. 85 *quibus causam partium praetendebat*; 3, 4 *ut consulare nomen — honesta specie praetenderetur.* — Hist. 3, 8 *alia hujuscemodi praetexendo*; 1, 72 *T. Vinii potentia defensus, praetexentis servatam ab eo filiam*; 4, 73 *libertas et speciosa nomina praetexuntur.* Cf. Hist. 1, 76 praetextu *senatus*; cp. 77 *veteris amicitiae* (utitur h. v. etiam Liv. cum aliis); 2, 100 praetexto (ut legitur ap. Senec. et Sueton.) *classem adloquendi*; 3, 80 *praetexto reipublicae.* — Peculiari prorsus sign. *praetextus* ponitur pro specie, dignitate, auctoritate Hist. 1, 19 *agitatum secreto, num et Piso proficisceretur, majore praetextu illi auctoritatem senatus, hic dignationem Caesaris laturus*; cp. 76 *erat grande momentum in nomine urbis ac praetextu senatus.* Ita Sen. quoque epist. 71 usurp. h. v. *illud pulcherrimum reip. praetextum, optimates.* — *praetendi, praetentus* (hoc etiam ap. Liv., saepius utrumque ap. poetas et arg. aet. scriptt.) nonnunquam de situ, quo aliquid praejacet alteri usurpatur (vide supra *obtendere*) Hist. 2, 6 *quidquid castrorum Armeniis praetenditur*; Ann. 2, 56 *gens nostris provinciis late praetenta penitus ad Medos porrigitur.* — Simili modo ponitur more poet. et arg. aetatis *praetexi* Germ. 34 *utraeque nationes usque ad Oceanum Rheno praetexuntur*, quod recte Bredowius coll. Plin. H. N. 6, 25 *montes omnes eas gentes praetexunt*, explicat verbis „tanquam praetexta seu fimbria obducuntur, concluduntur." Cf. cp. 42 *eaque Germaniae velut frons est, quatenus Danubio protegitur.*

OBTURBARE 1) i. fere q. prosternere, sine aliorum fortasse exemplo, Ann. 1, 66 *Forte equus - quosdam occurrentium obturbavit*; Hist. 3, 25 *postquam impulsos* (Vitellianos) *sensit Antonius, denso agmine obturbabat.* 2) i. q. obstrepere, obloqui, Ann. 3, 34 *Paucorum haec adsensu audita, plures obturbabant*; 6, 24 *obturbabant quidem patres specie detestandi*; Hist. 3, 10 *obturbabatur militum vocibus Aponius, cum loqui coeptaret.* Ita praeeuntibus Plauto ac Terentio aequales Taciti locuti sunt; similiter ap. Ciceronem exprimit *perturbare, interpellare* Att. 12, 16 *me scriptio et litterae non leniunt, sed obturbant*; cp. 18 *solitudinem — non obturbavit Philippus.*

OBUMBRARE propr. sign. ap. poetas legitur, translata, qua idem fere est quod *imminuere* ap. Tacit. ejusque aequales Hist. 2, 32 *senatumque et populum nunquam obscura nomina, etsi aliquando obumbrentur.*

OBVERSUS pro conversus Ann. 4, 54 *obversus ad matrem;* cp. 67 *aestas in favonium obversa;* 16, 35 *obversis in Demetrium* .... Hist. 4, 16 *obversis in hostem navibus;* 3, 83 *milite ad sanguinem et caedes obverso;* cp. 11 *uni Antonio vis ac potestas in utrumque exercitum fuit, cedentibus conlegis et obversis militum studiis;* Ann. 12, 14 *concursumque magna caede et ambiguo eventu, donec Carrhenen profligatis obversis* (qui in eum se converterant) *longius evectum integer a tergo globus circumveniret.* Ita singulis locis priores jam locuti sunt, e. g. Liv. 6, 7 *ante signa obversus in aciem, ordines interequitans;* cp. 24 *ut circumagi signa, obvertique aciem viderunt in hostem.*

OBVIAM IRE sign. translata, qua, ut *occurrere*, exprimit omnes conatus, quibus aut obsistimus aut auxilio venimus alicui. Ann. 4, 64 *ni Caesar obviam isset, tribuendo pecunias;* cp. 6 *infecunditati terrarum, aut asperis maris obviam iit, quantum impendio diligentiaque poterat;* 6, 16 *plebiscitis obviam itum fraudibus;* 13, 2 *Ibaturque in caedes, nisi Afranius Burrus et Seneca obviam issent;* cp. 5 *specie pietatis obviam itum dedecori;* Hist. 4, 46 *falso timori obviam iret;* Dial. 41 *cum clementia cognoscentis obviam periclitantibus eat.* Rarius ita priores locuti sunt, e. g. Liv. 3, 37; 9, 14; 29, 4; 42, 11; Sall. Jug. 14. 22. 42.

OBVIUS praeter vulg. sign. 1) idem est quod contrarius Ann. 2, 54 *illum in regressu sacra Samothracum visere nitentem obvii aquilones depulere;* et ita quidem Cicero etiam, Sall. et alii locuti sunt. 2) i. q. promptus, facilis, quae v. significatio arg. demum aetate obtinuit Ann. 2, 2 *obvia comitas* entgegenkommende Freundlichkeit; 4 33 *obvia rerum similitudine;* 13, 43 *crimina, quorum obvii testes erant;* 16, 2 *obvias opes deferre deos;* cp. 25 *adspiceret populus — morti obvium;* cf. Plin. Epist. 1, 10. *Est enim obvius et expositus plenusque humanitate;* Quintil. 8, 4, 23 *obvia voluntas* (Alcibiadis in Socratem); 9, 3, 5 *nec se obvias fuisse dicenti, sed conquisitas declarant* (figurae orationis) et sic passim.

OCCANERE Ann. 2, 81 *occanere cornua tubasque, et peti aggerem, erigi scalas jussit;* ita solus praeterea Sall. Hist. 1 p. 954 ed. Cort. *Jussu Metelli cornices occanuerunt.* Etiam *occinere* rara vox ap. Apulej. et Liv. 6, 41 *si occinuerit avis;* 10, 40 *corvus voce clara occinuit.*

OCCASIO εὐκαιρία, *tempus actionis opportunum,* quae est Ciceronis Off. 1, 40 definitio, saepius a Tacito praegn. sign.

usurpatur Ann. 5, 3 *publica mala singulis in occasionem gratiae trahuntur*; 15, 73 *ne publicis malis abuti ad occasionem privati odii videretur*; 16, 14 *inquies animo et occasionum haud segnis*; 15, 50 *hic occasio solitudinis, ibi ipsa frequentia tanti decoris testis pulcherrimum animum exstimulaverant*; 14, 23 *gnarus facilem mutatu gentem, ut segnem ad pericula, ita infidam ad occasiones*; Agric. 14 *Monam insulam — adgressus terga occasioni patefecit*; cp. 24 *Agricola expulsum seditione domestica unum ex regulis gentis exceperat, ac specie amicitiae in occasionem retinebat*. — Cf. Cic. Fam. 10, 4 *hae gentes nostra mala suam putant occasionem* (armorum scil. capiendorum); Liv. 22, 39 *armatus intentusque sis, neque occasioni tuae desis, neque suam occasionem hosti des*; 27, 28 *ne cui deesset occasioni*; 3, 31 *aperuerunt ad occasionem locum hosti* (additur *ad rem gerendam* 37, 26, 7, ubi similia congessit Drakenb.); 25, 38 *si in occasionis momento, cujus praetervolat opportunitas, cunctatus paullum fueris, nequidquam mox omissam quaeras*; 31, 15 *nequidquam postea, si tum cessassent, praetermissam occasionem quaesituros*; 38, 33 *nunquam talem occasionem habituros, si eam praetermisissent*; 33, 41 *Antiochus suam fore Aegyptum, si tum occasio esset, censebat*; Curt. 4, 6, 13 *cunctationem hostium suam fore occasionem rati*; 8, 13, 25 *obscuritatem — suam occasionem ratus*; Caes. B. G. 7, 45 *occasionis esse rem, non proelii*; Vell. 2, 118 *segnitia ducis in occasionem sceleris usus est*; Frontin. 2, 5, 22 *cum — Fabius occasionibus inmineret*. Cf. casus.

OCCIPERE antique pro incipere Ann. 1, 40 *vexillum flagitare occipiunt*; 3, 2 *jam enim magistratum occeperant*; 12, 12 *hiems occipiebat*; Hist. 2, 16 *homines fatigare militiae muneribus occepit*. Ita haud raro comici poetae locuti sunt, saepissime etiam Livius 1, 7. 49; 3, 19. 55; 4, 37. 55; 5, 9 (ubi bis legitur). 11. 32; 6, 5; 29, 27; 31, 50; 41, 17; Sall. Hist. 3 p. 979; Sisenna fr. ap. Cort. p. 61.

OCCURSARE (Liv., Virg., Plin. maj.) Ann. 1, 70 *corpora exanima interfluunt, occursant*; Hist. 2, 12 *occursantes domini juxta conjuges et liberos securitate pacis et belli malo circumveniebantur*.

OCCURSUS, US, qua voce Ovidio praeeunte saepe usus est Plin. maj. Ann. 4, 60 *occursum alicujus vitare*; 14, 5 *occursu lenunculorum Lucrinum in lacum vecta*; 16, 24 *occursu prohibitus*; Hist. 3, 85 *occursum alicujus declinare*.

OCEANUS adjective usurp. Hist. 4, 12 *insulam — mare Oceanum a fronte, Rhenus amnis tergum ac latera circumluit;* Ann. 1, 9 *mari Oceano aut amnibus longinquis septum imperium.* Simili modo Horat. dixit *Metaurum flumen.* Cf. Caes. B. G. 3, 7 *proximus mare Oceanum — hibernarat;* Mela 2, 6 *Paullatim se in nostrum et Oceanum mare extendit;* 3, 3 *Oceano littore.* Ap. Juvenal. Sat. 11, 94 et 113 a recentioribus legitur *in Oceani fluctu* et *littore ab Oceani,* et ap. alios quosdam non minus fluctuat lectio. Similia ex Horatio et Plin. maj. contulit Zumptius in Gr. Lat. Edit. sextae p. 235. De significatione h. vocis ap. Tacitum consule Hess. ad Germ. 1, m; 2, h.

OLIM praeter vulg. sign., qua opponitur particulis *deinde, mox, nunc, tunc, nuper,* saepissime inter omnes Tacitus usurpat h. v. pro *jam pridem* Ann. 13, 15 *olim provisum erat;* 14, 15 *moribus olim corruptis;* 16, 21 *olim utrisque infensus;* Hist. 1, 60 *olim discors;* 2, 86 *pro certis et olim partis nova, ambigua, ancipitia malebat.* Cf. Terent. Andr. 5, 3, 12 *Hem, modone id demum sensti, Pamphile? Olim istuc, olim — istuc verbum vere in te accidit;* Phorm. 3, 2, 38 *Si meministi id, quod olim dictum est, subjice;* Curt. 4, 5, 17 *olim consilio proditionis agitato;* 5, 5, 13 *olim vita defuncti;* 8, 1, 43 *olim mero sensibus victis;* 9, 2, 15 *olim hercule fugissemus ex Asia, si nos fabulae debellare potuissent;* 10, 3, 10 *hoc ego nunc primum profiteor, sed olim scio;* Sen. ira 1, 16 *olim miser mori quaeris.* Plin. Epist. 8, 9 *olim nescio quid sit otium.*

OMITTERE maxime Tacito frequentatur. Est vero Doederl. (Synon. III p. 285) auctore „etwas an sich vorbeilassen, ohne es in Besitz zu nehmen, *amittere* contra etwas aus der Hand lassen, was man bereits in Besitz hatte, *omittimus volentes et sponte, amittimus inviti et casu.*" 1) propria hac. sign. Ann. 1, 19 *inceptum omisere;* 6, 32 *sed non Tiberius omisit incepta;* cp. 36 *omissa Armenia* (ab Artabano; aufgegeben); 3, 60 *sponte omisere;* 6, 30 *famosi, quia pecuniam a Vario Ligure omittendae delationis acceperant;* 15, 36 *omissa in praesens Achaja* (quo se conferre volebat) — *urbem revisit;* 12, 50 *ommittere praesentia.* Inde est 2) i. q. negligere, curam nullam agere, (etiam in alicujus commodum unde nonnunquam i. e. q. *liberare)* mentionem non facere Ann. 6, 16 *legem;* 12, 23 *augurium:* 4, 23 *hostem;* 3, 53 *omittere potius* (conniviren) *praevalida et adulta vitia;* 13, 50 *dubitavit Nero an cuncta vectigalia omitti* (frei zu geben) *juberet;* Hist. 4, 6 *multis senatorum deprecantibus, omisit Priscus* (reum); Ann. 15, 69

circumdati interim custodia qui simul discubuerant, nec nisi provecta nocte omissi sunt; 13, 28 *quod — in vincula ductos tribunus omitti jussisset;* — 3, 18 *omiserat Claudii mentionem;* 4, 10 *non omiserim — rumorem; Dial.* 16 *Partes quas intellexerimus te non tam omisisse quam nobis reliquisse.* Cf. transmittere. 3) unterlassen, facere ut aliquid desinat, removere, remittere, intentatum relinquere et similia exprimit Ann. 2, 83 *quaedam statim omissa;* 12, 5 *cunctatio omissa;* 6, 46 *gravescente valetudine nihil e libidinibus omittebat;* Agric. 16 *nec ullum in barbaris saevitiae genus omisit ira et victoria;* cum infinit. cp. 1 *clarorum virorum facta moresque posteris tradere — aetas omisit;* Ann. 2, 15 *nec — omittebant suos quisque testari;* 4, 68 *neque omiserat conjugem-percolere;* 15, 57 *non omittebant — conscios edere;* cum *quin* particula 3, 27 *ne bello quidem Italico-omissum quin multa et diversa sciscerentur.* I. q. *exuere* est 11, 17 *fidem omittere.* 4) idem fere est quod relinquere, ita tamen plerumque, ut ex iis significationibus, quas modo exposuimus, aliquid retineat *omittere.* Ann. 11, 8 *Seleuciam;* 4, 74 *insulam;* 1, 28 *portas;* 4, 51 *munimenta;* 1, 36 *ripam;* 4, 48 *stationes;* 1, 47 *caput rerum* et eod. sensu 3, 47 *urbem;* 13, 44 *maritum;* 14, 61 *Campaniam;* 12, 63 *pisces omittunt flexum littoris.* Similia aliorum exempla vide in Lexicis et ap. Doederl. l. l.

ONERARE ea sign. qua idem fere est quod *cumulare, augere, adgravare, gravius reddere,* opp. *levare, elevare,* Livio praeeunte, Tacito maxime frequentatur: Ann. 1, 19 *parum in tempore incipientes principis curas onerari;* cp. 69 *accendebat haec onerabatque Sejanus;* 16, 30 *cujus onerasse pericula videbatur;* Hist. 2, 87 *onerabant multitudinem obvii ex urbe senatores;* cp. 52 *onerabat paventium curas;* 4, 14 *delectum suapte natura gravem onerabant ministri avaritia ac luxu;* 2, 64 *Triariae licentiam modestum e proximo exemplum onerabat, Galeria;* Ann. 4, 68 *audentius jam onerat Sejanum* (in invidiam adducit, in majus extollens ejus vitia), *saevitiam, superbiam, spes ejus.* — Cf. Liv. 38, 56 *ejus injuriam invidiā onerat;* 6, 11 *bellum grave per se oneratum — defectione;* 34, 62 *qui illa onerarent suspicionibus* (alia, sed simili tamen sign. 32, 11 *dux promissis oneratus,* ut Sall. Jug. 12; 35, 11 *conlaudatum eum consul spe praemiorum onerat;* 4, 13 *onerare laudibus;* 24, 13 *promissis;* quasi onere opprimere et molestum esse 9, 17 *oneratus fortunae adparatibus;* 6, 19 *ut suis ipse oneratus viribus ruat;* 30, 44 *ut*

praevalida corpora ab externis causis tuta videntur, sed suis ipsa viribus onerantur; 31, 15 *adsentatio immodica pudorem onerans);* Curt. 4, 8, 9 *oneravit hunc dolorem nuntius mortis Andromachi;* Virg. Aen. 11, 342 *Surgit, et his onerat dictis, atque aggerat iras.* — Etiam aequalibus Taciti frequens est h. v. transl. sign., sed alia quam quae ap. illum obtinet locis laudatis. Cf. Quintil. 8. prooem. 24 *quod uno verbo patet, pluribus oneramus;* 1, 2, 27 *onerare infirmitatem discentium;* 6, 3, 65 *onerabo librum exemplis — si persequi voluero cet;* sic passim adpositis interdum verbis *premere* et *adgravare,* e. c. 7, 2, 40; 5, 7, 18; — Plin. Epist. 8, 24 *onerat te quaesturae tuae fama — onerat testimonium principis, onerat tribunatus;* 10, 35 *si instructio novi balinei oneratura vires Prusensium non est;* Pan. 24 *onerasset alium ejusmodi introitus,* i. e., Gesnero interp., difficile ei fuisset, ita se gerere, ut reliqua vita tali initio responderet; cp. 73 *onerasti futuros principes;* cp. 44 *quam sit onerosum succedere bono principi.*

OPERAE Ann. 1, 16 *dux olim theatralium operarum,* non dux eorum, qui operam suam locabant ad fabulas agendas s. dux histrionum (cf. Suet. Oct. 43. 45 et proll. ad Terent. Hecyram et Heaut.), sed, Lips. et Gron. rectius interpretantibus, dux et signifer f a c t i o n u m in theatro. Cf. Suet. Nero 26 *Interdiu quoque clam gestatoria sella delatus in theatrum seditionibus pantomimorum ex parte proscenii superiori* signifer *simul ac spectator aderat. Et cum ad manus ventum esset, lapidibusque et subselliorum fragminibus decerneretur, multa et ipse jecit in populum;* cp. 20 *adolescentulos equestris ordinis et quinque amplius millia ex plebe robustissimae juventutis undique elegit, qui divisi in factiones, plausuum genera condiscerent,* operamque navarent *cantanti sibi — quorum* duces *quadragena millia sestertiorum merebant;* Tib. 37 *Caede in theatro per discordiam admissa,* capita *factionum et histrionum, propter quos dissidebatur, relegavit.* — Ii igitur sunt *operae theatrales,* quorum opera utebantur factiones et histriones in theatro, quales sunt fere *operae Clodianae* ap. Cic. Att. 1, 14; cf. Att. 4, 3 *qui erant mecum facile operas* (Clodii) *aditu prohibuerunt;* 1, 13 *Boni viri precibus Clodii removentur a causa, operae comparantur.* Ita aliis locis *publicae operae, conductae, mercenariae* (vide Lex. Schütz.); de iis, qui ad agrum colendum mercede conducuntur, praeter Colum. usurp. Horat. Sat. 2, 7, 118 *Ocius hinc te Ni rapis, accedes opera agro nona Sabino;* de histrionibus Gruter. inscript.

p. 467. n. 7. *Operae veteres a scena;* non ita Tacit. Ann. 14, 14 *notos quoque equites Romanos operas arenae promittere subegit donis ingentibus,* nam ibi *operas* pro *operam accipiendum* (vide e Cic., Lucret., Plaut. exempla ap. Forcell.); ipsi ut in scenam prodirent Nero volebat.

OPERARI ut ἔρδειν, ῥέζειν in rebus divinis proprie usurpatum verbum, maxime a poetis et arg. aet. scriptoribus Ann. 2, 14 *vidit se operatum* sc. sacris (cf. Liv. 1, 31, 8) etiam ad alias res transfertur Ann. 3, 43 *Galliarum subolem liberalibus studiis ibi operatam;* Hist. 5, 20 *militem — caedendis materiis operatum.* Cf. Liv. 10, 39, 2 *dum hostes, operati superstitionibus, concilia secreta agunt,* ubi vide Drakenb.; 4, 60 *eo tempore, quo corpus addictum atque operatum reipublicae esset.*

OPERIRE 1) ut vulgo i. q. tegere, sed insolentius per euphemismum pro *sepelire* usurp. Ann. 15, 28 *operire reliquias malae pugnae imperavit.* 2) translate i. q. *celare* est ap. arg. aet. scriptt. Ann. 3, 18 *domestica mala tristitia operienda;* Hist. 1, 53 *privata vulnera reipublicae malis operire statuit;* 3, 65 *offensarum operta metuebantur;* et ita participio etiam Cic. utitur cum aliis e. g. Fin. 2, 2 *haec patefactio quasi rerum opertarum.* Idem est quod *oneratus, onustus* Cic. Verr. 4, 50 *contumeliis operti oppressique* et passim, etiam ap. Tacitum alicubi legitur *opertus infamia.*

OPIMUS insolentius paullo usurp. Hist. 1, 2 *opus adgredior opimum casibus;* sed non solum notissima locutio est *spolia opima; praeda opima* Liv. 45, 39; etiam de agri fertilitate et omnino de copia et opibus dicitur *opim.* Liv. 3, 7 *ager opimus copiis;* 38, 8 *opimum regnum Antiochi;* Curt. 4, 11, 13 *opimum regnum occupare;* praeterea de orationis nimia copia ap. Ciceronem *opimum dictionis genus.*

OPINIO ap. arg. aet. scriptt. usurpatur praegnante sign. de bona existimatione Dial. 10 *Ne opinio quidem et fama — aeque poetas quam oratores sequitur,* ubi vide Dronk. Cf. eventus et aestimare s. v. censere.

OPTIO, Lipsio ad Hist. 1, 25 auctore, ap. veteres fuit, qui a dignioribus cum gradu militibus adoptatus, vicem eorum subibat; posterior aetas diverso paullum sensu, qui velut custos quidam, arbiter, inspector. Ita sane ex iis locis, quos Lips. affert, sequioris aevi scriptores h. v. usurpasse patet; cf. Plut. Galba 24, ubi de optione et tesserario dicit οὕτω γὰρ καλοῦνται οἱ διαγγέλων καὶ διοπτήρων ὑπηρεσίας τε-

λοῦντες. Sed Tacitus l. l. optionem speculatorum antiqua illa sign. dixit. Festus ait: *optio qui nunc dicitur antea appellabatur accensus. — dictus est optio, qui aliquando ab ipso centurione optabatur i. e. eligebatur.* Vegetius: *optiones ab optando appellati, quod antecedentibus aegritudine praepeditis, hi tanquam adoptati eorum atque vicarii solent universa curare.* Inde ap. Plaut. et Varronem idem fere est in universum quo *adjutor*. Cf. tesserarius et speculator.

OPTUMUS vide altissumus.

ORARE pro *dicere* Ann. 13, 42 *qui pretio causas oravissent* (ita passim ap. nostrum et priores etiam, unde *orator*, teste Varrone, proprie est *causidicus*); 3, 67 *orandi nescius*; 4, 21 *orandi validus*; cp. 28 *orante filio*; Dial. 6 et saepissime ap. Quintil. *orantes* sunt *oratores*.

ORDO 1) saepissime legitur de militari ordine et absolute quidem multis locis de dignitate eorum, qui ordinem aliquem obtinent. Ann. 1, 44 *citatus ab imperatore* (centurio) *nomen, ordinem, patriam, numerum stipendiorum — edebat*; 14, 27 *legiones deducebantur cum tribunis et centurionibus et sui cujusque ordinis militibus*; Hist. 1, 52 *redditi plerisque* (militibus) *ordines* et eod. cap. *adimendis adsignandisve militiae ordinibus*; 4, 59 *interfectorem Voculae altis ordinibus, ceteros, ut quisque flagitium navaverat, praemiis adtollit.* Ita Liv. *honestum ordinem ducere, pares ordines ducere* et similia exhibet; cf. Plin. Epist. 6, 25 *huic ego ordines impetraveram.* 2) de ordine senatorio eodem modo absolute ponitur Ann. 1, 75 *Propertio Celeri praetorio veniam ordinis* (sc. senatorii relinquendi) *ob paupertatem petenti decies sestertium largitus est*; 13, 11 *quem, ob adulterium Messallinae ordine remotum, reddidit senatui*; cp. 32 *redditur ordini L. Varius consularis avaritiae criminibus olim perculsus.* Ita priores quoque loquuntur. Cf. Cic. p. red. in sen. 1. *qui dignitatem, qui ordinem reddidistis*; Liv. 8, 18 *consules ad senatum referunt, consensuque ordinis fides indici data.* 3) ut Cic. de judicum ordine praeterea utitur h. v., ita Tacitus de municipiorum decurionibus Ann. 13, 48 *Puteolanorum legationes, quas diversus ordo plebsque ad senatum miserat*; Hist. 2, 52 *ordo Mutinensis.*

ORTHOGRAPHIA quae dicitur non minus varia est. ap. Tacitum quam ipsa vocabula eorumque signif. et constructiones; sed cum non satis accurate inspecti sint libri scripti, certi nihil super hac re constitui potest. Inde diversam saepe

rationem secuti sunt editores in compositorum scriptura. J. Bekkerus, ut quorundam exemplis utar, semper fere scripsit *adrogantia, adsumere, adseverare, conrumpere, inlicitus, inlustris, inplere cet.*; Walchius contra *arrogantia, assumere, asseverare cet.* Haud dubie, ut in ceteris omnibus, in his quoque stilum variare amavit Tacitus. Cf. suo loco Syncope, Diplasiasmus, cotidie, cludere, honor, quotiens, altissimus. Vide Hess. varr. lectt. in T. Germ. 1. p. 3. 32.

OSTENTARE ap. Cic. plerumque i. q. *jactare*, ap. Sall. et Tacitum saepissime usurp. propr. sign. qua auget vim *ostendendi*, e. g. Hist. 1, 22 *aulam Neronis et luxus, adulteria, matrimonia ceterasque regnorum libidines avido talium, si auderet, ut sua ostentantes*; 5, 24 *Batavis pacem, Civili veniam ostentans*; 3, 78 *ostentare potius urbi bellum quam inferre*; 4, 59 *veniam ostentantes, si praesentia sequerentur.*

PAEDOR Ann. 6, 44 *neque exuerat paedorem, ut vulgum miseratione adverteret.* Usi sunt h. v. poetae, Lucretius, Lucanus, Seneca, vetus poeta ap. Cic. Tusc. 3, 12, ipse Cic. *(paedores)* eod. libro cp. 26. Cf. Doederl. Synon. 2. p. 38.

PAGANI arg. aetate idem est quod *cives, plebs* opp. *militibus*, Hist. 1, 53 *inter paganos conruptior miles*; 3, 24 *mox infensius praetorianis Vos, inquit, nisi vincitis, pagani* (Quirites quos vocavit Caesar); cp. 43 *Paullino patria Forum Julii (quod praesidio tuebatur) et honos apud praetorianos — ipsique pagani favore municipali — juvare partes adnitebantur*; cp, 77 *permixtis paganis, quos nullo discrimine Vitelliani trucidabant.* Vide pagus.

PAGUS 1) minus valet quam vicus Ann. 1, 56 *omissis pagis vicisque in silvas disperguntur*, Sic passim Virg. aliique poetae utuntur h. v. 2) plures vicos complectitur, Germ. 39 *Semnones centum pagis habitantes*, qua sign. saepissime Caesar h. v. usurpat. Inde *pagani* dicti sunt hujusmodi pagi incolae, etiam coloni Romani, tum omnes cives, qui milites non essent, et ita quidem Suet. Galb. 19 Romae quoque incolas *paganos* dixit. Cf. ap. Tacitum Hist. 2, 88; 4, 20 et quae sub h. v. supra allata sunt.

PALAM vide in proleg. ubi de stili Tacitei varietate agitur.

PARATUS i. q. apparatus Ann. 3, 52 *ventris et ganeae paratus*; 11, 30 *fortunae paratus*; 13, 17 *proviso ante funebri*

paratu

paratu, qui modicus fuit. Cf. Liv. 10, 41, 3 *in oculis erat omnis ille occulti paratus sacri,* ibique Drakenb.

PARENTES eos dixeris qui parent Ann. 1,59 *si patriam, parentes, antiqua mallent quam dominos et colonias novas;* minus enim genitores, quae vulgaris est h. l. interpretatio, sed subditos, servos amissuri erant, quibus opp. *domini.* Cf. Sall. Jug. 3, 2 *regere patriam aut parentes,* ibique Cort.; Vell. 2, 108 *Maroboduus — non tumultuarium neque mobilem et ex voluntate parentium constantem inter suos occupavit principatum.*

PARS 1) saepius quam ap. Cic., Liv., alios hujusmodi locutionibus exhibetur a Tacito: Ann. 14, 33 *comitantes in partem agminis acciperet;* Hist. 4, 26 *additus Voculae in partem curarum Herennius Gallus legatus;* Agric. 25 *classis ab Agricola primum adsumpta in partem virium sequebatur egregia specie;* Ann. 6, 42 *accitus in partem adversum omnes valescit;* 1, 11 *se in partem curarum ab illo vocatum.* 2) partes maxime inter omnes Tacito frequentatur ad exprimendas factiones (Cic. et alii quidam singulari etiam utuntur hac sign.) Ann. 2, 43 *resurgentes in Africa partes* (suas) *acerrimo ministerio adversus Caesarem juvit;* cp. 76 *nec duraturos in partibus centuriones militesque;* 3, 62 *ob vetusta in parteis merita;* 4, 17 *esse qui se partium Agrippinae vocent;* cp. 60 *Drusum traxit in partes;* 6, 37 *columen partium Abdageses;* 13, 18 *quasi quaereret ducem et partes;* 15, 51 *militum acerrimos ducere in partes;* 16, 7 *dux partium;* cp. 22 *secessionem jam id et partes et, si idem multi audeant, bellum esse;* Hist. 2, 46 *excitare partium fortunam furore quodam et instinctu flagrabat;* cp. 68 *partes modeste distraxerat;* cp. 87 *dum haec per provincias a Vespasiano ducibusque partium geruntur;* cp. 93 *adventu ejus partes convaluerant;* 3, 4 *ut consulare nomen surgentibus cummaxime partibus praetenderetur;* cp. 60 *duces partium;* cp. 66 *Primus ac Fuscus et specimen partium Mucianus;* 4, 70 *ala — in partes Vespasiani transgressa.*

PARTICIPIUM plurimum facit ad augendam vim orationis et concisam stili brevitatem, magisque varius est usus ejus ap. nostrum quam ap. ceteros scriptores.

1) Participia et inter se et cum aliis verbi formis et constructionibus permutantur. Participium perf. depon. ἀορίστως ponitur pro part. praesentis „Agric. 22 *hostes quamquam conflictatum* (conflictantem)

saevis tempestatibus exercitum lacessere non ausi (Suet. Aug. 17 *turbatus nuntiis de seditione militum repetit Italiam tempestate in trajectu bis conflictatus*); Agric. 29 *igitur praemissa classe, quae pluribus locis praedata — terrorem faceret — ad montem Grampium pervenit;* cp. 33 *vix munimentis coercitum militem adhortatus ita disseruit;* Hist. 3, 77 *ipse lauream ad fratrem misit percunctatus;* 2, 96 *in hunc modum etiam Vitellius apud milites disseruit, praetorianos nuper exauctoratos insectatus;* 5, 15 *minor tamen, quam pro tumultu caedes: quia non ausi egredi paludem Germani in sastra rediere;* cp. 19 *non tamen ausus oppidum tueri, raptis quae ferri poterant, in insulam concessit;* cp. 21 et passim. Notissima est in hunc modum usurpata locutio *ratus dixit;* cf. Voss. ad Virg. Georg. 1, 339; Horat. Sat. 2, 3, 34 *Descripsi exempla, quo me solatus jussit sapientem pascere barbam.* Homer. Od. *θ*. 292 *Δεῦρο φίλη λέκτρονδε τραπείομεν εὐνηθέντε;* Il. *α*, 5 *ἐξ οὗ δὴ τὰ πρῶτα διαστήτην ἐρίσαντε Ἀτρείδης τε cet.;* v. 9 *ὁ γὰρ βασιλῆι χολωθεὶς, Νοῦσον ἀνὰ στρατὸν ὦρσε κακήν.* Etiam pro particip. fut. pass. quod vice part. praes. fungitur, praeeunte Livio, ponitur part. perf. pass. Agric. 14 *prosperas res habuit subactis nationibus;* Ann. 16, 21 *Nero virtutem ipsam exscindere concupivit interfecto Thrasea Paeto et Barea Sorano* (ieterficiendo Thr.); 4, 34 *Cremutius Cordus postulatur novo ac tum primum audito crimine, quod editis annalibus, laudatoque M. Bruto, C. Cassium Romanorum ultimum dixisset;* 6, 49 *Papinius informem exitum delegit, jacto in praeceps corpore;* Germ. 39 *omnes ejusdem sanguinis populi legationibus coëunt, caesoque publice homine celebrant barbari ritus horrenda principia;* Ann. 13, 39 *capta escensu munimenta, omnesque puberes trucidati, nullo amisso, paucis admodum vulneratis.*" Walch. ad Agric. p. 299. 353. 217. De illo participii perf. usu cf. nubem exemplorum e Taciti scriptis congestorum a Sellingio in observatt. critt. in T. Agric. p. 20.

Participium praes. omisso inf. verbi subst. ponitur pro infinitivo. Ann. 13, 50. *quippe sublatis portoriis sequens, ut tributorum abolitio expostularetur;* cf. Cic. de legg. 1, 5 *Quoniam scriptum est a te de optimo reip. statu, consequens esse videtur, ut scribas tu idem de legibus;* etiam substantivi vice fungitur, ut Ann. 3, 40 *disserebant de gravitate fenoris, saevitia ac superbia praesidentium* i. e. eorum qui praesiderent provinciis s. praesidum; similis *βρα-*

χυλογία est in usu part. fut. act. Ann. 6, 3 *incusabatur facile toleraturus exsilium delectâ Lesbo, insula nobili et amoena,* i. e. objiciebatur, quod facile toleraturus esset exsilium; Hist. 2, 74 *ceterae Illyrici legiones secuturae sperabantur* i. e. sperabatur fore ut sequerentur. — Particip. perf. pass. pro verbo finitio usurp. Ann. 6, 31 *cupitum id Tiberio* pro *cupiebat id Tiberius.*

Neutrum part. fut. pass. (in modum part. perf. ut *persuasum habeo)* jungitur verbo *habere.* Ann. 4, 40 *posse ipsam Liviam statuere, nubendum post Drusum, an in penatibus iisdem tolerandum haberet;* 14, 44 *si nunc primum statuendum haberemus;* Dial. 31. 37 *dicendum habere;* cp. 36 *respondendum habere.* Ita aequales quoque Taciti locuti sunt: Plin. H. N. 10, 76 *ovum in sinu fovendo, atque cum deponendum haberet, nutrici per sinum tradendo;* Plin. Epist. 1, 7 *quae — certandum habent;* cp. 8 *cum enitendum haberemus, ut cet.;* 10, 95 *impetrandum a bonitate tua per nos habet;* Pan. 15 *nihil discendum haberes tempore docendi.* Similis ratio est loci Cic. Verr. 1, 50 *Aedem Castoris P. Junius habuit tuendam.* Cf. Sen de ira 2, 7, 2 *ipsam iram castigandam habet virtus.*

2) Saepius et audacius etiam quam ap. reliquos scriptt. particip. perf. pass. vice fungitur substantivi abstracti quod dicitur. Ann. 1, 8 *cum occisus dictator Caesar aliis pessimum, aliis pulcherrimum facinus videretur;* cp. 16 *mutatus princeps licentiam turbarum et ex civili bello spem praemiorum ostendebat;* cp. 42 *neve occisus Augusti pronepos, interfecta Tiberii nurus nocentiores vos faciat;* 3, 50 *vita Lutorii in integro est; qui neque servatus in periculum reipublicae neque interfectus in exemplum ibit;* Hist. 4, 19 *trepidis ministris, quos ambiguus auxiliorum animus et subito delectu suppletae legiones angebant.* Insolentiora sunt, cum ad inanima referantur participia, quae sequuntur: Ann. 1, 59 *Arminium super insitam violentiam rapta uxor, subjectus servitio uxoris uterus vecordem agebant;* 3, 54 *hanc, patres conscr., curam sustinet princeps; haec omissa funditus rem publicam trahet;* 6, 27 *genus illi decorum, vivida senectus; et non permissa provincia dignationem addiderat;* 16, 16 *patientia servilis tantumque sanguinis domi perditum fatigant animum;* Hist. 3, 32 *auxit invidiam editum illic a Caecina gladiatorum spectaculum, eademque rursus belli sedes, et praebiti in acie Vitellianis cibi, caesae quaedam feminae studio partium ad*

proelium progressae; cp. 59 *terrorem Italiae possessa Mevania ac velut renatum ex integro bellum intulerat;* 1, 18 *Quartum idus Januarias, foedum imbribus diem, tonitrua et fulgura et coelestes minae ultra solitum turbaverant. Observatum id antiquitus comitiis dirimendis non terruit Galbam, quo minus in castra pergeret.* Cf. Liv. 7, 22 *tentatum — ut ambo patricii consules crearentur, rem ad interregnum perduxit;* 27, 37 *liberatas religione mentes turbavit rursus nuntiatum, Frusinone infantem natum esse quadrimo parem.*

3) Pro adjectivis in *ilis* desinentibus ponitur part. perf. pass. vel adj. in similitudinem ejus compositum. Germ. 20 *inexhausta pubertas;* Agric. 18 *nihil arduum aut invictum crediderint;* cp. 33 *Agricola laetum, vix munimentis coercitum militem adhortatus,* ubi Walch. contulit Sall. Jug. 76 *rex Metello nihil infectum ratus;* cp. 43 *quod adversum divitias animum invictum gerebat;* Plin. H. N. 3 Prooem. *Quanquam infinitum id existimatur, nec temere sine aliqua reprehensione tractatum.* Vide Cort. ad Sall. Jug. 91 et Ruddim. instit. II. p. 374.

4) Simili modo part. fut. act. vice adjectivi fungitur, quod facilitatem quandam et perpetuitatem exprimit. Ann. 1, 28 *noctem minacem et in scelus erupturam* (leicht zu einem Verbrechen führend); cp. 36 *augebat metum gnarus Romanae seditionis, et, si ommitteretur ripa, invasurus hostis;* Hist. 3, 56 *arcuere eos intimi amicorum Vitellii, ita formatis principis auribus, ut aspere quae utilia, nec quidquam nisi jucundum et laesurum acciperet;* Ann. 4, 38 *pulcherimae effigies et mansurae* (bleibend, i. e. dauerhaft); Hist. 1, 78 *nova jura Africae dedit, ostentui magis quam mansura;* 2, 49 *modicum et mansurnm sepulcrum;* Dial. 34 *magna et duratura eloquentiae fama;* cp. 9 *nec aut amicitiam inde refert — aut mansurum in animo cujusquam beneficium;* cp. 22 *firmus paries et duraturus.* Cf. Sen. de ira 1, 16, 24 *ira non ex firmo mansuroque oritur.* Raro ita locuti sunt priores.

5) Ablativi absoluti qui dicuntur, insolentius, et maxime quidem elliptice usurpantur a Tacito.

a) Rarissimus est usus participii fut. act. in hunc modum adhibitus: Hist. 2, 32 *inrupturis tam infestis nationibus.* Similes locos Livii et Plin. maj. vide ap. Zumpt. Gr. Lat. §. 81, 6.

b) Saepe participium verbi substantivi, a Graecis usurpatum in genit. absol., cogitatione quasi supplen-

dum est, ubi substantivum adjuncto adjectivo vel pronomine absolute positum invenitur: Hist. 3, 47 *tumido mari, prout fluxus adtollitur, summa navium tabulis augent;* 5, 7 *solo coeloque juxta gravi;* 3, 64 *cunctis circa hostilibus;* Ann. 6, 9 *inmiti rescripto;* 16, 5 *multis palam et pluribus occultis, ut nomina ac vultus, alacritatem tristitiamque coëuntium scrutarentur;* 11, 15 *publicâ circa bonas artes socordiâ;* 1, 36 *in ancipiti republica* („Haec vetus et vera lectio est: quam non debuit mutare Pichena" Gron. Observatt. 1, 17. p. 104.). — Ann. 1, 4 nullâ *in praesens formidine;* 12, 22 *nulla libidine;* cp. 18 *nullo in armis subsidio;* Hist. 2, 17 *nullo apud quemquam Othonis favore;* Ann. 12, 5 *nullo exemplo deductae in domum patrui fratris filiae;* Hist. 3, 26 *nullo juxta subsidio;* 2, 63 *nec ullis tantorum criminum probationibus;* Agric. 10 *nullis contra terris,* ubi Walch. castigatis iis, qui hanc unius Taciti audaciam esse opinantur, contulit Cic. Phil. 1, 10 *Quaerunt, quid sit, cur aut ego, aut quisquam, P. C., bonis tribunis plebis, leges malas metuat;* Liv. 36, 6 *revera per multa jam saecula labante egregia quondam disciplina, et multorum eo statu, qui diuturnus esse non posset;* Plin. H. N. 7, 1 *modo ne sit fastidio Graecos sequi, tanto majore eorum diligentia vel cura vetustiore.* Plura vide ap. Zumpt. §. 81, 7 et Ruhnk. ad Vell. 2, 106 *plurimarum gentium victoriâ.*

Durior est ellipsis, ubi solum adjectivum vel substantivum, alio nullo vocabulo adjecto, in hunc modum usurpatur; adjectivum, ut Ann. 1, 6 *juxta periculoso* i. e. cum aeque periculosum esset; 3, 60 *libero, quid firmaret mutaretve.* Ita Liv., laudante Zumptio §. 81, 7. 8, *sereno, dubio, incerto* dixit pro *cum serenum — esset.* Similis ratio est omissi pronominis, ubi tamen e praecedentibus suppleri potest Caes. B. C. 1, 30 *Caralitani, simul ad se Valerium mitti audierunt, nondum profecto* (eo) *ex Italia, sua sponte ex oppido Cottam ejiciunt;* Nep. Attic. 11 *qui quidem Serviliam, Bruti matrem, non minus post mortem ejus, quam florente* (eo) *coluerit,* ubi vide Bremium. Substantiva illo modo usurpata e vulgari usu ablativorum tempus aliquod exprimentium, quales sunt *duce, consule, comitiis, ludis, circensibus,* facile explicantur: Ann. 3, 28 *dedit jura, quis pace et principe uteremur.* Cf. Suet. Caes. 11 *qui proscriptione pecunias ex aerario acceperat;* Caes. B. C. 2, 23 *Caesaris naves ejus fugâ se receperunt;* 3, 22 *ita magnarum initia rerum quae occupatione magistratuum et temporum sollicitam Italiam ha-*

bebant, celerem et facilem exitum habuerunt; auct. B. G. 8, 46 *quali quisque animo in rempublicam fuisset totius Galliae defectione.* Vide Held. ad Caes. de B. C. 1, 18. — Sed ap. Tacitum causa etiam exprimitur hoc modo Ann. 1, 59 *aliis gentibus ignorantiâ imperii Romani inexperta esse supplicia;* cp. 69 *accendebat haec onerabatque Sejanus, peritiâ morum Tiberii* (i. e. cum mores T. cognitos haberet), *odia in longum jaciens, quae reconderet auctaque promeret;* Agric. 11 *eorum sacra deprehendas, superstitionum persuasione.*

c. Saepius etiam part. perf. passivi omisso substantivo a Tacito absolute ponitur. Plerumque ea quae adjuncta sunt substantivi vice funguntur: Ann. 1, 35 *strictum obtulit gladium,* addito *acutiorem esse;* 2, 28 *vocantur patres, addito consultandum super re magna et atroci;* 3, 2 *miserat — cohortes Caesar, addito ut magistratus — fungerentur;* 5, 2 *paucis admodum receptis, et addito ne coelestis religio decerneretur;* — 4, 70 *Secutae insuper litterae grates agentis, quod — punivissent,* adjecto *trepidam sibi vitam cet;* 1, 46 *nondum* cognito *qui fuisset exitus in Illyrico;* cp. 49 *postquam,* intellecto *in quos saeviretur, pessimi quoque arma rapuerant;* cp. 66 *Caecina,* comperto *vanam esse formidinem — clausit viam;* cp. 75 *satis comperto paternas ei angustias esse;* 2, 60 *Germanicus, nondum comperto profectionem eam incusari, Nilo subvehebatur;* 4, 36 *absolvitur, comperto ficta in eum crimina;* 11, 13 *novas litterarum formas addidit vulgavitque, comperto Graecam quoque litteraturam non simul coeptam absolutamque;* 14, 57 *comperto Plautum et Sullam maxime timeri;* Hist. 4, 36 *donativum exposcunt, comperto pecuniam a Vitellio missam;* Ann. 2, 7 audito *castellum — obsideri;* 14, 7 *ipse, audito venisse missu Agrippinae nuntium Agerinum, scenam ultro criminis parat;* Hist. 2, 49 *at* explorato *jam profectos amicos, noctem quietam — egit;* Ann. 2, 64 *Simul* nuntiato *regem Artaxiam Armeniis a Germanico datum, decrevere patres cet;* — Ann. 2, 9 quaesito *an Caesar venisset, postquam adesse responsum est, ut liceret cum fratre conloqui oravit;* 6, 15 *diu quaesito quos neptibus suis maritos destinaret;* 12, 17 *diu* pensitato *Mithridatisne rebus extremis an patrio regno consuleret;* 16, 33 *Montanus patri concessus est,* praedicto *ne in republica haberetur;* 3, 14 *nunquam satis* credito *sine fraude Germanicum interiisse;* 6, 34 *credito vexisse Phryxum;* 11, 38 *nuntiatum Claudio epulanti perisse Messalinam, non* distincto *sua an aliena manu;* 3, 33 *mul-*

tum ante repetito *concordem sibi conjugem.* — Ita priores quoque, sed rarius multo, et eorum quaedam, quae modo attulimus, et alia nonnulla usurpant participia. Cf. Caes. B. G. 7, 52 exposito *quid iniquitas loci posset;* Liv. 30, 50 *nondum* comperto *quam in regionem venisset* (cf. Sall. Hist. 5. p. 996); 31, 39 *nondum comperto quam regionem hostes petissent;* 33, 41 (37, 13) cognito *vivere Ptolemaeum;* 32, 15 explorato *ante, utrum cet;* 34, 31 *ibi* permisso *seu dicere prius seu audire mallet, ita coepit;* 28, 7 (Sall. fr. Hist. 5) audito, *Machanidam — refugisse;* Curt. 6, 5, 21 desperato *regionem posse obtineri;* Cic. Off. 2, 12 adjuncto *vero, ut iidem etiam prudentes haberentur cet;* Hor. Ep. 1, 10 excepto *quod non simul esses cetera laetus.* — Rarissima sunt ap. priores ea exempla, quae solum participium absolute positum exhibent, verbis nullis adjunctis, quae substantivi locum obtinent, ut Liv. 30, 8 *Scipionem, velut jam* debellato, *quod ad Syphacem Karthaginiensesque adtineret, Uticae oppugnandae intentum — avertit fama redintegrati belli;* Cic. de leg. Agr. 2, 2 *cui,* errato, *nulla venia, recte* facto *exigua laus et ab invitis expressa proponitur;* ap. nostrum vero satis multa inveniuntur Ann. 11, 10 *in cujus amnis transgressu multum* certato, *pervicit Bardanes* (similiter in loco quodam Hist. legitur *nec diu certato*); 15, 14 *multum invicem* disceptato, *Monobazus — testis — adhibetur;* 11, 26 *nec ultra* exspectato *quam dum sacrificii gratia Claudius Ostiam proficisceretur, cuncta nuptiarum solennia celebrat;* 12, 7 *nec Claudius ultra exspectato obvium apud forum praebet se gratantibus;* 4, 21 *bonis exutus,* interdicto *igni atque aqua, saxo Seriphio consenuit.*

De dativo absoluto, cuj. exempl. est *in universum aestimanti,* vide dativum.

6. Graeco more, a Sall. quoque et Macrobio recepto, legitur ap. Tacitum invito, cupienti, volenti mihi est pro nolo, cupio, volo Ann. 1, 59 *bellum invitis aut cupientibus erat, ἀχθομένοις ἢ ἡδομένοις ἦν;* Hist. 3, 43 *Maturo celerisque remanere — volentibus fuit;* Agric, 18 *quibus bellum volentibus erat;* cf. Sall, Jug. 84 *neque plebi militia volenti putabatur;* cp. 100 *ut militibus exaequatus cum imperatore labos volentibus esset;* Macrob. Sat. 1, 7 *si vobis volentibus erit;* simili attractione qua dicitur *nomen mihi est Cajo, licet mihi esse beato;* nam *bellum mihi est volenti* idem fere est quod *bellum mihi est volens* i. e. gratum, ut legitur Ann. 15, 36 *volentia fuere plebi;* Hist. 3, 52 *Muciano volentia rescripsere;*

Sall. Hist. 4. p. 990 *volentia plebi facturus videbatur*; cf. suo loco ignarus, gnarus, nescius, incautus, credulus, formidolosus. Sed faciunt etiam ad explicandam illam locutionem quae sequuntur: Ann. 2, 4 *is Ariobarzanem — volentibus Armeniis praefecit*; Sall. Jug. 73 *volenti animo - acceperant*; p. 76 *poenas ipsi volentes pendere*; cp. 103 *munificus nemo putabatur, nisi pariter volens*. Vide Spald. ad Quintil. 4 prooem. 5.

PARTIRE i. q. partiri (Plaut., Lucret., Justin.) Ann. 12, 30 *regnum Vangio ac Sido inter se partivere*.

PARUM, quod est ap. priores quoque, i. q. non satis Ann. 1, 19 *parum in tempore* (nicht eben); Hist. 4, 60 *parum adfirmatur*; cp. 68 *parum tolerare*; 5, 18 *parum intentos*; Dial. 23 *parum est aegrum non esse*; cp. 26 *cum parum esset in senatu breviter censere*; Hist. 3, 8 *Possessa ipso transitu Vicetia: quod per se parum* (eben kein großer Gewinn), *etenim modicae municipio vires*; cp. 39 *principatus non adpetens parum* (i. e. vix) *effugerat ne dignus crederetur*. Cf. Spald. ad Quintil. 3, 1, 5.

PATERNUS et PATRIUS, quod falso quidam in dubium vocarunt, et ap. Tacitum et ap. reliquos, etiam aureae aetatis, scriptores haud semper distinguuntur, ubi ad patrem spectant, (ad patriam refertur solum *patrius*; vide tamen Forcell. s. v. *paternus*); promiscue prorsus usurpantur in exprimendis rebus externis, ut Cic. Verr. 2, 18 *paterna bona* dicit, quae idem 2, 19 *patria bona* vocat, nisi quod saepius hac sign. *paternus* invenitur, et quibusdam locutionibus propria vox fuisse videtur ut *paternus amicus*, *cliens*, i. e. quem a patre aliquis hereditatis quasi jure accepit. Ibi maxime, ubi pro secundo casu substantivi ponitur, nullum licet discrimen inter utrumque vocabulum constituere; Liv. 1, 48 *caedes paterna* (patris); Cic. Fam. 15, 2 *interitus paternus*; sed. Liv. 8, 7 *imperium patrium* i. e. patris jussum; 3, 46 *patrium* (patris) nomen. Cf. ap. nostrum Ann. 11, 10 *patrium ad fastigium*; 6, 32 *paternum adf.*; 13, 15 *evolutus sede patria* (ad patrem, non ad patriam refertur); 6, 28 *patrium corpus* (patris); Hist. 3, 74 *paternus cliens*; Ann. 11, 16 *paternum huic genus e Flavio*; 14, 43 *paterna pecunia*; 1, 75 *paternae angustiae*; Hist. 1, 77 *avitis ac paternis sacerdotiis*; 3, 86 *in paternos penates deduxit*. — Constantius, ubi ad animum refertur, *paternus* distinguitur a *patrius*: illud enim est *a patre insitus*, hoc vero *dignus patre*, *conveniens patri*; Ann. 11, 16 *si paterna Italico mens es-*

set; 2, 43 praeter paternos spiritus uxoris quoque Plancinae nobilitate et opibus accendebatur; 4, 4 multa cum laude filii sui, quod patria benevolentia in fratris liberos foret; sed ne hoc quidem ubique observatur discrimen, et pro simplici genitivo plerumque usurpatur *patrius*. Cf. Hor. Od. 2, 2, 6 *Proculejus — notus in fratres animi paterni* (patrii); Cic. Sext. 21 *patria* (paterna) *virtute praeditus filius;* Liv. 2, 5 *eminente animo patrio* (patris) *inter publicae poenae ministerium; 7, 5 quod animum ejus tanta acerbitas patria* (patris) *nihil a pietate avertisset.*

PATESCERE saepius legitur ap. Tacit. ejusque aequales quam ap. priores Ann. 2, 61 *imperium rubrum ad mare patescit;* Hist. 4, 78 *non poterat patescere acies; 5, 11 ut latera oppugnantium ad ictus patescerent;* Germ. 30 *civitates in quas Germania patescit.*

PATIENTIA Cicerone auctore Inv. 2, 54 est *honestatis aut utilitatis causa rerum arduarum ac difficilium voluntaria ac diuturna perpessio.* Ita Ann. 2, 13 *patientiam, constantiam in ferendis rebus adversis.* — Praeterea vero minus vulg. sign. exprimit eum statum quo aliquid patimur et toleramus non obnitentes contra Ann. 6, 38 *patientiam libertatis alienae ostentans* (Duldsamkeit); cp. 46 *in patientia* (in seinem leidenden Zustande) *firmitudinem simulans* (cf. Quintil. 6, 4, 10 *melior moderatio ac nonnunquam etiam patientia*); Agric. 16 *Britanniam — unius proelii fortuna veteri patientiae restituit* (Unterwürfigkeit); Ann. 14, 26 *usque ad servilem patientiam demissus;* cp. 64 *neque tamen silebimus, si quod senatus consultum adulatione novum aut patientia* (servili) *postremum fuit;* Hist. 2, 29 *silentio, patientia, postremo precibus ac lacrimis veniam quaerebant.* — Etiam obscoena sign. Ann. 6, 1 *tuncque primum ignota ante vocabula reperta sunt sellariorum et spintriarum ex foeditate loci ac multiplici patientia* de multiplici coitus ratione, quale Lutetiae Parisiorum fertur *Theatre moral* quod dicitur *κατ' ἀντίφρασιν.* Cf. Cic. Verr. 5, 13 *in ejusmodi patientia turpitudinis.*

PATRARE inter omnes maxime Tacito frequentatur Ann. 1, 45 *atrocissimum quodque* facinus *horum manibus patratum; 2, 66 maluit patrati quam incepti facinoris reus esse; 14, 7 nuntios patrati facinoris; 2, 26 posse* bellum *patrari; 3, 47 ortum patratumque bellum;* Hist. 3, 64 *gratiam patrati belli penes eum; 12, 16 coepta patrataque* expugnatio; 2, 39 *patrata* caede; cp. 88 *si patrandae*

caedi venenum mitteretur; 14, 44 *caedem patraret;* 13, 1 mors *Junii Silani patratur;* 11, 28 *multas mortes jussu Messallinae patratas;* 15, 6 haec *plures ut formidine regis et Corbulonis minis patrata magnifice extollebant;* 12, 26 *quibus patratis;* 13, 41 *patrata* victoria; cp. 9 praecepta *quae suis consiliis patravisset;* Hist. 4, 81 *patrati* remedii *gloriam penes Caesarem, inriti ludibrium penes miseros fore;* cp. 83 *ni* jussa *patrarentur.* Cf. Cic. Att. 1, 14 *Teucris promissa patravit;* Consol. ed. Bip. p. 379 *patrare flagitia;* Sall. Jug. 13 *patrare consilium;* cp. 21 *bellum;* Catil. 18 *facinus;* Liv. 1, 24 *patrare jusjurandum;* 44, 25; 40, 52; 2, 26 *pacem;* 28, 41 *bellum;* 39, 16 *facinus;* Vell. 2, 21 *commissum patratumque proelium;* cp. 59 *patratis bellis civilibus* (cf. cp. 11. 30); cp. 80 *non-quidquam ausum patratumque fortius;* cp. 110 *decreta patrare.*

PATRATOR Ann. 14, 62 *patrator necis.* Praeter Tacitum utitur h. v. Avien. in Arati Phaen. v. 20 *proprii patrator amoris.*

PATRIUS vide paternus.

PAX sign. arg. aetati propria qua exprimit imperium Romanum, neque internis neque externis lacessitum armis Ann. 12, 33 *qui pacem nostram metuebant* i. e. *imperium nostrum;* cp. 29 *ne, fortuna elati, nostram quoque pacem turbarent.* Locos similes Senecae et Plin. majoris adtulit Gron. ad cp. 33 supra laudatum. Cf. Ruhnk. ad Vell. 2, 131. Ita *orbis noster* dicitur Agric. 12; Germ. 2; Vell. 1, 2 et passim ap. hujus aetatis scriptores.

PECUNIOSUS vox ap. ceteros quoque rara Ann. 3, 55 *pecuniosam ad senectam pervenire;* 13, 6 *si pecuniosum et gratiâ subnixum per ambitum deligeret;* cp. 52 *valuit pecuniosa orbitate et senecta.* Cf. locos a Forcell. omissos Cic. inv. 1, 25; Verr. 1, 1; Nep. Cim. 1.

PENES 1) vulg. sign. qua pertinet ad potestatem et ea exprimit, quae propria alicui sunt, e. g. Ann. 6, 44 *plurima auctoritas penes Abdagesen;* Agric. 15 *majorem constantiam penes miseros esse;* Ann. 11, 58 *quos penes potentia et, si res verterent, formido.* 2) insolentius ad inanima refertur (propria sign. etiam ap. Ciceronem *penes scenam et in ejusmodi locis*) hac transl. sign. Ann. 4, 16 *pluresque ejus rei causas adferebat, potissimam penes incuriam virorum feminarumque.* 3) ad partes et factiones spectat Hist. 1, 57 *superior exercitus*

speciosis senatus populique Rom. nominibus relictis — Vitellio accessit. scires illum priore biduo non penes remp. fuisse.

PENETRABILIS (Ovid., alii poetae, Justin.) Ann. 2, 61 *profunda altitudo, nullis inquirentium spatiis penetrabilis.*

PENETRALIS (Cic., Liv., Virg.) Ann. 2, 10 *penetralis Germaniae deos*, Lipsio interprete, quasi intimos penates; Ernest. ad h. l. penetrales, inquit, plane synonymi sunt penatibus, nisi quod illud poetis proprium olim fuit, auctore Cicerone N. D. 2, 27 *Dii penates, sive a penu ducto nomine, sive ab eo quod penitus insident, ex quo etiam penetrales a poetis vocantur.* Cf. Sen. Oedip. 265 *per regna juro — perque penetrales Deos;* Phoeniss. 340 *facibus petite penetrales Deos.* Sed melius fortase ap. nostrum *penetralis* secundo casu trahitur ad *Germaniae.* Cf. Agric. 30 *nobilissimi totius Britanniae, eoque in ipsis penetralibus siti, nec servientium litora adspicientes.*

PENETRARE 1) proprie, vulg. sign., sed insolentius junctum Ann. 15, 27 *iter L. Lucullo quondam penetratum.* 2) translate saepius et magis vario usu quam ap. priores Ann. 1, 69 *Id Tiberii animum altius penetravit;* 3, 4 *nihil tamen Tiberium magis penetravit quam studia hominum accensa in Agrippinam;* 14, 1 *haec atque talia, lacrimis et arte adulterae penetrantia* (sc. animum Neronis); 2, 36 *eam sententiam altius penetrare, et arcana imperii tentari;* — 3, 28 *altius penetrabant* i. e. plus sibi arrogabant; 15, 20 *una vox ejus usque ad contumeliam senatus penetraverat;* Hist. 4, 7 *ut in cujusque vitam famamque penetrarent* (eam perscrutarentur).

PENITUS ortum ex *pene intus*, adverbium, quod noli confundere cum adjectivo, cujus etiam comparationis gradus exstant, ita ut *peregre* triplicem habet significationem, cum proprie exprimat et ubi, et unde aliquid sit et quo proficiscatur. Saepius etiam quam Cicero h. v. utitur Tacitus Ann. 1, 11 *penitus abdere;* 2, 56 *penitus ad Medos porrigitur;* Hist. 2, 12 *penitus usque ad initium maritimarum Alpium;* Germ. 41 *non in ripa commercium, sed penitus;* Agric. 10 *influere penitus atque ambire;* cp. 45 *voces, quas penitus animo figeremus;* Dial. 30 *se omnis philosophiae partes penitus hausisse;* cp. 32 *praecepta prudentium penitus reformident;* Ann, 1, 52 *penitus sentire;* 2, 12 *penitus noscere.* Cf. Cic. de legg. 1, 5 *penitus ex intima philosophia hauriendam juris disciplinam putas;* Brût. 30 *quo judicio convulsam penitus* (in ihrem Innersten) *scimus esse rempublicam.* Inde idem fere

est quod *prorsus, omnino, valde* Cic. Off. 2, 8 *consuetudinem — penitus amisimus;* Tacit. Agric. 40 *ut militare nomen, grave inter otiosos, aliis virtutibus temperaret, tranquillitatem atque otium penitus auxit.*

PENSARE saepius ap. nostrum quam ap. Cic., Livium, alios quosdam legitur Hist. 3, 26 *ex temeritate spes; omnisque caedes et vulnera et sanguis aviditate praedae pensabantur;* 4, 74 *vitia erunt donec homines: sed neque haec continua, et meliorum interventu pensantur;* Agric. 22 *damna aestatis hibernis eventibus pensare;* Dial. 40 *nec bonae formam eloquentiae Cicero tali* (bono) *exitu pensavit* (Gron. interpr., non parem eloquentiae exitum nactus est); cf. Liv. 27, 40 *adversa secundis pensando;* 26, 37 *transmarinae quoque res quadam vice pensatae.*

PENSITARE i. q. examinare Ann. 12, 17 *diu pensitato Mithridatisne rebus extremis an patrio regno consuleret;* cf. Liv. 4, 41 *ne ab se imperatoria consilia, neu consulares artes exquirerent, quae pensitanda quoque magnis animis atque ingeniis essent.* Ita serioris praeterea aevi scriptt. locuti sunt; Cic. eo vocabulo usus est solvendae pecuniae, pendendi tributi significatione.

PER praepositionis ap. Tacitum creberrimus est usus. 1) Saepissime ponitur pro ablativo et cum hoc etiam conjungitur casu *per* junctum accusativo ad exprimendum modum, quo aliquid fit, qui alias haud raro adverbio vel adjectivo indicari solet. Ann. 1, 2 *per acies aut proscriptione cadere;* 2, 70 *irâ — per metum accipere;* Hist. 5, 15 *nox cantu — per iram acta;* Germ. 15 *non multum venatibus, plus per otium transigunt;* cp. 40 *per obsequium — proeliis;* Agric. 9 *virtute aut per artem;* — Ann. 1, 17 *ubi per nomen agrorum uligines paludum — accipiant;* 13, 9 *per nomen obsidum;* Hist. 1, 24 *per speciem convivii;* cp. 8 *per simulationem amicitiae;* cp. 79 *per turmas* (turmatim); Ann. 2, 52 *per vexilla et turmas componere;* 1, 8 *per annos;* 12, 27 *praedâ per luxum usos;* 14, 44 *per temeritatem proloqui;* cp. 34 *per catervas et turmas exsultabant;* 6, 31 *per vaniloquentiam jacere;* 11, 37 *adstitit tribunus per silentium;* Agric. 3 *senes prope ad ipsos exactae aetatis terminos per silentium venimus;* Ann. 12, 13 *societatem Meherdatis palam induerat, in Gotarzen per occulta et magis fida inclinabat;* 14, 5 *poenitentiam filii — per gaudium memorabat;* 3, 65 *per honestum insignis;* 2, 38 *per scelera supplere aerarium.* Cf. Cic. Att. 9, 14 coll.

Sall. Cat. 52 *per vim expulsus*; cap. 37 *per dedecora amittere patrimonia*; Jug. 2 *per luxum — aetatem agere*; cp. 64 *per amicitiam monere*; cp. 76 et Liv. 21, 52 *per otium*; Liv. 9, 30 *per speciem celebrandarum epularum*; 33, 14 *per speciem conloquendi*. 2) causam exprimit et ponitur pro ablat. vel *propter* praepositione. Agric. 41 *exercitus — temeritate aut per ignaviam ducum amissi*; cp. 37 *per nimiam fiduciam vulnus accipere*; Ann. 3, 70 *quasi per libertatem* i. e. ut libertatem prae se ferret; 1, 65 *per diversa nox inquies*; 3, 14 *judices per diversa implacabiles erant*; 1, 24 *per officium obvius*; 12, 10 *per reverentiam cedere*; Hist. 3, 22 *ordinem agminis disjecti per iram ac tenebras adseverare non ausim*; Ann. 14, 51 *civitati grande desiderium ejus mansit per memoriam virtutis et successorum — flagitia*; Agric. 6 *vixerunt mira concordia, per mutuam caritatem et invicem se anteponendo*; cp. 38 *per iram domos incendere*; Ann. 12 7 *per lasciviam — inludere*. Cf. Liv. 22, 59 *in acie per timorem arma tradere*; 31, 10 *per iram incensa urbe*; 26, 27 *per iram ac levitatem — crimen commentum*. 3) ad tempus et locum ita refertur, ut motum exprimat, ubi plerumque *in*, *inter* praepositionibus usurpatis alii scriptores quietum statum designant. Ann. 12, 12 *per illas gentes celebratur*; cp. 13 *per saltus vagi*; 11, 14 *in aere — per fora ac templa fixo*; 15, 17 *Paetus per Cappadociam hibernavit* (cf. Plin. H. N. 19, 30 *nascuntur in Balearibus ac per Hispanias*); Hist. 3, 13 *ceteris per militiae munera dispersis*; Ann. 11, 32 *ut quis reperiebatur in publico aut per tenebras*; 1, 15 *ut per circum triumphali veste uteretur*; — Hist. 2, 11 *per civilia arma*, während des Bürgerkrieges; Ann. 2, 13 *per seria per jocos eundem animum*; 11, 17 *per laeta per adversa res Cheruscas adflictabat*; 12, 12 *per otium*; cp. 13 *per quietem*; 11, 38 *ferrum frustra jugulo ac pectori per trepidationem admovens*; Hist. 3, 66 *id solum referre, novissimum spiritum per ludibrium et contumelias* (unter Spott und Schmach) *effundant, an per virtutem*; 4, 69 *per jurgia jactare*. 4) insolentius dicitur Dial. 35 *per fidem!* Cf. Cic. ad Brut. 2, 8 *per deum immortalium fidem*; Virg. Aen. 2, 141 *Quod te — per, si qua est, quae restet adhuc mortalibus usquam, intemerata fides, oro*.

PERAGERE *reum* est, eum, qui reus factus est, re vera in judicium abducere Ann. 4, 21 *receptus est reus neque peractus*. Cf. Liv. 4, 42 *vos autem si reum perago quid acturi estis?* Plin. Epist. 3, 9, 4 *Marium una civitas publice, multique*

privati reum peregerunt. Sed hoc utroque loco pro simplici *agere reum* s. *facere* dictum est *reum peragere,* et similes Ovidii et Valer. Maximi *locos contulit* Ernestius ad Ann. 4, 21; neque etiam Tacitus ab hac v. significatione multum recedit, cum ex solo orationis nexu, non ex ipsa re, aliquod exoriatur discrimen. Vide Brisson. de verborum, quae ad jus pertin., signif., in voce *Peragere* et Cort. ad locum Plinianum supra laudatum.

PERAMOENUS *ἁπαξλεγόμενον,* qualia multa sunt hujus generis etiam ap. alios scriptores Ann. 4, 67 *aestas — aperto circum pelago peramoena.* Cf. perseverus quae et ipsa vox ap. solum legitur Tacitum.

PERCARUS (Justin.) Ann. 6, 9 *Druso fratri percarus;* 13, 19 *Agrippinae diu percara;* 2, 74 *is infamem veneficiis ea in provincia et Plancinae percaram, nomine Martinam, in urbem misit.* Alia sign., de eo qui magno pretio venditur, legitur ap. Terent.

PERCELLERE, sicut *celsus, excellere, praecellere, procella,* orginem trahit ab antiquo *cello s. cillo* (unde *oscillare*) i. e. impello, moveo; est vero ita impellere, ut loco moveatur quod impulsum est (Plin. Paneg. 66 *quos improvisus turbo perculerat*); translata sign. animum quasi gradu dejicere, aus der Fassung bringen (Cic. Verr. 3, 57 *vox haec te non perculit, non perturbavit?*); percutere contra (a *per* et *quatio* derivandum) refertur ad ea quae concutiuntur quidem, sed loco non moventur (Virg. Ecl. 5, 83 *litora percussa fluctu*); transl. significatione exprimit non perturbatum, sed graviter ictum et saucium animum (Cic. Acad. 1, 3 *vulnere fortunae gravissimo percuti*). Sed nonnunquam ex sola scriptoris cogitatione pendet hujus inter utrumque vocabulum discriminis dijudicatio, quare haud raro in libris scriptis et editis confunduntur *perculsus* et *percussus.* Tacitus nunquam usus esse videtur percutiendi verbo, hac quidem sign. (propria legitur e. g. Ann. 4, 24 *principes Musulanorum — securi percutit*), nam Ann. 6, 44 ubi *percussus* exhibetur a libris scriptis, rectius cum I. Bekkero et aliis legitur *Tiridates simul fama atque ipso Artabano perculsus distrahi consiliis, iret contra an bellum cunctatione tractaret;* nam perturbatus erat Tiridates, consilii ambiguus, pavore trepidus, non affectu quodam diuturno percitus; Ann. 1, 12 *perculsus improvisa interrogatione paullum reticuit* (Tiberius); dein collecto animo *respondit cet.* (cf. Suet. Tib. 11 *perculsus igitur inopi-*

nata re, diu quid ageret incertus; Cic. Fam. 9, 25 ed. Schütz. T. III. p. 188 *repente perculsus est atrocissimis litteris);* Ann. 2, 39 *mancipii unius audacia, ni mature subventum foret, discordiis armisque civilibus remp. perculisset;* 4, 31 *Catus — Libonem indicio perculerat;* Hist. 2, 54 *cum repente Coenus — atroci mendacio universos perculit;* 1, 53 *quasque alias civitates atrocibus edictis aut damno finium Galba perculerat;* Ann. 14, 57 *Perculso Seneca* (quasi impulso; vide s. v. impellere) *promptum fuit Rufum Fenium imminuere;* Hist. 3, 36 *Atque illum in nemore Aricino desidem et marcentem proditio Lucilii Bassi — perculit;* Ann. 1, 28 mobiles *ad superstitionem perculsae semel mentes.* Multa turbavit in his locis Ernestius.

PERCOLERE 1) exornare (Plin. min.) Agric. 10 *quae priores nondum comperta eloquentiá percoluere.* 2) valde colere (Plaut.) Ann. 4, 68 *neque enim omiserat conjugem liberosque ejus percolere;* Hist. 2, 82 *plerosque senatorii ordinis honore percoluit.*

PERCURSARE (Liv., Plin. min.) Ann. 15, 8 *longinquis itineribus percursando quae obtineri nequibant — reduxit exercitum.*

PERFIDIOSUS Ann. 16, 32 *animo perfidiosus et subdolus.* Saepius h. v. ap. Ciceronem legitur, cum quo etiam adverbio utitur Suetonius.

PERFUGIUM v. in abstract.

PERFUNDERE v. in Prolegom. Zeugma.

PERGERE v. accusát. no. 4.

PERICULUM praegn. constr. v. in Proleg.

PERINDE 1) ut vulgo sequentibus *quasi, ac si, ac, atque, et* particulis: Ann. 4, 22 *quod perinde creditum quasi principis monitu;* 13, 47 *perinde tamen quasi convictus esset, cedere patria jubetur;* 12, 60 *decreta eorum perinde haberi jusserat ac si magistratus Romani constituissent;* cp. 69 *funeris sollenne perinde ac D. Augusto celebratur;* 13, 16 *perinde ignarum fuisse ac sororem;* Germ. 26 *auctumni perinde nomen ac bona ignorantur;* Hist. 3, 18 *haud perinde rebus prosperis ducem desideraverant atque in adversis deesse intelligebant;* Ann. 2, 2 *perinde odium pravis et honestis;* 16, 13 *servitia perinde et ingenua plebes;* Hist. 4, 43 *perinde dives et eloquentia clarus.* Et ap. Tacitum quidem pro *et* etiam *que* sequitur Ann. 1, 76 *perinde divina humanaque obtegens;* Hist. 2, 97 *perinde legati provinciaeque cunctabantur;* 4, 36 *miles secundis adversisque perinde in exitium ducum accen-*

debatur; 5, 6 *periti imperitique nandi perinde attolluntur*, qui usus proxime accedit ad ea quae no. 5. exponentur. Cicero, Liv., alii (vide Tursell.) praeterea *ut, tanquam, utcunque* adjungunt huic particulae; Plin. Pan. 20 *perinde prout* exhibet. 2) Saepius more argenteae aetatis *quam* subsequitur Ann. 4, 20 *provincialibus uxorum criminibus perinde quam suis plecterentur*; 6, 30. 46; 11, 10; 13, 21; 15, 21; Hist. 1, 30; 2, 27. 35. 39; 3, 58; 4, 2. 72. 3) Solus fortasse Tacitus *quam si* usurpat *perinde* particulae adjunctum Ann. 1, 73 *jusjurandum perinde aestimandum quam si Jovem fefellisset*; 13, 49 *cetera per omnes imperii partes perinde egregia quam si non Nero sed Thrasea regimen eorum teneret?* 4) haud perinde — quam, nicht sowohl — als vielmehr, vix ap. priores repereris Hist. 2, 39 *nec perinde dijudicari potest quid optimum factu fuerit, quam pessimum fuisse quod factum est*; Ann. 2, 1 *haud perinde nostri metu, quam fidei popularium diffisus*; cp. 5 *suum militem haud perinde vulneribus, quam spatiis itinerum, damno armorum adfici*; 14, 48 *haud perinde exitium Antistio, quam imperatori gloriam quaeri*; 15, 42 *exstruxit domum, in qua haud perinde gemmae et aurum miraculo essent — quam arva et stagna*; cp. 44 *haud perinde in crimine incendii quam odio humani generis convicti sunt*. Sed invenitur etiam vulgaris locutio non tam — quam e. g. Ann. 4, 17 *non tam caritate juvenum quam adulatione*. 5) absolute ponitur *perinde*, ut nonnunquam a prioribus quoque, Cic. Fam. 10, 24 (Planc.) *hunc filii loco substitutum non perinde habere*; Fin. 1, 21 *vivendi artem tantam tamque operosam et perinde fructuosam relinqueret?* Liv. 3, 44 *perinde uxor instituta fuerat*; 8, 17 *si perinde cetera processissent*; saepius ab argenteae aet. scriptoribus, saepissime a Tacito Ann. 1, 13 *L. Arruntius haud multum discrepans a Galli oratione perinde offendit*; 4, 17 *adulatio moribus corruptis perinde anceps, si nulla et ubi nimia est*; 6, 7 *perinde in foro, in convivio, quaqua de re locuti incusabantur*; cp. 31 *insigni familia ac perinde opibus*; 15, 36 *edicto testificatus non longam sui absentiam et cuncta in republica perinde* (sc. ac si adesset) *immota ac prospera fore*; cp. 37 *ipse, quo fidem adquireret, nihil usquam perinde laetum sibi, publicis locis struere convivia*; 16, 29 *quando et ille perinde innocens Tiberii saevitia concidisset*; idem est quod apud nos dem gemäß Hist. 2, 97 *integrum illic ac favorabilem proconsulatum Vitellius, famosum invisumque Vespasia-*

nus

nus egerat: perinde socii de imperio utriusque conjectabant; Ann. 12, 41 *spectaret populus hunc decore imperatorio, illum puerili habitu ac perinde fortunam utriusque praesumeret;* cf. Liv. 27, 8 *perinde laudaret castigaretque;* cp. 17 *quales ex hac die experiundo cognorit, perinde operae eorum pretium faceret;* 43, 8 *perinde ac debeant;* 28, 38 *perinde ac debellatum foret.* — Ita, Cicerone Livioque praeeuntibus saepissime non perinde, haud perinde i. e. non aeque, usurpatur Ann. 2, 63 *non Pyrrhum aut Antiochum populo Romano perinde metuendos fuisse;* 14, 21 *nec perinde magistratus rem familiarem exhausturos;* cp. 58 *Plauto parari necem non perinde occultum fuit;* 15, 43 *quoniam angustiae itinerum et altitudo tectorum non perinde solis vapore perrumperentur;* 12, 40 *haec conjunxi, ne divisa haud perinde ad memoriam sui valerent;* Hist. 1, 89 *intentis alimentorum pretiis, quae motu Vindicis haud perinde plebem adtriverant, secura tum urbe;* 4, 62 *intra vallum deformitas haud perinde notabilis: detexit ignominiam campus et dies.* — Haud raro ap. Tacitum ejusque aequales *haud perinde* absolute positum minus etiam quam locis quibusdam modo allatis comparationem exprimit, et idem fere valet quod haud ita valde, haud magnopere, nicht eben, nicht sonderlich, nec desunt prorsus priorum exempla; Livius saltem 4, 37 in hunc modum locutus est: *nec perinde patres moti sunt, et C. Sempronius — neglegenter egit;* Tacit. Ann. 2, 88 *Arminius canitur adhuc barbaras apud gentes, Graecorum annalibus ignotus, qui sua tantum mirantur, Romanis haud perinde* (ac meruit, quam ap. populares; sed vix innuitur haec comparatio) *celebris, dum vetera extollimus, recentium incuriosi;* 4, 61 *Q. Haterius familia senatoria, eloquentiae, quoad vixit, celebratae; monimenta ingenii ejus haud perinde retinentur;* Hist. 2, 84 *quae gravia — etiam in pace mansere, ipso Vespasiano inter initia imperii ad obtinendas iniquitates haud perinde obstinante, donec indulgentia fortunae et pravis magistris didicit aususque est;* Germ. 5 *possessione et usu* (auri) *haud perinde adficiuntur* (ac nos Romani et omnes fere aliae nationes, quae Bredowii est explicatio h. l.; cf. Justin. 2, 2 de Scythis. *Aurum et argentum perinde aspernantur ac reliqui mortales appetunt);* Agric. 10 *mare pigrum et grave remigantibus perhibent ne ventis quidem perinde attolli,* ubi Walchius contulit *οὐχ ὁμοίως, μὴ ὁμοίως* (Thiersch. in Act. Phil. Mon. T. III. Fasc. 3. p. 466 *οὐχ οὕτως, οὐ τόσον)* et similem vocis *totidem* usum, omisso

relativo Germ. 26 *unde annum quoque ipsum non in totidem digerunt species;* Curt. 3, 3, 10 *quippe Persis quoque in totidem dies descriptus est annus.* Ceterum male idem ille hunc locum transtulit „Nicht von Winden einmal werde wie anderswo es erhoben." Nam latet quidem comparatio in omnibus his locis, sed non exprimitur, ut nos quoque dicimus nicht so sehr pro nicht sonderlich. Vide Ruhnk. in praef. ad Schelleri Lexicon. — Haud pauci Germ. 5; Agric. 10; Ann. 12, 60; Hist. 1, 30 non *perinde* legunt, sed PROINDE; I. Bekkerus omnibus his locis retinuit *perinde*, neque est cur credas, Tacitum promiscue usum esse his vocibus, praesertim cum in aliis quoque vocabulis usurpandis summam prae se ferat constantiam (cf. e. g. juventa, familia), librorumque fides in hac re non satis certa sit, quod *per* et *pro* particulae eodem modo exaratae leguntur in Mss. Vide Cort. ad Sall. Cat. 12, 5. Permutari inter se *perinde* et *proinde* apud optimos scriptores nullo prorsus modo dubitari potest. Cf. praeter locum Sallustii, Cic. Fam. 10, 31 (Pollio) *quem—nequaquam proinde ac dignus est oderunt homines;* Att. 3, 13 *proinde habebo ac si scripsisset nihil esse;* Nepos Lys. 2, 2, ubi Bremius laud. Ruhnk. ad Rutil. Lup. p. 31; Alcib. 6, 1. 4; Sall. Jug. 4. 8. et prae ceteris Lucret., qui saepissime utitur *proinde* particula, ne admittente quidem versu *perinde*. Ita Virgilius quoque usurpavit *proinde* Aen. 11, 383 *proinde tona eloquio solitum tibi: meque timoris Argue tu, Drance;* sed propria significatione, qua exprimit nostrum demnach, ut ap. Tacitum Ann. 12, 22 proin (cf. deinde) *publicatis bonis cederet Italia;* Agric. 32 *proinde ituri in aciem et majores vestros et posteros cogitate.* Vide Drakenb. ad Liv. 2, 58, 1; 3, 44, 2; 27, 8, 18; Hess. ad Germ. 5 et ejusdem varr. lectt. in Germ. 1. p. 10 et 2. p. 9.; Heindorf. ad Cic. N. D. 2, 38. 96.; Herzog. et Moeb. ad Caes. B. G. 7, 66; Walch. Emendd. Liv. p. 31; Heusing. ad Nep. Lys. 2, 2; Görenz ad Cic. legg. 2, 19 p. 179; Tursellin. de partic. et Ramsh. Gr. Lat. p. 589.

PERMEARE Ann. 1, 50 *saltus obscuros permeat;* idem fere est quod *scindere* h. l., et plus valet quam *pervadere* (quod exprimit Ann. 12, 13 *permeant Adiabenos);* omnino crebiorem transitum designare videtur. Ann. 15, 9 *in quos saxa et hastae longius permeabant;* Cic. Acad. 4, 37 *solem, lunam — deos esse, quod quaedam animalis intelligentia per omnia ea permeet et transeat;* Plin. H. N. 10, 29 *Larius lacus, ad quem ciconiae non permeant* i. e. non usque

ad eum perveniunt commeantes. Cf. meare, commeare, remeare.

PERNICIABILIS praeter Curtium 7, 3 ap. unum Tacitum legitur; *pernicialis* etiam Livius habet. Ann. 4, 34 *id perniciabile reo. Vide Drakenb.* ad Liv. 27, 23, 6.

PERNIX et PERNICITAS magis argenteae quam aureae aetati frequentantur Hist. 2, 13 *pernix genus et gnari locorum*; 3, 40 *pernicibus nuntiis.* — Ann. 2, 68 *mox pernicitate equi ad amnem Pyramum contendit*; 4, 45 *pernicitate profugus*; Hist. 1, 79 *adempta equorum pernicitate*; Germ. 46 *pedum usu ac pernicitate gaudent*, quae vera est lectio, non *peditum*. Cf. Liv. 22, 59 *nisi pernicitatis pedum et cursus aliquod praemium est.* Doederl. Synon. 2. p. 126 a *niti* derivat h. v.

PERNOTESCERE (Quintil.) Ann. 1, 23 *ni-pernotuisset*; 13, 25 *ubi Caesarem esse qui grassaretur pernotuit*; 14, 8 *ubi incolumem esse pernotuit.*

PERORARE vulgo finem imponere orationi, sed Cicerone praeeunte (*causam perorare*) est etiam cum intentione animi vocisque orare, dicere, maxime arg. aetate Ann. 2, 30 *certabant, cui jus perorandi*; 3, 17 *cum accusatores et testes certatim perorarent* (4, 28 rectius legitur *orante filio*; vide orare); Plin. H. N. 29, 1 *rabie quadam in omnes aevi medicos perorans.*

PERORNARE Ann. 16, 26 *senatui quem perornavisset* (Thrasea), *infamiam tanti flagiti detraheret.* Adjectivo *perornatus* i. e. valde ornatus Cicero semel usus est. Verbum inter priores quidem et arg. aet. scriptores nemo praeter Tacitum usurpavit.

PERPELLERE vide infinit.

PERPOPULARI (Liv.) Ann. 14, 26 *quos nobis ob regem aversos animis cognoverat, caedibus et incendiis perpopulatus.*

PERROGARE i. e. ad unum omnes interrogare, qua sign. Liv. quoque usus est h. v. Hist. 4, 9 *cum perrogarent sententias consules.* Apud Valer. Max. *perrogare legem* est ita rogare ut perferatur.

PERRUMPERE maxime Tacito freq. Ann. 1, 51 *perruptum hostem*; 4, 51 *munimenta — perrupta*; Hist. 2, 44 *media acie perrupta*; 3, 2 *duae alae perrupere hostem*; Ann. 12, 56 *perrupto monte*; 15, 7 *hostia semifacta opera fugâ perrupit*; cp. 43 *quoniam angustiae itinerum et altitudo tectorum non perinde*

solis vapore perrumperentur; Hist. 2, 15 *perrupta castra.* Horum similia exempla etiam ap. Liv. invenias; insolentiora sunt Ann. 4, 40 *magistratus et primores, qui te invito perrumpunt* („sc. fines istos, intra quos continere te vis, modestiam tuam, qui vim faciunt modestiae tuae, eam expugnant" Rupert.); cp. 67 *ne quis quietem ejus inrumperet;* 3, 15 *ne quo adfectu perumperetur* (Tiberius); vide accusat.

PERSEVERUS ἁπαξλεγόμενον Ann. 15, 48 *imperium perseverum.* Cf. peramoenus.

PERSONARE Ann. 16, 4 *plebs personabat certis modis plausuque composito;* 14, 15 *plausibus personare formam principis.* Vix ap. alium hanc v. structuram invenias; verbo ipso non solum poetae sed etiam Cicero utitur.

PERSTATUR imperson. Ann. 13, 37 *si perstaretur in bello;* cf. Liv. Epit. 49 *Catonis sententia pervicit, ut in decreto perstaretur.*

PERSTIMULARE ἁπαξλ. Ann. 4, 12 *tumidos spiritus perstimulare.*

PERSTRINGERE i. e. leviter carpere, pungere, praeeunte Cicerone freq. Tacito Ann. 1, 13 *suspicacem animum perstrinxere;* 2, 59 *Tiberius, cultu habituque ejus lenibus verbis perstricto acerrime increpuit quod cet;* 4, 17 *modice perstricti;* 5, 2 *consulem oblique perstringens;* cp. 11 *Regulum oblique perstrinxerat;* Hist. 1, 85 *ad perstringendos mulcendosque militum animos;* Dial. 27 *si quid forte aures vestras perstringet.*

PERSULTARE (Lucret., Liv., arg. aet. scr.) Ann. 4, 47 *qui ante vallum more gentis cum carminibus et tripudiis persultabant;* 12, 40 *late persultabant, donec adcursu Didii pellerentur;* Hist. 3, 49 *ut captam Italiam persultare;* 5, 15 *Germani notis vadis persultabant;* Agric. 37 *rariores silvas equitem persultare.*

PERTENTARE (Terent., Cic., Liv. 27, 10, 2; arg. a. scriptt.) Ann. 6, 20 *diversis sermonibus pertentatum — adlocutus;* Hist. 1, 25 *data pecunia ad pertentandos plurium animos;* cp. 29 *placuit pertentari animum cohortis;* 2, 49 *cum utrumque* (pugionem) *pertentasset.*

PERVADERE Ann. 1, 69 *pervaserat — fama* i. e. venerat ad castra hiberna; 15, 39 *pervaserat rumor* sc. urbem. Ita Liv. quoque exhibet *pervasit rumor* 24, 31. Plerumque additur accusat. Vide Drak. ad Liv. 5, 18, 10.

PERVICAX, PERVICACIA in universum quidem eo differunt, Nonio teste, a pertinax, pertinacia, quod hae

voces semper ad malarum rerum, illae vero etiam ad bonarum perseverantiam pertinent. Sed plerumque *pervicax* et *pervicacia* quoque malo sensu usurpantur; cf. Cic. Tusc. 4, 11; Liv. 9, 34; 42, 62; cp. 14; media quasi vox est. Liv. 42, 7 *pugna pervicax;* Tacit. Germ. 24 *Ea est in re prava pervicacia: ipsi fidem vocant;* in bonam partem accipienda Hist. 4, 5 *recti pervicax, constans adversus metus;* Ann. 1, 19 *pervicacia victi* (ipsius Blaesi, et si qui alii fortiter obsisterent, quae Lipsii est interp.); 12, 20 *quanta pervicacia in hostem, tanta beneficentia adversus supplices utendum;* Plin. H. N. 17, 20 *perdurandi pervicacia;* in malam contra partem Ann. 4, 53 *Agrippina pervicax irae;* 3, 33 *pervicacibus magis et impotentibus mulierum jussis;* 13, 33 *pervicaci accusatione conflictatus postremo defensionem omisit;* 4, 42 *Caesar objectam sibi adversus reos inclementiam eo pervicacius amplexus.*

PERVIGERE ἁπαξλ. Ann. 4, 34 *opibusque atque honoribus perviguere.*

PERVIGIL qui data opera somnum a se amovet Ann. 1, 65 *insomnes magis quam pervigiles.* Ita Ovid., Plin. min., Justin. saepius loquuntur. Cicero hac sign. *pervigilare* et *pervigilatio* usurpat.

PERVIGILIUM Hist. 2, 68 *apud Vitellium omnia indisposita, temulenta, pervigiliis ac Bacchanalibus quam disciplinae et castris propiora;* Ann. 15, 44 *sellisternia ac pervigilia celebravere feminae.* Ita Liv. quoque usurp. h. v. 23, 35, 18; saepius Sueton. et huj. aet. scriptt., etiam sensu latiori de nocte sine somno peracta.

PERVINCERE 1) i. q. vincere (Plaut.) Ann. 11, 10 *multum certato pervicit Bardanes.* 2) obtinere, persuadere, cum accusativo (Catull.) Ann. 14, 14 *Burro visum, ne utraque pervinceret, alterum concedere;* 12, 59 *quod patres — pervicere;* sequente *quin* particula (ap. Cic. et Liv. *ut* et *ne* junguntur huic verbo) Ann. 15, 57 *at illam non verbera — pervicere quin objecta denegaret.*

PHARSALIA pro Pharsalus Hist. 1, 50; 2, 38; Liv. Epit. 111; Ovid. Met. 15, 823; Catull. 65, 37. Cf. Drakenb ad locum Liv.

PIACULUM Ann. 1, 30 *non aliud malorum levamentum quam si linquerent castra infausta temerataque, et soluti piaculo suis quisque hibernis redderentur;* Liv. 29, 18 (et saepius) *ne, quod piaculum commiserunt, non suo solum san-*

guine, sed etiam publica clade luant. Ipsum igitur est scelus piaculo purgandum et, quae addit Freinsh. ad l. l. Taciti, omne id quod culpae quoquo modo cohaeret. Propria sign. legitur Ann. 1, 49 *piaculum furoris*; 15, 44 *mox petita diis piacula.*

PIGER Germ. 45 *Trans Suionas aliud mare, pigrum ac prope immotum*; Agric. 10 *mare pigrum et grave.* Ita Ovid. *palus pigra* exhibet, Plin. H. N. *aquae pigrae*, Plin. alter *rivus pigrior.* Vide et hos et alios locos similes in adnot. Hessii ad Germ. 45.

PIGET, *pigeat, pigebat, pigeret, piguit, pigitum est, pigere* apud alios quoque reperiuntur; ap. solum fortasse Tacitum *piguerat* Ann. 15, 25.

PIGNORA de parentibus, liberis, uxoribus, omnino de cognatis usurpatur a Quintil., Plin. min. et nostro maxime Ann. 12, 2 *haudquaquam novercalibus odiis usura in Britannicum et Octaviam, proxima suis pignora*; 15, 36 *ut in privatis necessitudinibus proxima pignora praevalerent, ita populum Rom. vim plurimam habere*; 16, 26 *ne in conjugem, in familiam, in cetera pignora ejus saeviret*; Germ. 7 *et in proximo pignora, unde feminarum ululatus audiri, unde vagitus infantium*; Agric. 38 *aliquando frangi adspectu pignorum suorum, saepius concitari.*

PIISSIMUS v. strenuissimus.

PLACAMENTUM (Plin. maj.) Ann. 15, 44 *non — deum placamentis decedebat infamia, quin jussum incendium crederetur*; Hist. 1, 63 *stratis per vias pueris feminisque, quaeque alia placamenta hostilis irae.*

PLACATUS paullo insolentius usurpatur sign. latiore, qua non solum ad deos hominesve placandos pertinet, sed omnino favorem et benevolum animum exprimit Ann. 2, 8 *precatus Drusum patrem ut se eadem ausum libens placatusque* (Liv. 1, 16 *volens propitius*) *exemplo ac memoria consiliorum atque operum juvaret.* Cf. Schütz. Lex. Cic. s. v. *placare* et *placatus*; Drakenb. ad Liv. 3, 9, 10.

PLACITUS, A, UM (poet. et Justin.) Ann. 2, 66 *nec tamen Caesar placitas semel artes mutavit*; 4, 37 *placitum jam exemplum promptius secutus sum.* — P l a c i t u m, u t Ann. 1, 36 *igitur volutatis inter se rationibus placitum, ut epistolae nomine principis scriberentur,* etiam ap. Ciceronem aliosque invenitur; s e q u e n t e i n f i n i t i v o, qui ap. priores activo tantum conjungi solet Ann. 6, 7 *placitum eandem poenam*

inrogari; 4, 19 hos conripi, dilato ad tempus Sabino, placitum, et passim. — Ann. 14, 22 *ipse placita majorum colebat,* ut ap. Cic. legitur *placita philosophorum,* i. e. praecepta.

PLEBS (plebes vide in Heteroclit.) reip. temporibus opp. *optimatibus,* ut Ann. 4, 32 *plebis et optimatium certamina libero egressu memorabant;* Hist. 2, 38 etiam *senatui,* cui alias populus opponi solet: *inter patres plebemque;* unde *plebs ingenua* quoque dicitur Ann. 4, 27. Eodem fere modo, ubi barbarae gentes memorantur, *plebs* opponitur *primoribus,* e. g. Ann. 2, 19. — Haud raro conjuncta legitur cum hoc vocabulo *populi* vox (proprie civitas, quae iisdem institutis legibusque continetur), eaque milite et magistratibus exceptis omnes cives complectitur, quatenus civitatis corpus constituunt, dum *plebs* ad singulas urbis tribus pertinet (utrumque conjunctum est Ann. 1, 2 *ubi militem donis, populum annona, cunctos dulcedine otii pellexit)* Ann. 1, 8 *populo et plebi quadringenties tricies quinquies sestertium dedit;* cf. Suet. Oct. 101 *Legavit populo Romano quadringenties, tribubus tricies quinquies sestertium.* Hist. 1, 82 *rarus per vias populus* (cives, etiam nobiles opp. militibus), *moesta plebs* (vulgus); cp. 40 *neque populi aut plebis ulla vox; sed adtoniti vultus et conversa ad omnia aures;* Agric. 43 *vulgus* (plebs) *quoque et hic aliud agens populus ventitavere ad domum.* Cf. gens.

PLENITAS Dial. 23 *sententiarum plenitas.* Praeterea Vitruv. de nubium, humoris copia usurp. h. v.

PLEONASMUS v. in Prolegom.

PLERIQUE ap. alios, (e. g. Liv. 10, 13; Quintil. 6, 4, 9 et Wopk. ad Ann. 4, 9 monente etiam Nep. Timoth. 4 (et saepius); Cic. Inv. 1, 36; Off. 1, 14; Sext. 35.) saepissime ap. Tacitum non maximum sed more superlat. magnum dumtaxat numerum exprimit: Hist. 4, 84 *deum ipsum multi Aesculapium, — quidam Osirin, — plerique Jovem, — plurimi Ditem patrem — conjectant;* 1, 86 *rapti e publico plerique, plures in tabernis et cubilibus intercepti;* 4, 68 *turbidus miscendis seditionibus et plerisque gratus vecordi facundia;* Ann. 3, 28 *apud quos exsoluti plerique legis nexus modicum in praesens levamentum fuere;* 4, 9 *Memoriae Drusi eadem, quae in Germanicum, decernuntur, plerisque additis, ut ferme amat posterior adulatio;* cp. 20 *pleraque ab saevis adulationibus aliorum in melius flexit;* 6, 7 *nobis pleraque digna cognitu obvenere, quamquam ab aliis incelebrata;* cp. 22 *multos — beatos, ac plerosque — miserrimos. Ceterum plurimis mortalium*

non eximitur cet; 11, 8 *inter Gotarzis pleraque saeva — accivere Bardanen*; 12, 35 *plus vulnerum in nos et pleraeque caedes oriebantur*; 13, 6 *pleraque in summa fortuna auspiciis et consiliis quam telis et manibus geri*; cp. 25 *milites sibi et plerosque gladiatores circumdedit*; 15, 63 *novissimo quoque momento suppeditante eloquentiâ — pleraque tradidit, quae in vulgus edita ejus verbis invertere supersedeo*; Agric. 1 *ac plerique suam ipsi vitam narrare fiduciam potius morum quam adrogantiam arbitrati sunt*; Dial. 17 *vidistis plerosque senes qui cet*; cp. 31 *incidunt enim causae plurimae quidem ac paene omnes, quibus juris notitia desideratur, pleraeque autem, in quibus hae quoque scientiae requiruntur*. Sed in quibusdam locis melius fortasse retinetur vulgaris significatio. Cf. plerumque.

PLERUMQUE interdum est i. q. saepe, nonnunquam, Ann. 4, 57 *plerumque permoveor, num — verius sit*; Dial. 15 *ut causas hujus infinitae differentiae scrutetur ac reddat, quas mecum ipse plerumque conquiro*; sed Hist. 3, 85, quem locum Walch. ad Agric. 2. p. 108 in hanc rem adtulit, minus huc referri posse videtur. Vix ap. alios hunc usum invenias. Cf. plerique.

PLURALIS 1) abstractorum quae dicuntur, quaeque plerumque animi motus eorumque varios modos sed aliarum etiam rerum, conditiones ac rationes exprimunt, praeterea earum vocum quae res designant externas, maxime ad tempestatem pertinentes, mole sua vehementiaque insignes, nulli magis frequentatur quam Tacito: Ann. 1, 10 (14, 33; Hist. 2, 5. 66. 95) *privata* odia; 4, 50 *abrumpendas pariter spes ac* metus; cp. 71 *metus suos senatui fateretur* (cf. 14, 57; Hist. 2, 12; 4, 5); Hist. 4, 38 (cf. 2, 76) *falsos* pavores *induerat*; Hist. 2, 32 *multa bella per* taedia *et moras evanuisse*; Ann. 14, 4 *ferendas parentum* iracundias; Hist. 2, 4 mentes *provinciarum*; 1, 84 *quem nobis animum, quas mentes imprecentur*; Agric. 19 animorum *prudens*; Ann. 1, 74 *formam vitae iniit, quam postea celebrem miseriae temporum et* audaciae *hominum fecerunt*; 13, 38 *cuicunque mortalium — barbarae* astutiae *patuissent*; 4, 54 simulationum *nescia*; 12, 11 ingenia *regum ferenda* (ihre Launen); 13, 46 *ne in urbe* aemulatus *ageret*; Hist. 2, 92 *variis in hunc aut illum Vitellii* inclinationibus; Ann. 6, 4 (cf. 13, 50) *ne curas imperatoris conquisitis insuper* acerbitatibus *augerent*; 11, 38 tristitiis *multis*; 6, 27 *tot* luctibus *funesta civitate*; 3, 45 *memorare veteres Gallorum* glorias;

4, 71 cunctationes *principis;* cp. 67 *occultos in* luxus — *resolutus;* 2, 82 *passim* silentia *et gemitus, nihil compositum in ostentationem;* cp. 28 *Libonem ornat praeturâ,* convictibus *adhibet;* Hist. 4, 28 *Civilem immensis* auctibus *universa Germania extollebat;* Germ. 2 *ipsos Germanos indigenas crediderim, minimeque aliarum gentium* adventibus *et hospitiis mixtos;* Hist. 3, 2 — *emollitos, aut* valetudinibus (v. h. v. suo loco) *fessos;* Ann. 16, 16 (et passim) *obitas pro republica* mortes; 4, 40 *de* inimicitiis *primum Agrippinae* (se acturum); 1, 58 *amicos inimicosque ex vestris* utilitatibus *delegi;* Hist. 3, 52 *cunctandi utilitates edisserens* (vide Dronkium ad Dial. 9); Ann. 1, 11 *tributa aut vectigalia, et* necessitates (v. quae dicta sunt s. hac voce) *ac largitiones; 2, 27 socius libidinum et necessitatum;* Hist. 2, 80 *provinciales sueto militum contubernio gaudebant, plerique* necessitudinibus *et* propinquitatibus *mixti;* Ann. 4, 40 *quibus adhuc necessitudinibus immiscere te mihi parem omittam ad praesens referre;* Germ. 7 *non casus nec fortuita conglobatio turmam aut cuneum facit, sed familiae et propinquitates.* — Ann. 3, 17 venena *et artes tam feliciter expertas verteret in Agrippinam;* 1, 18 *congerunt* cespites, *exstruunt tribunal;* Hist. 5, 6 *praecipuum montium Libanum erigit* (terra), *mirum dictu, tantos inter* ardores *opacum fidumque* nivibus; Ann. 12, 13 *nivibus et montibus fessi;* Hist. 2, 32 *corpora sueta* aestibus; Ann. 4, 64 *statuam vim* ignium *bis elapsam;* Hist. 4, 23 *oppugnatores ignibus* (titionibus) *petebantur;* Ann. 1, 76 *continuis imbribus;* Hist. 5, 6 *rari imbres* et sic passim. Multus etiam est in hoc usu Cicero.; cf. de sen. 6 *velocitates;* Verr. 3, 69 *turpitudines;* cp. 89 *audaciae;* Planc. 42 *in meis acerbitatibus;* Mil. 26 *infidelitates, fugae, timiditates;* Dejot. 14 *incolumitates;* Phil. 2, 3 *impuritates;* Fam. 3, 1 *suavitates ingenii;* Att. 1, 17 *vidi — et sollicitudines et laetitias tuas;* Fin. 1, 20 *odia, invidiae, despicationes;* 4, 27 *omnes avaritiae;* de orat. 1, 1 *asperitates rerum;* Brut. 84 *crebrae assensiones, multae admirationes;* Or. 71 *Eloquens — qui non approbationes solum, sed admirationes, clamores, plausus — movere debet;* pro Quint. 14 *formidines opponantur; R.* Amer. 24 *conscientiae animi;* Off. 1, 36 *tarditates;* Att. 6, 8 *navibus tranquillitates aucupari.* Minus saepe ceteri hoc loquendi modo utuntur. Cf. Liv. Epit. 58 *tot indignitatibus commotus;* 2, 34 *indignitates pati* (v. Caes. B. G. 2, 14); 25, 1 *secretae bonorum indignationes;* 30, 33 *metus;* 28, 1 *asperitates viarum;* 5, 6

nives (pruniae, imbres); Sall. Jug. 85 *potestates*. Alia quaedam vide in Zumpt. Gr. Lat.

2) **Pluralis pro singulari usurpatur** a) more poetico ad augendam orationis vim, ut *vina*, *mella*, *colla* et al. similia leguntur ap. poetas. Cf. Voss. ad Virg. Georg. 2, 273 p. 592; Soph. Ajax. 1410. πλευράς. Ann. 2, 11 *Caesar nisi pontibus praesidiisque impositis, dare in discrimen legiones haud imperatorium ratus, equitem vado tramittit*. Ita Plancus ap. Cic. Fam. 10, 23 *pontes*, ait, *quos feceram interrupi*, et tamen epist. 15 idem ille singulari utitur de eodem ponte; Suet. Claud. 1 *fossas Drusinas* vocat, quas. sing. exprimit Tacitus Ann. 2, 8. — Agric. 5 *trucidati veterani, incensae coloniae, intercepti exercitus*, ubi una Camuloduni colonia unaque legio *indicantur*. Vide Walch. adnot. ad h. l. et Ann. 14, 32. — Agric. 15 *Sic* Germanias (magna est, non Romana, quae in inferiorem ac superiorem divisa erat) *excussisse jugum; et flumine, non Oceano defendi*. — Minime vero huc referendae sunt voces *parentes, liberi, filii* Ann. 2, 71. 57; nam priori loco, quem pravissime intellexit Ramsh. in Gr. Lat. p. 659. *parentes* exprimit et Antoniam matrem et patrem Tiberium, qui adoptaverat Germanicum; *liberi* autem ad omnes liberos pertinet, quos multos habuit Germanicus; alterum ad locum quod attinet cp. 57 *ipsumque* (Pisonem) *et Plancinam et filios variis modis criminari*, unus quidem aderat dumtaxat filius (Ann. 3, 16), alter Romae remanserat; sed ad utrumque pertinet oratio, cum absens quoque suspectus esset Germanici amicis. — b) **pluralis** qui dicitur **majestaticus**, et cujus eadem fere ratio est, cum ad augendam orationis vim et alacritatem valeat, (cf. Passow. ad Germ. 29; Walch ad Agric. p. 409), haud raro cum singulari conjungitur: Ann. 3, 16 *quorum neutrum adseveraverim: neque tamen occulere* debui *narratum ab iis, qui* nostram *ad juventam duraverunt*; 14, 43 *simul, quidquid hoc in* nobis *auctoritatis est, crebris contradictionibus destruendum non* existimabam; Hist. 4, 5 *quia iterum in mentionem* incidimus *viri paucis* repetam; Agric. 43 nobis *nihil comperti adfirmare* ausim, ubi v. Walch. Cf. Cic. Fam. 5, 12 ad Luccejum: Ardeo *cupiditate incredibili — nomen ut* nostrum *scriptis illustretur et celebretur tuis*; 2, 11 *totum negotium non est dignum viribus* nostris, *qui majora onera in republica sustinere et* possim *et* soleam; Ter. Adelph. 5, 4, 23 *age nunc jam*, experiamur *porro contra, ecquid* ego *possiem*; Sall. Cat. 51 *possumus equidem*. c) Saepissime plur.

cum singulari collectivorum quae dicuntur conjungitur: Ann. 1, 44 *seditiosissimum* quemque *vinctos trahunt*; 2, 24 pars *navium haustae sunt*; 4, 6 plebes *agitabantur*; Agric. 27 exercitus (famâ ferox) *nihil virtuti suae invium* — *fremebant* (*classis* — *fugerunt* ap. Livium.); Ann. 12, 40 *valida et lecta armis* juventus *regnum ejus invadunt*; 4, 5 *dehinc*-quantum *ingenti terrarum sinu ambitur, quattuor legionibus* coercita. d) huc pertinent alia quaedam in hunc modum insolentius dicta; integrae sententiae substantivorum vice fungentes cum plurali conjunguntur Ann. 12, 65 *ceterum* objecta sunt *quod conjugium principis devotionibus petivisset, quodque parum coercitis per Calabriam servorum agminibus pacem Italiae turbaret*. Cf. exemplum infra allatum Hist. 2, 82. Attractionis genus est Hist. 1, 84 *muta ista et inanima intercidere ac reparari* promiscua sunt. Cf. praeterea quae minus recedunt a ceterorum scriptorum usu, quaeque demonstrant, Tacitum uti amare plurali numero, ubi verbum praecedit, singulari, ubi subsequitur nomina: Ann. 6, 1 *si* retinerent (eos) *propinquus aut parens*; Hist. 2, 82 *sufficere* videbantur *adversus Vitellium pars copiarum et dux Mucianus et Vespasiani nomen ac nihil arduum fatis*; Hist. 2, 32 *publicas privatasque opes et immensam pecuniam inter civiles discordias ferro* validiorem; Ann. 6, 4 *accusator ac reus juxta invisi gratissimum spectaculum* praebebatur; 13, 37 *Insechi, gens ante alias socia Romanis, avia Armeniae* incursavit.

POENITERE v. accusat.

POETICUS stili Tacitei color v. in proleg.

PONE i. q. post Ann. 2, 16 *pone tergum insurgebat silva*, et sic praeterea nonnullis locis; usus h. v. omnino rarior, sed invenitur etiam ap. Cic. de univ. 10. 15 et Liv. 44, 16.

PONERE pro composito proponere Ann. 1, 7 *posuit edictum*; 4, 27 *positis propalam libellis*. Similes Ciceronis aliorumque locos vide apud Forcellin.

PONTIFICATUS dignitatem sibi reservarunt imperatores usque ad Gratiani tempora. Cf. Ann. 1, 3 et Walch. ad Agric. 10.

POPULUS v. s. v. plebs.

PORRO idem fere significat quód *denique*, complectens ea quae praecedunt Agric. 15 *porro in ejusmodi consiliis periculosius esse deprehendi quam audere*; cp. 31 *virtus porro ac ferocia subjectorum ingrata imperantibus*. Vide similia

Ciceronis, Livii, aliorum exempla in Tursell. de part. Cf. prorsus.

POSITIO *coeli* Agric. 11, qua significatione sola argentea aetas usurpasse videtur h. v. Cf. Plin. Epist. 10, 59 (Trajani est) *loci positio;* Seneca cons. ad Helv. 6 *urbium amoena positio.*

POSITUS, US Ann. 4, 5 *positu regionis;* 6, 21 *positûs siderum;* cf. Sall. Hist. 6. p. 1003 *positus insulae.* Ovid. quoque et Celsus usi sunt h. v.

POSSESSIO i. q. occupatio Ann. 2, 5 *at si mare intretur, promptam ipsis possessionem et hostibus ignotam.* Ita recte sane cum libris Gronovius, non *profectionem* exhibet, *possidere* interdum idem esse dicens quod *occupare,* ut Hist. 3, 8. 59 *possessa ipso transitu Vicetia* et *possessa Mevania;* Agric. 18 *Monam insulam, cujus possessione cet.,* et similes Caesaris Liviique locos affert, quibus adde Liv. 42, 23 *amplius septuaginta oppida — biennio proximo Masinissam vi atque armis possedisse.* Sed minus recte Gronovius illo loco *possessio* refert ad mare facile occupatu Romanis. Solus Wolfius rectum verumque vidit, dicens „possessio vel actio est *τοῦ κτᾶσθαι* i. e. occupandi, vel status et condicio *τοῦ κεκτῆσθαι,* habendi: si prius, a verbo *possido,* si posterius, a *possideo.* Locus autem, quem proelio delectum occupavimus, hostique eripuimus, noster habetur, utpote in potestate nostra. Jam de agro, de loco proelii intelligenda sunt verba, siquidem: Cursu maritimo Romanis facile fore occupare hostilem agrum, aequa loca ad Visurgim seu media in Germania, ipsis insciis Germanis. — Si quid durum residet, in brevitate est, sed aptum rei et stylo hujus scriptoris.“ Recte se habere hanc interpretationem patet etiam ex iis quae opposita sunt inter se *fundi — paludibus* et *promptam ipsis possessionem,* tum *brevi aestate et praematura hieme* et *bellum maturius incipi* cet. Cf. potiri.

POSSIDERE v. in praeced.

POSTQUAM et a Tacito et ab aliis scriptoribus non solum cum perfecto, quod quidam unum rectum esse opinantur, sed etiam cum praesente, imperfecto et plusq. conjungitur: Ann. 14, 44 *postquam — habemus;* cp. 60 *p. — videt;* 15, 45 *p. non concedebatur;* Hist. 2, 19 *p. nox adpetebat;* Ann. 2, 65 *p. dolum intellexerat;* Hist. 2, 68 *p. — ciderat;* 3, 47 *p. — verterat.* Cf. postquam videt et vident Liv. 4, 10; 6, 8; 34, 15; a. b. Afric. 73; Sall. Cat. 21. 40. 60 (vide Cort.

ad Jug. 52, 6); Jug. 15, 20 (*p. — discessere et Jugurtha videt*); 76. 79. 61. 86. 69 (*p. — sese parum expurgat*; 80 (*p. — putat*); Liv. 34, 19 (*p. — moventur*). — Liv. 3, 46 *p. — adibat*; cp. 60 *p. — credebant* et *p. — erat*; 5, 10 *p. — poterat*; cp. 12 *p. — erat*; cp. 39 *p. — cernebatur*; 6, 29 *p. — erant, constabat, aderat*; 21, 12 *p. — movebant*; 33, 7 *p. — instabant* et — *detexerat*; 1, 23 *p. — stabant*; cp. 54 *p. — videbat*; cp. 58 *p. — videbantur*. — Liv. 3, 23 *p. — desierat*; cp. 26 *p. — profecerat*; cp. 44 *p. — animadverterat*; Cic. fam. 8, 8 (Coel.) *p. — turbarat*; Verr. 4, 24 *p. — collegerat*. Vide Conjunctivum no. 4, a.

POSTSCRIBERE ap. solum Tacitum 3, 64 *Tiberii nomen suo postscripserat*.

POSTREMO vide s. v. denique.

POTIRI rariore sign., qua idem fere est quod tenere (cf. possessio) Ann. 6, 40 *Tigranes — Armenia quondam potitus ac tunc reus*; 2, 42 *rex Archelaus quinquagesimum annum Cappadocia potiebatur*. Similia Ciceronis, Livii, Ter., Columellae exempla vide ap. Forcellin. De constr. h. v. vide genitivum.

POTISSIMUS Ann. 1, 15 *potissima arbitrio principis fiebant*; 4, 16 *potissima causa*; 11, 31 *potissimum — amicorum vocat*; 14, 65 *libertorum potissimos veneno interfecisse creditus est*; 13, 18 *largitione potissimos amicorum auxit*; Hist. 2, 11 *addiderat gloriam Nero eligendo ut potissimos*. Ita Livius quoque locutus est 5, 12; 8, 33, Plautus, Sallust. et arg. aet. scriptt.

PRAEALTUS Hist. 5, 15 *praealtis paludibus*, saepius ap. Liv. legitur.

PRAECALIDUS (Prudent.) Ann. 13, 16 *praecalida potio*.

PRAECELLERE (Lucret. et arg. aet. scriptt.; Cic. adjectivo utitur praecellens) Ann. 2, 43 *Agrippina Liviam — praecellebat*; 3, 24 *qui per eloquentiam praec.*; 16, 7 *claritudine generis praecellebat*; 3, 75 *iisdem artibus praecellentem*; ap. solum Tacitum idem est quod imperitare Ann. 12, 15 *qui Adorsorum genti praecellebat*.

PRAECEPS minus vulgari usu Ann. 4, 22 *in praeceps jecit*; 6, 49 *jacto in praeceps corpore*; cf. Liv. 5, 47 *in praeceps deferri*; 27, 27 *in praeceps dare rempublicam*. — Insolentius etiam Tacitus et cum eo Ammianus dixere *praeceps dare, trahere* (vulgo *praecipitem aliquem dare, trahere*) Ann. 4, 62 *inmensam vim mortalium — praeceps trahit atque operit*; 6, 17 *eversio rei familiaris dignitatem ac famam praeceps*

dabat; Ammian. 29, 1 *praeceps in exsilium acti.* Idem fere est quod *temerarius, inconsiderate festinans* apud Livium 21, 18; 9, 24; 41, 10; ap. Tacitum solam prope festinationem exprimit Ann. 16, 19 *neque tamen praeceps vitam expulit;* Hist. 2, 6 *praecipites nuntii.*

PRAECIPERE i. q. ante capere, qua sign. haud raro ap. Livium, etiam ap. Cic. interdum legitur Ann. 1, 54 *bellum, quamquam in aestatem summa ope parabat, initio veris et repentino in Cattos excursu praecepit;* 2, 35 *speciem libertatis Piso praeceperat;* 3, 57 *praeceperant animis orationem patres;* Hist. 3, 15 *ni Antonius — festinato proelio victoriam praecepisset;* Dial. 9 *laus — velut in herba vel flore praecepta* (festinantius capta). Similiter usurpantur praeripere et praesumere Ann. 14, 33 *praerepta interim ultione;* 15, 59 *si vita praeriperetur* (ita haud raro Cic. jam locutus est). 1, 48 *ni supplicium in malos praesumant;* Agric. 18 *praesumpta apud militem illius anni quies;* Hist. 1, 62 *Vitellius — fortunam principatus — epulis praesumebat;* Ann. 14, 3 *praesumendo remedia munierat corpus;* cp. 64 *praesumptum habeant* i. e. praesumant cogitatione, ut supra *praeceperant animis;* 12, 41 *ac perinde fortunam utriusque praesumeret* (cogitatione); Hist. 3, 9 *in Vitellium ut inimici praesumpsere* i. e. ante tempus cum arrogantia judicavere; Ann. 2, 73 *praesumpta suspicione aut favore.* Aequales maxime usurp. h. v., inter priores Virg. et Ovid.; Cic. *πρόληψιν* dicit *praesumptionem.*

PRAECIPUUS praeter vulg. sign. 1) i. q. eximie aptus ad aliq. rem Ann. 14, 58 *petitum ab eo Corbulonem — praecipuum ad pericula* (cf. 1, 40 *degener ad pericula* sc. suscipienda); 6, 7 *Tiberius praecipuos ad scelera increpans;* 16, 14 *opes ejus praecipuas* (esse) *ad eliciendam cupidinem.* Cf. Plin. H. N. 8, 27 *herba ad serpentium ictus praecipua* et alio loco *herba dentibus praecipua.* 2) idem fere quod potissimus, qui primum locum tenet, plurimum valet, insolentius interdum junctum Ann. 6, 4 *Latiaris, ut retttuli, praecipuus olim circumveniendi Titii Sabini et tunc luendae poenae primus fuit;* 3, 30 *Sallustius Crispus — mox praecipuus, cui secreta imperatorum inniterentur;* 14, 55 *rubori mihi est, quod praecipuus caritate nondum omnes fortuna antecellis;* 16, 33 *magnitudine opum praecipuus inter Bithynos;* 15, 56 *amicorum praecipuos.* Cf. Virg. Ann. 8, 176 sqq. *gramineoque viros locat ipse sedili Praecipuumque toro et villosi pelle leonis Accipit Aenean.*

PRAECOLERE ἁπαξλεγ. Ann. 14, 22 *nova et ancipitia praecolere* i. e. praeferre.

PRAEDATORIUS Ann. 4, 24 *praedatorias manus — duxere.* Liv. quoque ac Sall. h. v. utuntur.

PRAEDICERE pro dicere, constituere, edicere, jubere, Cicerone, Livio, Vellejo praeeuntibus, saepius usurp. arg. aet. scriptt. Ann. 2, 6 *Insula Batavorum, in quam convenirent praedicta;* cp. 79 *adfuturum, ubi praetor — reo atque accusatoribus diem praedixisset;* 11, 27 *praedicta die;* — 13, 36 *ne pugnam priores adirent praedicit* (Liv. 23, 19 *praedictum erat dictatoris*); 16, 33 *praedicto ne in republica haberetur.* — Saepe Vellej. et secuti eum scriptt., non Tacitus, *praedicere* usurp. pro *supra memorare.* Cf. Vell. 1, 12; 2, 11. 12. 15. 35. 44. 46. 47; Quint. 3, 6, 89, ubi vid. Spald.; Plin. H. N. 3, 4; 4, 18.

PRAEDUCERE Ann. 14, 32 *vallum praeduxerunt.* Ita Caes. quoque, saepius arg. aet. poetae locuti sunt.

PRAEDURUS arg. aet. vox (transl. sign. Virg. quoque eam usurp.) Hist. 1, 79 *praeduro corio consertum.*

PRAEFEROX (Liv., Suet. singulis locis) Ann. 4, 60 *gnarus praeferocem* (eum esse) *et insidiis magis opportunum;* Hist. 4, 23 *praeferoces initio et rebus secundis nimii;* cp. 32 *praeferocem ingenio.*

PRAEFERRE i. q. prae se ferre, jactare, cum gloriatione commemorare, obtendere, Ann. 2, 53 *vetera suorum facta dictaque praeferentes;* 4, 75 *is aviam Octaviam et per eam Augustum avunculum praeferebat;* 13, 3 *quamquam oratio a Seneca composita multum cultus praeferret;* cp. 45 *modestiam praeferre et lascivia uti;* 14, 57 *veterum Romanorum imitamenta praeferre;* 16, 28 *dicta factaque ejus — quandam sui negligentiam praeferentia;* cp. 22 *ut imperium evertant libertatem praeferunt.* Cf. Cic. R. Amer. 31 *avaritiam praefers;* Liv. 37, 37 *Iliensibus in omni rerum verborumque honore ab se oriundos Romanos praeferentibus;* Curt. 6, 9, 1 *vultu praeferens dolorem animi;* §. 13 *epistola indicium gravioris consilii praeferens;* 7, 2, 24 *vultu laetitiae speciem praeferente;* 8, 6, 16 *vultuque et oculis motum praeferens animi;* Vell. 2, 27. 118; Plin. H. N. 15; Plin. Epist. 1, 22; Quintil. 10, 1, 113. — Idem est quod praeterferre Ann. 6, 35 *praelatus equo.* Ita saepius Liv. locutus est. Vide magnam similium cum *prae* particula compositorum verborum copiam

apud Drakenb. ad Liv. 29, 32, 8 et infra praefestinare, praegredi, praefluere, praelabi, praevehi.

PRAEFERVIDUS Ann. 14, 64 *praefervidi balnei vapore enecatur*; cf. Liv. 9, 18, 5 *trux ac praefervida ira*, ibique Drakenb.

PRAEFESTINARE (Plaut., Liv.) Ann. 5, 10 *Toronaeum sinum praefestinans*. Cf. praeferre.

PRAEFLUERE i. e. praeterfl. Ann. 15, 15 *is castra praefluebat*; cf. Liv. 1, 45 *infima valle praefluit Tiberis*. Maxime h. v. frequent. Plin. majori. Cf. praeferre.

PRAEFULGERE transl. sign. (Vellej., Gell.) Ann. 3, 76 *praefulgebant Cassius atque Brutus*; 13, 45 *triumphali decore praefulgentes*.

PRAEGNANS CONSTRUCTIO v. in Proleg. de stili Tacitei brevitate.

PRAEGRACILIS ἁπαξλ. Ann. 4, 57 *praegracilis et incurva proceritas*.

PRAEGRAVIS (Varro, Plin. maj., Ovid., Mart.) Ann. 4, 71 *veteres et praegraves* (delatores) *adflixit*; 11, 19 *virum insignem et ignavo principi praegravem*; 14, 3 *praegravem ratus interficere constituit*; Hist. 2, 21 *cibo vinoque praegraves*.

PRAEGREDI i. e. praeire (Cic., Liv., al.) Ann. 11, 37 *in hortos praegressus*; i. q. praetergredi Ann. 14, 23 *fines suos praegredientem*. Ita Liv. quoque locutus est. Vide Drakenb. ad 29, 32, 8; 35, 30, 11 et supra praeferre.

PRAEJACERE (Plin. maj.) Ann. 12, 36 *campo qui castra praejacet*.

PRAEJUVARE ἁπαξλ. Hist. 3, 65 *credebatur adfectam ejus fidem praejuvisse domo agrisque pignori acceptis*.

PRAELABI i. q. praeterlabi (Colum. 11, 1) Hist. 2, 35 *Germani nando praelabebantur*. Cf. praeferre.

PRAELEGERE i. q. praeternavigare (Rutil.) Ann. 6, 1 *Campaniam praelegebat*. Idem est quod *legendo praeire, ante legere* ap. Quintil. et Suet.

PRAELONGUS (Liv.) Ann. 2, 21 *praelongae hastae*; Hist. 1, 79 *praelongi gladii*.

PRAEMATURUS transl. (Planc. ap. Cic. Fam. 10, 8 et Plin. maj.) Ann. 1, 30; 2, 5 *praematura hiems*; 3, 66 *praematura — cum exitio properant*; 4, 17 *praematuris honoribus ad superbiam extollere*; 14, 57 *caput — praematura canitie deforme*.

PRAEMEDITARI (Liv., Cic. sensu latiori) i. q. praeludere Ann. 14, 15 *multa cura tentans citharam et praemeditans adsistentibus*.

PRAE-

PRAEMINERE (Seneca, Apulej.) Ann. 3, 56 *appellatione aliqua cetera imperia praemineret;* 12, 12 *Cassius ceteros praeminebat peritia legum;* 15, 34 *ut — vi nocendi etiam malos praemineret.*

PRAEPEDIRE Ann. 15, 66 *verba sua praepediens;* Hist. 3, 68 *fletu praepediente* (vocem); Ann. 3, 3 *valetudine praepediebatur;* 2, 73; 4, 25 *praepeditus.* Totidem Livii exempla adtulit Drakenb. ad Liv. 28, 1, 6.

PRAEPOLLERE (Apulej.; participio utitur Liv.) Ann. 2, 45 *Arminius praepollebat;* cp. 51 *ut numerus liberorum in candidatis praepolleret;* 6, 42 *placitumque opperiri viros praepollentis;* 11, 14 *quia mari praepollebant.*

PRAEPOSITIONES v. suo quamque loco et colloc. verbb.

PRAEPOSSE ap. solum T. legitur Hist. 5, 8 *postquam Macedones praepotuere.* praepotens etiam aurea aetate satis frequentatur omnibus prope scriptt.

PRAEPROPERUS (Cic., Liv.) Hist. 2, 76 *praepropera desperatio.* Liv. exhibet *praeproperum ingenium* 22, 41; *praepropere agere* cp. 3. 19.

PRAERIGERE ἀπαξλεγ. Ann. 13, 35 *praeriguisse manus* (vi frigoris).

PRAERIPERE v. praecipere.

PRAERUPTUS transl. Ann. 5, 3 *praerupta jam et urgens dominatio;* 16, 7 *juvenem — animo praeruptum.* Cf. Sen. de ira 1, 1, 4 *praeruptus sermo;* Vell. 2, 2 *praeruptum atque anceps periculum,* ubi v. Ruhnk. coll. Drakenb. ad Liv. 38, 2, 14.

PRAESAGUS poetica vox Hist. 2, 1 *praesaga responsa.*

PRAESCRIBERE 1) superscribere (qua voce Gell. utitur) Ann. 3, 57 *ut — monimentis — non consulum nomina praescriberentur, sed eorum qui tribuniciam potestatem gererent;* Hist. 2, 65 *tanquam — diplomatibus nullum principem praescripsisset;* 3, 13 *praescriptum Vespasiani nomen, projectas Vitellii effigies adspexit.* Cf. Cic. de or. 2, 2 *auctoritates praescriptae* scil. S. Cto, i. e. nomina eorum qui scribendo affuerunt S. Cto, quorum nomina fidei causa S. Cto praeponebantur. V. Schütz. Lex. Cic. Utuntur ita h. v. praeterea Virg., Plin. maj., Front., Gell.). 2) praefinire (Terent., Quintil.; cf. etiam Schütz. Lex. Cic. s. h. v. num. 3) Ann. 13, 4 *Tum formam futuri principatus praescripsit.* 3) jubere (Cic.) Ann. 1, 6 *patris jussa simulabat, quibus*

praescripsisset tribuno custodiae apposito, ne cunctaretur cet. 4) praetexere, obtendere (quod vide) ap. solum Tacitum exprimere videtur Ann. 4, 52 *frustra Pulchram praescribi; 11, 16 frustra Arminium praescribi.*

PRAESCRIPTIO Ann. 1, 7 *ne edictum quidem, quo patres in curiam vocabat, nisi tribuniciae potestatis praescriptione posuit,* i. e. praescripto nomine suo et titulo tribuni. Cf. Cic. Fam. 5, 2 *S. Ctum ea praescriptione est.*

PRAESENS v. Tempora.

PRAESENS nonnunquam praegnante usurpatur significatione qualis est in locutione *praesens pecunia* i. e. quae statim exsolvitur, repraesentatur, Ann. 1, 38 *praesens supplicium* quod statim sumitur; Hist. 2, 75 *praesens facinus* quod patet primo adspectu (cf. Quintil. 10, 7, 1 *praesentissimis periculis*); ita *praesentia* interdum designant praesentem rerum statum, qui subita consilia desiderat Ann. 2, 80 *tutissima e praesentibus;* Liv. 24, 23 *deserti a militibus, quia id tutissimum ex praesentibus videbatur, Syracusas rediere.* Cf. ind. in Liv. Drakenb.

PRAESENTIA ad similitudinem quidem loci Cic. Fam. 5, 8 *praesentiae tuae desiderium,* sed insolentius junctum legitur Ann. 11, 8 *Mithridates, quem — ad praesentiam Caesaris vocatum memoravi — in regnum remeavit.* Minus placent quae Handius super hoc loco exposuit in Tursell. Tom I. p. 128. — In loco Agric. 31 recte se habet *in praesentia.* Ita saepissime loquitur Liv. (vid. Drakenb. ad 6, 26, 8); cf. e. g. 6, 26 *pacem in praesentia, nec ita multo post civitatem etiam inpetrarunt,* et qui propius etiam ad Tacitum accedit locus 7, 37 *duplici frumento in perpetuum, in praesentia singulis bubus — donati.* Cf. accusativus no 6, b, η.

PRAESIDERE v. in accusat.

PRAESIDIUM Livio et Caesare praeeuntibus interdum ipsum locum designat praesidiariis militibus firmatum vel firmandum et opponitur justo castelli munimento Ann. 1, 56 *posito castello super vestigia paterni praesidii in monte Tauno;* 4, 49 *postquam castello — non degrediebantur, obsidium coepit per praesidia, quae opportune jam muniebat.* Cf. Caes. B. C. 3, 45 *cum legio Caesaris nona praesidium quoddam occupavisset et munire coepisset* et quae Drakenb. praeter h. l. adtulit ad Liv. 24, 22, 4.

PRAESTARE in malam partem usurp. Ann. 2, 24 *truculentiâ coeli praestat Germania;* Sall. Catil. 37 *qui ubique*

probro atque petulantia maxume praestabant. — Insolentius etiam Agric. 37 dicitur *paucioribus terga praestare* i. e. dare, praebere, cum alias de iis tantum usurpetur quae grata sunt, ut *fidem, operam, pecuniam praestare.* Cf. commodare.

PRAESTRINGERE Ann 12, 47 *nodo praestringere* (Ovid., Plin. maj.); 14, 54 *quorum fulgore praestringor;* cf. Liv. 40, 59, 4 *fulguribus praestringentibus aciem oculorum* ibique quae adtulit Drakenb.

PRAESUMERE v. praecipere.

PRAETENDERE v. obtendere.

PRAETENTARE i. q. obtendere (q. vide) Ann. 1, 73 *praetentata crimina.* Ita Claudian., sed propr. sign., usurp. v.; i. q. *ante scrutari* est Suet. Oct. 35 *ne admissum quidem tunc quemquam senatorum, nisi solum, et praetentato sinu.*

PRAETEXERE, PRAETEXTUM v. in obtendere.

PRAETOR i. q. propraetor (v. Ruhnk. ad Vell. 2, 15. 27) Ann. 1, 74 *praetor Bithyniae* coll. 4, 73 *inferioris Germaniae propraetori;* 2, 56 *Commagenis — tum primum ad jus praetoris translatis* i. e. propraetoris s. in universum praesidis ut ante *legatus* hac sign. latiore legitur. cp. 77 *Pisonem, non Sentium Syriae praepositum; huic fasces et jus praetoris, huic legiones datas.* Ita Cicero quoque (Fam. 2, 17) Bibulum proconsulem vocat *praetorem Syriae.*

PRAETORIANUS, PRAETORIUS v. s. v. cohors.

PRAETORIUM ap. priores est ea castrorum pars ubi imperatoris (qui antique *praetor* dicebatur a praeeundo) tabernaculum erat; praeterea designat ap. Liv. aliosque domum ejus qui praesidet provinciae, et concilium legatorum, tribunorum et eorum qui auxiliares copias ductabant, quos consultandi causa in praetorium convocabat imperator. Latius etiam argentea aetate patet huius v. significatio. Est enim ap. Sueton. et al. amplissimum villae aedificium, tum designat castra praetorianorum et saepissime ap. Tacitum ipsos praetorianos, ut ὁπλιτικὸν, πελταστικόν dicitur pro ὁπλῖται, πελτ. Hist. 1, 20 *Exauctorati e praetorio Antonius Taurus — ex urbanis cohortibus Aemilius Pacensis;* cp. 72 *praefecturam vigilum et praetorii — adeptus;* cp. 81 *praefectos praetorii — miserat;* cp. 87 *Proculo praetorii praefecto;* 2, 11 *Veterani e praetorio;* cp. 100 *praefectura praetorii;* 4, 2 *praefectura praetorii penes Arrium Varum;* cp. 46 *in praetorium accepti.* Cf. Rupert. ad Ann. 3, 33, 7.

PRAEUMBRARE *ἐπισκιάζειν* ap. solum Tacitum legitur Ann. 14, 47 *in quantum praeumbrante imperatoris fastigio datur, clarus.*

PRAEVALERE (PRAEVALIDUS) Ann. 1, 58 *utrum praevaleat, quod ex Arminio concepit, an cet.*; 12, 64 *amita potius an mater apud Neronem praevaleret;* Hist. 2, 65 *auctoritas Cluvii praevaluit, ut puniri — juberet;* — Ann. 3, 35 *avunculum esse Sejani Blaesum atque eo praevalidum;* cp. 53 *praevalida et adulta vitia;* 12, 60 *equitum Romanorum praevalida nomina;* Hist. 2, 28 *cohortes si una forent, praevalidas.* Utraque vox etiam apud Livium et alios, sed minus saepe legitur.

PRAEVEHI i. q. praetervehi (cf. praeferre) praeeunte Livio Ann. 2, 6 *qua Germaniam praevehitur* (Rhenus); Hist. 2, 2 *oram Achajae — praevectus;* 5, 23 *sic praevecti;* Agric. 28 *uno remigrante — praevehebantur.*

PRAEVENIRE (active etiam ap. Cic., Liv., al.) passive, ut ap. Ovid., Justin. Hist. 1, 5 *praeventa gratia;* Ann. 14, 7 *nisi praeveniretur Agrippina.*

PRAFVERTERE sc. se et PRAEVERTI aliquo i. q. transire ad aliq. omissis aliis Ann. 2, 56 *praeverti ad Armenios;* 4, 32 *si quando ad interna praeverterent.* Cf. Curt. 6, 6 *ad Satibarzanem opprimendum praeverti optimum ratus;* Hor. Sat. 1, 3, 38 *illuc praevertamur* i. e. illuc potius nos convertamus; vide ibi Heindorf. Plura v. ap. Forcell. Cum accusat. constr. interdum pro *praeferre*, maxime in oratione *prius commemorare*, ut Liv. 3, 40 *decemviros, quo cuique eorum videatur, exercitus ducere; nec rem aliam praeverti;* 36, 27. *Quos dicere exorsos consul interfatus, cum alia sibi praevertenda esse dixisset, redire jussit.*

PRAEVIDERE 1) i. q. providere (Cic. et al.) Ann. 12, 40 *quod nobis praevisum;* Hist. 4, 15 *nec, praeviderant impetum hostium milites; nec, si praevidissent, satis virium ad arcendum erat.* 2) peculiari prorsus Tacito significatione, qua respondet Graeco *παρορᾶν*, legitur Ann. 12, 60 *praevisa* (neglecta) *locorum utilitate.* Est quasi *praetervidere*, quae tamen vox nusquam ap. veteres invenitur. Cf. praeferre.

PRECARIO pert. ad id quod precibus conceditur, opp. *proprio* (quod vide) praeeuntibus Cic., Livio, aliis Agric. 16 *Trebellius fuga ac latebris vitata exercitus ira, indecoris atque humilis precario mox praefuit.* Cf. adject. quod ap.

priores etiam saepius legitur Hist. 1, 52 *precarium seni imperium et brevi transiturum;* 4, 16 *precaria vita;* Ann. 1, 42 *animam precariam trahere;* Germ. 2, 4 *precario jure.*

PREMERE poetice pro opprimere Ann. 14, 5 *pressus Crepereius et statim exanimatus est;* Hist. 4, 2 *paucos erumpere ausos circumjecti pressere;* hinc i. q. sistere, cohibere, tegere, obcultare, abdere, abstrudere Ann. 15, 64 *obligant brachia, premunt sanguinem;* 1, 4 *multa indicia saevitiae, quamquam premantur, erumpere;* 6, 50 *incertum an offensus tantoque magis iram premens;* Hist. 4, 72 *pressit iras;* Ann. 13, 16 *Agrippinae is pavor, ea consternatio mentis, quamvis vultu premeretur, emicuit, ut cet.;* 3, 6 *ut premeret vulgi sermones;* cp. 11 *satin' cohiberet ac premeret sensus suos Tiberius.* Ita cum Virgilio et aliis poetis ceteri etiam arg. aet. scriptt. dixere *curam, gemitum premere* et sim.; nec deest Ciceronis exemplum Brut. 97 *cursum ingenii tui, Brute, premit haec importuna clades civitatis.*

PRETIUM i. q. *praemium* est ap. Tacitum saepius quam ap. alium quemquam scriptorem Ann. 2, 9 *militaria dona — servitii pretia;* 3, 40 *Romana civitas — virtuti pretium;* 6, 3 *hoc pretium Gallio meditatae adulationis tulit;* 11, 7 *sublatis studiorum pretiis etiam studia peritura;* 13, 56 *proditionis pretium;* Hist. 1, 11 *provinciae — in pretium belli cessurae erant;* cp. 18 *nec ullum orationi aut lenocinium addit aut pretium;* cp. 25 — *pretio et promissis onerat;* 3, 20 *non se decus neque pretium eripere tam bene meritis adfirmabat;* Germ. 24 *quamvis audacis lasciviae pretium est voluptas spectantium;* Agric. 1 *celeberrimus quisque ingenio — bonae tantum conscientiae pretio ducebatur.* Ita non solum Plaut., Horat., Virgilius et Ovid., sed Cicero etiam, Livius, Sall. locuti sunt quibusdam locis. Vide Sall. Cat. 49 *neque gratia neque pretio Ciceronem impellere potuerunt;* Jug. 29 *sese aliquid — pretio aut gratia effecturum;* Cic. Verr. 3, 32 *merces operae pretiumque impudentiae;* 5, 20 *isto tuo — beneficio, ut res indicat, pretio atque mercede minuisti majestatem reip.* Liv. 45, 37 *pretium recte facti triumphum haberet L. Paullus pro egregie bello gesto;* 26, 40 *cum pro cujusque merito consul pretia poenasque exsolvisset;* 5, 47 *cum et recte et perperam facto pretium deberetur;* 21, 43 *Si Siciliam tantum ac Sardiniam recuperaturi essemus, satis tamen ampla pretia essent;* 30, 30 *ne vobis quidem Sicilia atque Sardinia satis digna pretia sunt pro tot classibus;* 34, 36 *pretia militiae casura in*

pace aegre ferebant. De locutione *pretium est* pro *operae pr. est* vide in Proleg. de ellipsi litt. a.

PRIMIPILARIS sc. centurio (cf. militaris et equester) i. e. qui primipili centurio fuit. Primipilarium summam fuisse auctoritatem patet ex his Taciti locis: Ann. 2, 11 *equitem vado tramittit. praefuere Stertinius et e numero primipilarium Aemilius;* 13, 36 *curam praesidiorum Pactio Orphito primipili honore functo* (i. e. primipilari) *mandat;* 4, 72 *Olennius e primipilaribus regendis Frisiis impositus;* Hist. 1, 87 *Summa expeditionis Antonio Novello, Suedio Clementi primipilaribus — permissa;* 2, 22 *Turulius Cerialis — primipilaris et Caecinae haud alienus, quod ordines in Germania duxerat;* 4, 15 *congregantur duce Aquillio primipilari.* Legitur h. v. etiam ap. Quintil. et in inscriptt. Cf. Cort. ad Sall. Jug. 38 et Veget. 2, 8 de *primo principe, primo hastato* et *primo pilo s. primipilo* i. e. centurione primi ordinis principum, hastatorum, triariorum.

PRIMUM in enumeratione haud raro omittitur a Tacito Vide in proleg. de ellipsi litt. c. (cf. Drakenb. ad Liv. 22, 43, 3; 34, 19, 8). Idem fere est quod *statim* Ann. 14, 63 *huic primum nuptiarum dies loco funeris fuit, deductae in domum, in qua nihil nisi luctuosum haberet.*

PRINCEPS, i. e. proprie *princeps senatus*, inde ab Augusto sollennis imperatorum erat titulus, quem Maecenate auctore Augustus primus adsumpserat, ne regis vel dictatoris nomine populus offenderetur Ann. 1, 1 *Augustus cuncta discordiis civilibus fessa nomine principis sub imperium accepit*, teste Dione Cassio: πρόκριτός τε τῆς γερουσίας κατὰ τὸ ἀρχαῖον ὠνομάζετο. Eodem modo *principes juventutis* dicti sunt imperatorum filii ad declinandam dominationis invidiam (Ann. 1, 3 *genitos Agrippa Cajum ac Lucium — principes juventutis appellari — cupiverat Augustus*), cum reip. etiam temporibus procerum, maxime equitum filii patrum ingenio et auctoritate spem sui laetam excitantes et ipsi equites ita appellati essent. Nec sane dissimilis erat hujus rei ratio; ut enim equitum ordo seminarium quasi erat senatus, ita principes juventutis his temporibus proximi erant imperatoriae dignitati. Cf. Liv. 42, 61 *equitatum Romanum — fudistis. Equites enim illis principes juventutis, equites seminarium senatus: inde lectos in patrum numerum consules, inde imperatores creant.* — Hist. 2, 94 *liberti principum* sunt servi ab

imperatoribus manumissi, non, ut quidam volunt, a senatoribus, licet Liv. 29, 19 hoc vocabulo senatum designet.

PRINCIPALIS hac aetate, Vellejo praeeunte (2, 50 *principalia arma; 56 pr. quies; 124 pr. opera; 127 pr. onera*) ad imperatoris personam refertur (nonnunquam etiam sensu latiori usurpatum invenitur pro *praecipuo*, ut quibusdam Ciceronis quoque locis) Hist. 1, 13 *Poppaea Sabina, principale scortum;* cp. 22 *multos secreta Poppaeae mathematicos, pessimum principalis matrimonii instrumentum, habuerant;* 2, 59 *nullo principali paratu, sed vetere egestate conspicuus* et postea *cinxit* (eum) *cunctis fortunae principalis insignibus;* cp. 81 *speciem fortunae principalis effecerant;* 4, 40 *petit a Caesare — ut commentariorum principalium potestatem senatui faceret.* Digna est quae a nostratibus comparetur Senecae locutio (Polyb. 36) *gaudere principaliter,* sich königlich freuen.

PRINCIPIUM 1) idem fere quod initium (quid intersit inter utriusque v. significationem optime exposuit Doederl. in Synon. T. 3 p. 163) sed saepe plus valet, cum non solum tempus, sed id etiam exprimat, unde cetera proficiscuntur; et ad tempus quidem exprimendum (adjecta plerumque illius significationis, qua exordium et fundamentum designat, notione) maxime Tacito et Livio (cum Plauto et Catone) in usu est h. v. Ann. 1, 1 *a principio* (vide s. v. a); 4, 4 *anni principio;* cp. 68 *foedum anni principium incessit;* cp. 12 *principium favoris;* 11, 18 *gloria, cui principium illa militia fuit;* 13, 10 *principium anni inciperet mense Decembri;* 15, 41 *principium incendii — ortum;* cp. 49 *principium tanti facinoris capessivere* (alias *initium capessere* dicitur); Hist. 2, 69 *principium interno simul externoque bello parantibus fatis;* 3, 7 *vulgatâ victoriâ post principia belli secundum Flavianos.* (Raro ita Cic. usus est h. v., nunquam fortasse Caesar, Hirtius, Nepos; Sallustius his locis Cat. 26; Jug. 29. 77. 102; Hist. 1 p. 946; 2. p. 958; 4. p. 988). — Exordium exprimit Ann. 3, 56 *principio litterarum veneratus deos;* Dial. 19 *longa principiorum praeparatio;* cp. 22 *Cicero — lentus est in principiis, longus in narrationibus, otiosus circa excessus.* Cf. Cic. de orat. 1, 26 *Equidem et in vobis animadvertere soleo, et in me ipso saepissime experior, ut exalbescam in principio dicendi, et tota mente atque omnibus artubus contremiscam;* Brut. 43; Or. 36; Att. 13, 38 et passim. Oppositum est, rectissime Doederlino adnotante l. l., initio *exitus,* principio

extremum, coll. Cic. Cluent. 4 *Principiis cognitis multo facilius extrema intelligetis;* Caecin. 15, 44 *Potestis principia negare, cum extrema conceditis?* 2) Ut ap. Liv., Sall., alios, ita ap. nostrum quoque *principia* sunt milites, qui in primis ordinibus seu in fronte exercitus contra hostem instructi sunt Hist. 2, 43 *primani stratis unaetvicesimanorum principiis aquilam abstulere;* nec minus ap. hos scriptores *principium* designat medium castrorum spatium, ubi imperatoris tribunal exstructum erat, et ubi signa, Tacitique aevo etiam imperatorum imagines adservabantur. Ex ejus magnitudine legionum quae in castris erant numerus conjectari poterat, nam tribunorum etiam legatorumque tentoria ibi erant posita. Cf. Ann. 1, 61 *prima Vari castra, lato ambitu et dimensis principiis, trium legionum manus ostentabant;* cp. 67 *Caecina — contractos in principia* (milites) — *monet;* Hist. 3, 13 *Caecina — primores centurionum et paucos militum — secretiora castrorum adfectans in principia vocat.* Cf. augurale.

PRISCUS v. s. v. vetus.

PRO 1) saepius quam ap. alios, qui exhibent *pro rostris, pro suggestu, pro concione* (Ann. 1, 44) et similia (vide Tursell.) haec particula a Tacito usurpatur pro in praepositione (proprie est vorn auf, vor, ut Ann. 3, 20 *aciem pro castris instruit*), Ann. 2, 80 *pro munimentis castelli manipulos explicat;* 12, 33 *catervae meliorum pro munimentis constiterant;* 2, 81 *pro muris* (sc. consistens) *seditionem coeptabat;* 14, 30 *stabat pro litore diversa acies;* 12, 29 *legionem — pro ripa componeret.* Cf. Sall. Jug. 67, 1 *mulieres puerique pro tectis aedificiorum saxa — mittere.* 2) i. q. loco, tanquam, instar Ann. 4, 13 *negotia pro solatiis accipiens;* cp. 38 *quae saxo struuntur, si judicium posterorum in odium vertit, pro sepulcris* (tanquam sep.) *spernuntur;* 11, 24 *quid aliud exitio Lacedaemoniis et Atheniensibus fuit — nisi quod victos pro alienigenis* (tanquam al.) *arcebant?* Hist. 1, 52 *ipsa vitia pro virtutibus interpretabantur multi.* Exempla Ciceronis aliorumque vide in Tursell. de part. 3) ut alii *pro virili parte* s. *pro virili* dicunt, ita Tacitus Agric. 45; Hist. 3, 20 pro virili portione. Similiter Cic. et alii exhibent *pro portione, pro rata portione (pro rata parte, pro parte, pro specie;* v. Walch. Emend. Liv. p. 65). 4) saepe studium partium et commodi exprimit, ut ap. alios omnes, sed nonnunquam latius hac sign. patet poniturque ubi alii solo dativo casu vel

de praepositione utuntur: Hist. 1, 51 *Lugdunensis colonia pertinaci pro Nerone fide* (plus valet quam *in Neronem*); 3, 61 *gregarius miles induruerat pro Vitellio;* Ann. 4, 44 *avus Pharsalica acie pro optimatibus ceciderat;* 3, 41 *Sacrovir, intecto capite pugnam pro Romanis ciens;* 12, 19 *pro Mithridate non regnum precari, sed ne triumpharetur;* cp. 39 *legionum robore aequata pugna, dein nobis pro meliore fuit* (a Romanis stetit victoria); 15, 13 *quod pro Armeniis — hostilia faceret;* Hist. 1, 5 *accessit Galbae vox, pro republica* (reipublicae) *honesta, ipsi anceps, legi a se militum, non emi;* 3, 7 *decorum pro causa ratus, si placere Galbae principatus et partes revirescere crederentur;* 4, 58 *nunquam apud vos verba feci aut pro vobis sollicitior aut pro me securior;* Agric. 12 *nec aliud adversus validissimas gentes pro nobis utilius;* cp. 26 *securi pro salute de gloria certabant.* Ita recte Walchius. I. Bekkerus et alii legunt *de salute pro gloria.*

PROCAX (PROCACITAS) saepius T. quam prioribus usurp. Ann. 1, 72 *procacibus scriptis;* 11, 31 *strepente circum procaci choro;* Hist. 2, 87 *procacissima — lixarum ingenia;* 4, 20 *procax ante periculum manus;* 2, 23 *procax ore;* Ann. 1, 16 *procax linguâ;* 14, 15 *procax ingenio;* Hist. 3, 62 *moribus;* 13, 46 *procax otii.* — Hist. 3, 11 *procacitatis et petulantiae certamen.* — Ann. 5, 4 *exercentibus plerisque eo procacius* (Liv., Curt.) *libidinem ingeniorum.*

PROCONSULARIS Ann. 1, 14 *proconsulare imperium petivit* sc. perpetuum, nam Dione auctore (56, 25) jam ante triennium proconsulatum acceperat. Ita Augusto (Dio 53, 32) proconsulare imperium datum erat perpetuum, quod ne in urbe quidem (εἴσω τοῦ πωμηρίου) deponeret. Interdum haec dignitas propinquis imperatorum concedebatur honoris causa; cf. Ann. 12, 41 *ut vicesimo aetatis anno consulatum Nero iniret: atque interim designatus proconsulare imperium extra urbem haberet.*

PRO CONSULE et PRO PRAETORE proprie et antique loco *proconsulis, propraetoris* Ann. 3, 32 *deligendum pro consule gnarum militiae;* 11, 21 *tu es, Rufe, qui in hanc provinciam pro consule venies;* Hist. 3, 46 *pro consule eam provinciam annuo imperio tenuerat;* Ann. 12, 31 *At in Britannia P. Ostorium pro praetore* (propraetorem) *turbidae res excepere;* 13, 51 *qui pro praetore aut consule essent.* — Insolentius cum genitivo constr., si certa lectio Ann. 2, 52 *Furius Camillus pro consule* (proconsul) *Africae.* Sed ap. priores quoque

haec locutio haud raro recedit a propria signif. (qui est pro consule i. e. loco consulis); cf. Cic. Verr. 1, 38 *proquaestore vero quomodo — vexarit — non est necesse demonstrare verbis;* Phil. 8, 11 *qui — ad C. Caesarem propraetore* (propraetorem) *adierint;* de legg. 1, 20 *cum proconsule* (proconsul) *ex praetura in Graeciam venisset;* Liv. 31, 20 *L. Cornel. Lentulus proconsule ex Hispania rediit;* Vellej. 2, 61. 99. Vide Cort. ad Sall. Cat. 19, 1.

PROCULCARE (Ovid., Phaedr., Colum. et arg. seriorisque aet. scriptt. Hist. 1, 40 *disjecta plebe, proculcato senatu — forum inrumpunt* et passim.

PROCUMBERE vide in Proleg. de stili Tacitei brevitate no. 1.

PROCURATIO i. e. expiatio per sacrificia (Liv., Cic.) Ann. 12, 8 *quod poenae procurationesque incesti id temporis exquirerentur.*

PROCURATOR Ann. 11, 35 *Sulpicius ludi procurator;* cf. 13, 22, 2 *cura ludorum, qui a Caesare parabantur,* ubi vide Rupert. — *Procuratores* provinciarum Hist. 1, 11 *Duae Mauretaniae, Raetia, Noricum, Thracia et quae aliae procuratoribus cohibentur;* Ann. 12, 60 *saepius audita vox principis, parem vim rerum habendam a procuratoribus suis judicatarum ac si ipse statuisset;* Agric. 4 *utrumque avum procuratores Caesarum habuit,* ubi vid. Walch. coll. p. 221 ad cp. 14. Non solum in imperatorum provinciis tributa exigebant, sed etiam in iis quae populi erant adjuncti quaestoribus vigesimam hereditatum eaque omnia procurabant, quae in fiscum s. aerarium militare conferebantur, et ubi praedia habebant principes in provinciis, eorum et ipsi rationarii erant.

PRODERE absolute pro *memoriae* s. *memoria prodere* Ann. 4, 35 *maxime solutum et sine obtrectatore fuit* (apud Graecos) *prodere de iis, quos mors odio aut gratiae exemisset.* Cf. Liv. 8, 24 *Eodem anno Alexandriam in Aegypto proditum conditam,* ubi Drakenb. laud. Justin. 44, 4 *in quibus Titanas bellum adversus deos gessisse proditur.*

PRODIGENTIA ap. solum Tacitum invenitur Ann. 6, 14; 13, 1; 15, 37.

PRODIGERE (Plaut., Sall., Sil.) Hist. 1, 20 *sumptibus quibus sua prodegerant.*

PROELIATOR Ann. 2, 73 *Germanicum mitem erga amicos, modicum voluptatum — neque minus proeliatorem;* Dial. 37 *plures tamen bonos proeliatores bella quam pax ferunt.* Utitur

h. v. etiam Justinus (*proeliari* ap. priores haud rara vox) 15, 4 *elephantus — duxque belli et proeliator insignis fuit.* Eodem modo Tacitus Germ. 14 (*bellator equus*) cum Virgilio aliisque poetis usurpavit *bellator*. Vide Hessii adnot.

PROFESSOR Agric. 2 *expulsis insuper sapientiae professoribus.* Ita saepissime aequales locuti sunt, et absolute etiam usurp. vocem, ut Quintil. 10, 5, 18 *Quod accidisse etiam Porcio Latroni, qui primus clari nominis professor fuit, traditur.*

PROFESSORIUS nusquam praeter T. legitur Ann. 13, 14 *audiretur — Burrus et exsul Seneca, trunca scilicet manu* (Burrus) *et professoria lingua* (Seneca qui philos. profitebatur) *generis humani regimen expostulantes* i. e. quae professoris seu rhetoris modo meritoriam eloquentiam exerceret.

PROFLIGARE PROELIA insolentius dicitur Ann. 14, 36, cum vulgaris sit locutio *hostes, inimicos, exercitum, classem profligare*; est vero *βραχυλογία* Tacitea idemque fere est quod *in proeliis hostes profligare.* Vide Hess. ad Germ. 13, 7, ubi similiter *bella profligare* dicitur, quod tamen est *ad finem perducere*, et in Proleg. de stili Tacitei brevitate no. 1.

PROFLIGATOR ap. solum T. legitur Ann. 16, 18 *ganeo et profligator, ut plerique sua haurientium;* nam *profligare* etiam ap. Cic., Liv., alios est pessumdare, prodigere.

PROFLUERE transl. (Varro, Cic.) Ann. 11, 26 *ad incognitas libidines profluebat;* 4, 61 *Haterii canorum illud et profluens;* 13, 3 *Augusto prompta ac profluens — eloquentia;* Dial. 2 *profluens sermo non defuit.* Cf. Cic. de or. 3, 7 *profluens quiddam habuit Carbo et canorum;* 2, 38 *genus sermonis — non liquidum, non fusum ac profluens, sed exile, aridum, concisum ac minutum.*

PROGENER (Suet., Sen.) maritus neptis Ann. 6, 45 *quattuor progeneri Caesaris;* Hist. 5, 9 *ut ejusdem Antonii Felix progener, Claudius nepos esset.*

PROJICERE 1) de exsilio Ann. 1, 3 *senem Augustum devinxerat adeo, uti nepotem unicum — in insulam Planasiam projiceret;* 4, 71 *Juliam neptem Augustus, convictam adulterii, damnaverat projeceratque in insulam Trimerum.* Cf. Cic. Cat. 2, 1 *quod tantam pestem evomuerit forasque projecerit;* Dio 55, 32 *ἐς Πλανασίαν ἐνεβλήθη.* 2) projectus i. q. abjectus, contemptus Ann. 1, 42 *quibus tam projecta senatus auctoritas;* 3, 65 *tam projectae* (verworfen, sich wegwerfend) *servientium patientiae taedebat Tiberium.* Cf. Liv. 2, 27 *non*

esse tamen desertam omnino remp., neque projectum consulare imperium. Et in propria etiam atque vulgari significatione inest contemptus notio, ut Ann. 6, 25 *strangulata — in Gemonias projecta.* — Eodem pertinet Hist. 3, 65 *Vitellii (vultus) projectus* (i. e. servilem in modum demissus) *et degener.* 3) insolentius prolationem exprimit Ann. 2, 36 *quantum odii fore ab his qui ultra quinquennium projiciantur.* 4) projectus i. q. pronus ad rem (Cic.) Hist. 5, 5 *projectissima ad libidinem gens;* similiter propria v. sign. ap. Melam 1, 7 legitur *Promontoria vaste projecta in altum.*

PROINDE v. s. v. perinde.

PROLABI propr. sign. Ann. 14, 27 *Laodicea tremore terrae prolapsa;* transl. 3, 55 *dites olim familiae — studio magnificentiae prolabebantur;* — 1, 31 *miles in rabiem prolapsus est;* 2, 10 *ad jurgia prolapsi;* 11, 17 *ad superbiam prolapsus;* 4, 18 *cum alii ad seditiones prolaberentur;* 12, 53 *ad id prolapsae,* so tief gesunken; de eo qui fortuito sermone aliquid adtingit 12, 60 *ne fortuito prolapsus videretur.* Haec omnia non sine priorum exemplis sunt.

PROLATARE 1) i. q. proferre, differre Ann. 6, 42 *diem ex die prolatabant;* 11, 37 *prolatare vitam;* 13, 34 *mollibus adhuc initiis prolatatum — bellum;* 15, 51 *cunctantibus prolatantibusque spem ac metum.* Vide exempla priorum ap. Drakenb. ad Liv. 7, 21, 2. 2) extendere, amplificare est ap. Colum. et Tac. Hist. 2, 78 *prolatare agros.*

PROLATIO Verschub (Cic., al.) Hist. 3, 82 *omnem prolationem ut inimicam victoriae suspectabant;* Ann. 4, 3 *magnitudo facinoris metum, prolationes, diversa interdum consilia adferebat;* 5, 8 *crebris prolationibus spem ac metum juxta gravatus — vitam — finivit.* Cf. *prolatus* et *dilatus* Ann. 2, 35.

PROLICERE (Plaut., Ovid.) Ann. 3, 73 *ceteros ad spem proliceret.*

PROMERE i. q. proloqui, dicere, proferre, maxime occulta et tecta, Horatio et Vellejo praeeuntibus Ann. 1, 6 *ficta seu vera promeret;* 6, 28 *cognitu non absurda promere;* 1, 8 *sententiam pr.;* Hist. 2, 90 *orationem;* Ann. 12, 65 *prompsisse inter proximos ferebatur certam sibi* (esse) *perniciem;* 3, 36 *exin promptum quod multorum intimis questibus tegebatur;* insolentius pro *facere* usurpatur Ann. 12, 59 *At Claudius saevissima quaeque promere adigebatur ejusdem Agrippinae artibus.* Cf. promptus.

PROMISCUUS maxime Tacito frequentatur, sed haud ita multum recedit a vulg. usu Ann. 14, 14 *haud promiscuo spectaculo* (omnibus sine discrimine spectandi venia data); 15, 33 *acriore in dies cupidine adigebatur Nero promiscuas scenas frequentandi.* (Cf. Liv. 34, 44 *ut loca senatoria secernerent a populo, nam antea in promiscuo spectabant*; cp. 54 *in promiscuo spectatum esse*); Germ. 5 *numerus argenteorum facilior usui est promiscua* (τὰ τυχόντα) *ac vilia mercantibus*; cp. 44 *nec arma, ut apud ceteros Germanos, in promiscuo, sed clausa sub custode* (ita ap. Plin. maj. *occultum esse* opponitur τῷ *in promiscuo usu esse*, laudante Forcell.; Liv. 5, 13 *promiscuo usu rerum omnium in propatulo posito*; 40, 51 *habuere et in promiscuo praeterea pecuniam. ex ea communiter locarunt aquam adducendam fornicesque faciendos*); Ann. 3, 70 *L. Ennium — majestatis postulatum, quod effigiem principis promiscuum ad usum argenti vertisset*; Hist. 1, 66 *privatis et promiscuis copiis juvere militem* (τοῖς τυχοῦσι); Ann. 15, 10 *reliquas* (legiones) *promiscuis militum commeatibus infirmaverat* (cum cuilibet commeatum dedisset); 16, 16 *detur hoc inlustrium virorum posteritati, ut, quomodo exsequiis a promiscua sepultura separantur, ita in traditione supremorum accipiant habeantque* propriam *memoriam*; Hist. 1, 84 *muta ista et inanima intercidere ac reparari promiscua sunt* (nihil refert). Idem est quod communis Ann. 4, 16 *lata lex, qua flaminica Dialis sacrorum causa in potestate viri, cetera promiscuo feminarum jure ageret*; 3, 34 *cetera promiscua cum marito*; cp. 53 *promiscuas viris et feminis vestes.*

PROMPTUS maxime freq. Tacito (cf. promere) 1) expr. id quod facile promi potest, quod ad manum est, quod sine negotio perfici, intelligi, suscipi potest Ann. 14, 57 *promptum fuit*; 15, 41 *numerum inire haud promptum fuerit*; 1, 68 *promptam expugnationem*; 2, 82 *promptior inter tenebras adfirmatio*; 4, 11 *prompte refutaveris*; 2, 38 *quo promptius* (unverhohlner) *adversaretur*; 3, 4 *promptius apertiusque*; 13, 37 *promptius exercebat odium*; 2, 20 *prompta, occulta noverat*; 11, 7 *prompta sibi exempla*; 12, 12 *promptas res — si citi advenissent*; 6, 29 *promptas ejusmodi mortes metus carnificis faciebat*; 16, 17 *Mella, quae tum promptissima mortis via, exsolvit venas*; 3, 30 *prompto ad capessendos honores aditu*; Dial. 8 *quae ipsi adcumulare et in alios congerere promptum est*; Ann. 2, 76 *prompta illi legionum studia*; 13, 8 *studia eorum*

in Corbulonem promptiora erant; 15, 19 *gratiam, honores, cuncta prompta et obvia haberent;* 2, 2 *prompti aditus, obvia comitas;* cp. 5 *promptam ipsis possessionem;* 13, 3 *Augusto prompta ac profluens — eloquentia;* 11, 1 *quando — turbare gentiles nationes promptum haberet;* 1, 71 *quod cuique promptum, arma, equos, aurum offerentes.* — Rarior multo ap. priores h. v. usus. 2) ad homines pertinet qui facile aliquo adduci possunt, parati sunt ad aliq. rem, audaces, acres, strenui Ann. 1, 23 *perferendis militum mandatis habebatur idoneus ob promptum ingenium;* Hist. 2, 86 *sermone promptus;* Ann. 14, 58 *animo promptus;* 1, 57; 14, 40 *audaciâ promptus;* Hist. 2, 23 *promptus animi Martius;* Ann. 1, 13 *divitem, promptum, artibus egregiis et pari fama publice, suspectabat;* 4, 17 *si unus alterve maxime prompti subverterentur;* Hist. 2, 25 *promptissimos praetorianorum equitum interfecere;* 3, 69 *armatis occurrunt promptissimi Vitellianorum;* Agric. 27 *prompti post eventum ac magniloqui erant* (contra *facilitas loquendi* in bonam partem accipitur); Dial. 2 *nec Secundo promptum esse sermonem* (cf. locum Hist. 2, 86 supra laud.); Agric. 3 *multi fortuitis casibus, promptissimus quisque saevitiâ principis intercidere;* Ann. 12, 44 *juvenem potentiae promptae et studio popularium accinctum — aliam ad spem trahere;* cp. 1 *ipse modo huc modo illuc, ut quemque suadentium audierat, promptus, discordantes in consilium vocat;* Germ. 7 *si prompti, si conspicui, si ante aciem agant, admiratione praesunt;* (cf. Liv. 5, 3 *non promptus ingenio tantum, sed usu etiam exercitatus;* Vell. 2, 118 *manu fortis, sensu celer, ultra barbarum promptus ingenio;* Cic. Fam. 2, 18 *tres fratres summo loco natos, promptos, non indisertos*). Contra inpromptus est qui nihil audet, ambiguus est consilii Ann. 2, 21 *inprompto jam Arminio ob continua pericula;* ita Ausonio excepto Liv. tantum locutus est praeter Tacitum 7, 4 *quia infacundior sit et linguâ inpromptus.* — Inde promptus etiam facilitatem qua aliquo inclinat animus, studium, benevolentiam exprimit cum dativo, ablativo vel *in, ad,* et, ubi inimicum animum designat, *adversus* particulis conjunctum Ann. 1, 2 *servitio promptior;* cp. 48 *seditioni promptus;* 2, 78 *Piso promptus ferocibus;* 4, 46 *esse sibi — promptum libertati aut ad mortem animum;* cp. 60 *Agrippina promptior Neroni erat;* 11, 32 *promptus ultioni;* 15, 45 *cuicunque flagitio promptus;* 11, 8 *ille, ut erat magnis ausis promptus, biduo tria millia stadiorum invadit;* 14, 49

in quibus adulatione promptissimus fuit A. Vitellius; Hist. 2, 30 *studia tamen militum in Caecinam inclinabant, super benignitatem animi, qua promptior habebatur, etiam vigore aetatis;* — Ann. 15, 25 *promptus in pavorem;* Agric. 35 *promptior in spem et firmus adversis;* Ann. 15, 61 *promptum in adulationes ingenium;* 6, 48 *Balbus truci eloquentia habebatur, promptus adversum insontes.*

PRONOMEN 1) more poetico a Livio et aliis recepto saepissime a Tacito brevitatis studioso omittitur.

a) pron. substant. Agric. 30 *universi* (nos) *servitutis expertes;* Hist. 1, 74 *stupra et flagitia invicem objectavere* (sc. sibi; et ap. alios etiam *invicem* et *inter se* omisso pronomine usurpari solent); Ann. 3, 43 *ut eo pignore parentes* (sibi) *adjungeret;* 1, 35 *si vellet imperium promptos* (se) *ostentavere;* 4, 59 *dum — exstimulatur, ut erectum et fidentem animi* (se) *ostenderet;* cp. 60 *cum — neque Neroni defendere* (se) *daretur;* 3, 16 *M. Piso repetere Syriam* (me) *dehortatus est.* Cf. Liv. 30, 30 *Hannibal peto pacem;* 32, 21 *Achaei arma Romana sustinebimus, quae vos Macedones non sustinuistis?* — Crebrior est ea ellipsis in constr. accus. c. infin. (praeeuntibus Cicerone, Livio, aliis plerumque in usu inf. fut., haud raro perf., minus saepe praes.) Ann. 15, 17 *non ea imperatoris* (se) *habere mandata;* Hist. 2, 18 *primo coactus, mox velle* (se) *simulans;* Ann. 1, 8 *sponte* (se) *dixisse respondit;* cp. 35 *moriturum* (se) *potius quam fidem exueret clamitans;* 3, 72 *Pompeji theatrum Caesar exstructurum* (se) *pollicitus est;* Hist. 2, 44 *honestius in acie* (se) *perituros;* Ann. 16, 25 *securos* (se) *esse de constantia ejus dixerunt;* 4, 18 *imparem* (se esse) *tanto merito rebatur.*

b) pron. demonstrat. Ann. 2, 70 *lenta videri* (ei) *veneficia; festinare* (eum) *et urgere, ut provinciam, ut legiones solus habeat;* cp. 82 *ideo nimirum in extremas terras relegatum* (eum), *ideo Pisoni permissam provinciam;* 4, 60 *gnarus praeferocem* (eum esse); 15, 20 *de reo censuerat provinciā Cretā depellendum* (eum esse); 1, 5 *Haec atque talia agitantibus* (iis) *gravescere valetudo Augusti;* Hist. 1, 72 *scelera exercuit corrupto ad omne facinus Nerone, quaedam ignaro* (eo) *ausus;* Agric. 11 *positio coeli corporibus habitum* (eum) *dedit,* ubi vide Walch. adnot. Cf. Cic. Phil. 2, 34 *apparet esse* (eum) *commotum;* 13, 11 *ut tu* (eum) *appellas;* Liv. 2, 16 *luxere* (eum) *matronae ut Brutum;* 8, 7 *I lictor, deliga* (eum) *ad palum;* 4, 10 *postquam* (eum) *inopem omnium rerum*

videt. — Durior sane ellipsis est Agric. 9 *Revertentem — Aquitaniae praeposuit, splendidae in primis dignitatis, administratione ac spe consulatus* (sc. ejus), *cui destinarat* (sc. eam). Sed hanc solam interpretationem recte se habere ex toto hujus loci nexu patet. Ceteri ad *cui destinarat* supplent eum i. e. *consulatum.* Pronomine relativo posito, Graeco more prioribus etiam satis frequentato, omittitur demonstrativum Ann. 13, 27 *quos vindictâ patronus non liberaverit* (eos) *velut vinculo servitutis adtineri;* Hist. 1, 56 *quod ia seditionibus accidit, unde plures erant* (ibi) *omnes fuere;* 4, 29 *unde clamor acciderat* (eo) *circumagere corpora, tendere arcus;* Ann. 1, 22 *Dic, Blaese,* (eum locum) *ubi cadaver abjeceris* (cf. Suet. Galba 20 *eo loco, ubi jussu Galbae animadversum in patronum suum fuerat, abjecit*); 16, 17 *Mella* (iisdem) *quibus Gallio et Seneca parentibus natus;* Germ. 15 *mos est civitatibus — conferre principibus vel armentorum vel frugum* (id, tantum) *quod pro honore acceptum etiam necessitatibus subvenit.* Huc pertinet attractio quae dicitur, Graecis usitatissima: Ann. 15, 52 *villa Pisonis, cujus amoenitate captus Caesar crebro ventitabat* (i. e. quo, am. ejus captus, c. vent.); Agric. 18 *quippe cui ingredienti provinciam, quod tempus alii per ostentationem aut officiorum ambitum transigunt, labor et periculum placuisset* (i. e. eo tempore quod cet.); cp. 34 *reliquus est numerus ignavorum et metuentium, quos quod tandem invenistis non restiterunt* (i. e. qui, quod eos t. inv. non rest.). Additum est demonstr. Ann. 4, 56 *ad ea quîs maxime fidebant in populum Romanum officiis.*

c) pron. relativum sine aliorum, ut videtur, exemplis Ann. 6, 7 *tracti sunt in casum eundem Julius Africanus e Santonis, Gallica civitate, Sejus Quadratus:* (cujus) *originem non repperi;* 12, 36 *avebant visere, quis ille* (esset, qui; attractionis est genus) *sprevisset;* 3, 26 *maxime fama celebravit* (leges) *Cretensium, quas Minos, Spartanorum, quas Lycurgus, ac* (quas) *mox Atheniensibus quaesitiores jam et plures Solon perscripsit;* 6, 36 *quîs neque boni intellectus neque mali cura, sed* (qui) *mercede aluntur, ministri sceleribus.* Huc pertinent, quae, spreta concinnitatis lege, in hunc modum composita leguntur Ann. 13, 48 *datâ cohorte praetoriâ, cujus terrore et* (pro *sicut,* vel *non minus quam*) *paucorum supplicio rediit oppidanis concordia.* Cf. pron. dem. Graeco more positum pro repetito relativo Cic. Fin. 2, 2 *hunc ipsum sive finem, sive extremum, sive ultimum definiebas id esse,*

quo

quo omnia quae recte fierent referrentur, neque id ipsum usquam referretur (i. e. *quodque ipsum nusquam referretur*).

Obvia etiam ap. priores est relativi omissio in ejusmodi enuntiationibus, quae orationi insertae, plerumque explicationi et exprimendo consilio inserviunt Ann. 6, 10 *L. Piso pontifex,* (quod) *rarum in tanta claritudine, fato obiit* (alio loco... *et,* (quod) *rarum in societate potentiae, concordes*); 1, 3 *ceterum Augustus, subsidia dominationi* (i. e. quae essent subsidia; in quibus elatis dominatio haberet subsidia) *Claudium Marcellum — pontificatu et curuli aedilitate, M. Agrippam — geminatis consulatibus extulit;* cp. 27 *ut quis praetorianorum militum amicorumve Caesaris occurreret, manus intentantes, causam discordiae et initium armorum* (i. e. quae causa esset); cp. 30 *quosdam ipsi manipuli, documentum fidei, tradidere;* cp. 49 *truces etiam tum animos cupido involat eundi in hostem, piaculum furoris;* 12, 32 *colonia — deducitur in agros captivos, subsidium adversus rebelles,* e t i m b u e n d i s s o c i i s (consilium igitur exprimitur) *ad officia legum;* cp. 29 *auxilia pro ripa componeret subsidio victis et terrorem adversus victores;* 16, 8 *Silanum increpuit — tanquam disponeret jam imperii curas, praeficeretque rationibus et libellis et epistolis libertos, inania simul et falsa* (quae erant); Hist. 1, 44 *omnes conquiri et interfici jussit, non honore Galbae, sed tradito principibus more, munimentum ad praesens, in posterum ultionem;* 4, 18 *omnium conjuges parvosque liberos consistere a tergo jubet, hortamenta victoriae vel pulsis pudorem;* Ann. 11, 11 *vulgabaturque adfuisse infantiae dracones in modum custodum, fabulosa et externis miraculis adsimulata;* 3, 27 *compositae duodecim tabulae, finis aequi juris* (qui esset). Cf. Liv. 1, 13 *monumentum ejus pugnae — Curtium lacum appellarunt;* 3, 37 *id modo plebes agitabat, quonam modo tribuniciam potestatem, munimentum libertati, rem intermissam, repararent.*

Ex eodem brevitatis studio profectus est usus *τοῦ illuc* pro *in eum,* ap. priores etiam obvius Ann. 1, 3 *illuc cuncta vergere;* Hist 2, 24 *ne omne belli decus illuc concederet;* 3, 38 *versas illuc omnium mentes.*

2) Cetera quae a vulgari dicendi genere recedunt in pronominum usu, haec fere sunt:

a) i d e m p o n i t u r p r o is, unde distinctior fit oratio et additur ei plerumque *τοῦ etiam, simul* significatio Ann. 1, 23 *ut pars militum gladiatores, qui e servitio Blaesi erant,*

pars ceteram ejusdem familiam vincirent (auch, zugleich); 2, 47 *Asperrima in Sardianos lues plurimum in eosdem misericordiae traxit;* 6, 46 *omnia Sullae vitia et nullam ejusdem virtutem habiturum praedixit;* 12, 61 *neque dubium habetur multa eorundem in populum Romanum merita sociasque victorias potuisse tradi;* — Hist. 1, 25 *Barbium Proculum tesserarium speculatorum et Veturium optionem eorundem — promissis onerat.* Cf. Liv. 6, 1 *Quae ab condita urbe ad captam eandem urbem Romani — gessere;* 31, 1 *adversus Aetolos aliosque regionis ejusdem socios;* 45, 39 *Consul proficiscens ad bellum — perpetrato eodem — dona — traducit;* Quintil. 6 prooem. 4 *erepta mihi prius eorundem matre* (auch, selbst ihre Mutter). — Eodem fere pertinet hujus vocis usus pro *ipse* pronomine Ann. 14, 24 *penuria aquae, fervida aestas, longinqua itinera solâ ducis patientiâ mitigabantur, eodem plura quam gregario milite tolerante.* — Cum vi quadam effertur *ille* Germ. 46 *rem difficillimam adsecuti sunt, ut illis* (non aliis mortalibus) *ne voto quidem opus esset.*

b) de reflexivo pron. pro possessivo usurpato vid. s. genitivo. Etiam pro demonstrativo ponitur reflexivum Ann. 15, 74 *quod quidem ille* (consul) *decernebat* (Neroni) *tamquam mortale fastigium egresso et venerationem hominum merito, quorundam dolo ad omina sui* (ejus, Neronis) *exitus vertebatur.* Vide exempla e Cicerone, Nepote, Ovidio petita ap. Ramsh. in Gr. Lat. p. 345. Sed locum Taciti Ann. 6, 24 prave intellexit; minime enim huc pertinet. Contra demonstrativum interdum usurpatur pro reflexivo (vide Caesaris et al. exempla in Ramsh. Gr. Lat. p. 350 sq.), ubi scriptor suam potius, narrantis, quam ejus personam respicit, ad quam proprie referendum est pronomen Ann. 4, 67 *quamquam edicto monuisset ne quis quietem ejus inrumperet;* Hist. 2, 9 *is — fidem suorum quondam militum invocans, ut eum in Syria aut Aegypto sisterent orabat.* Eadem fere ratio est indicativi loco conjunctivi usurpati. Vide indicativ. no. 1.

c) Pronomen demonstrativum abundare videtur, sed inservit efferendae enuntiationi praecedenti Hist. 3, 26 *munire castra, id quoque, propinquis hostibus, formidolosum.* Saepius praecedit, ut Ter. Adelph. 5, 7, 6 *verum hoc mihi moraest tibicina et hymenaeum qui cantent;* Sall. Jug. 81 *id modo festinabat, Bocchi pacem imminuere.*

d) Saepius quam ab aliis a Tacito **is** usurpatur pro **talis** Ann. 15, 38 *quibus id mercimonium inerat, quo flamma alitur*; cf. Hist. 1, 62. 63; Ann. 12, 18; Dial. 23 et sic passim

e) Post *aut*, *vel* (*ve*) particulas Tacitus, maxime Livio praeeunte, pro *alius quidam*, *alius quisquam*, *aliquis* (quod conflatum ex *alius* et *quis* hac propria sign. etiam ap. nostrum legitur Ann. 1, 4 *ne iis quidem annis — aliquid quam iram — meditatum*; cf. Cic. de or. 2, 42; inv. 2, 28; Brut. 90; Suet. Tib. 47) usurpat et **alius quis** et **quis alius** Ann. 14, 3 *vel qua alia vi*; cp. 33 *aliudve quod belli commercium*; 13, 57 *non fluvialibus aquis aut quo alio humore*; 15, 38 *neque enim domus — aut quid aliud morae interjacebat*; 16, 19 *ne codicillis quidem Neronem — aut quem alium adulatus est*.

f) **hic — ille** α) in distributionibus usurpatur Graeco more, ut ὁ μὲν — ὁ δὲ Ann. 4, 62 *hic fratrem, propinquum ille, alius parentes lamentari*. β) **hic** ad remotiora, **ille** ad propiora refertur contra vulg. usum, sed praeeuntibus priorum quibusdam locis: Ann. 2, 77 *Pisonem, non Sentium Syriae praepositum; huic* (Pisoni) *fasces et jus praetoris, huic legiones datas*; cp. 82 *ut quisque obvius, quamvis leviter audita in alios, atque illi* (hi, alii sc.) *in plures cumulata gaudio transferunt*; 6, 37 *Vitellius — hortatur Tiridaten parata capessere. — sacrificantibus, cum hic* (Vitellius) *more Romano suovetaurilia daret, ille equum placando amni adornasset cet.*; Hist. 2, 77 *acriore hodie disciplina victi quam victores agunt. hos* (victos) *ira — ad virtutem accendit: illi per fastidium et contumaciam hebescunt*. Non minus recedit a vulgari dicendi genere **hic — hic** pro **hic — ille** Ann. 14, 8 *hi molium objectus, hi proximas scaphas scandere; alii — vadere in mare*; Hist. 4, 55 *miscuere sese Julius Tutor et Julius Sabinus; hic Trevir, hic Lingon*, ubi Oberlin. laudat eundem usum Virg. Ecl. 4, 56; Cic. Fam. 9, 16. Nemo sane vitio verteret hodie rerum scriptori si in ejusmodi rebus, quae nullius prope momenti sunt, diceret der Eine — der Andere pro dieser — jener.

g) **idem cum** Ann. 15, 2 *eodem mecum patre genitum*; cf. Hor. a. p. 467 *Invitum qui servat, idem facit occidenti*, τὸ αὐτὸ τῷ ἀποκτείναντι.

h) Genitivus pro ablat. ponitur in locutionibus, qualis est *qua tu es lenitate* Hist. 1, 37 *et, cujus lenitatis est Galba, jam fortasse promisit*.

PRONUS saepius multo Tacito quam prioribus usurp. transl. sign., maxime ea quae studium et facilitatem exprimit, absolute vel cum dat. et **in**, **ad** praepositionibus; cf. **promptus**, cujus maxima cum h. v. similitudo est. Ann. 2, 52 *eo pronior Tiberius res gestas apud senatum celebravit;* 4, 2 *facili Tiberio atque ita prono ut cet.;* Hist. 1, 13 *prona in eum aula Neronis ut similem;* cp. 6 *in unum aliquem prono favore;* cp. 69 *pronus in misericordiam;* Ann. 2, 73 *ut quis misericordia in Germanicum et praesumpta suspicione, aut favore in Pisonem pronior;* 11, 36 *pronus ad misericordiam;* Hist. 2, 58 *in Othonem pronus;* cp. 74 *Muciani animus nec Vespasiano alienus et in Titum pronior;* 3, 64; Agric. 33 *omnia prona victoribus;* Agric. 41 *pronus deterioribus;* Hist. 1, 1. 54 *pronis auribus accipere;* Ann. 4, 29 *apud aures offensioni proniores;* 13, 3 *pronis animis audita laudatio.* — Agric. 1 *apud priores — agere memoratu digna pronum magisque in aperto erat.* Cf. Sall. Jug. 113 *alia omnia virtuti suae prona esse;* Liv. 21, 28 *ad fidem pronius est* i. e. facilius credi potest.

PROPALAM (Cic., Liv., al., sed minus saepe) Ann. 2, 39 *propalam adspici;* 6, 7 *alii propalam, multi per occultum;* 12, 46 *propalam incerta — respondens;* 15, 7 *bellum propalam sumptum;* Hist. 4, 39 *propalam opprimi Antonius nequibat.* Vide **palam** in proleg. ubi de varietate stili Tacitei agitur.

PROPATULUM; ut ap. priores, *in propatulo* sc. loco (quod additur nonnunquam) idem est quod *sub dio* et translate *propalam, in oculis omnium, in aperto, in promptu,* Ann. 4, 74 *Satis constabat auctam ei adrogantiam, foedum illud in propatulo servitium spectanti;* 15, 43 *subsidia reprimendis ignibus in propatulo quisque haberet.* Cf. Drakenborch. ad Liv. 25, 12, 15 de sign. propria; transl. usurp. Sall. Cat. 13 *pudicitiam in propatulo habere.*

PROPELLERE (ap. priores leguntur *hostes, pecora, navem, periculum propellere*) insolentius paullo, more poet. arg. aet. usurp. Ann. 3, 66 *obscura initia impudentibus ausis propellebat* (oblitterabat); 6, 3 *rudes animos ad corrumpendum militiae morem propellere* (Sil.); 11, 2 *ad voluntariam mortem propellere.*

PROPERANTER (Lucret.) Ann. 16, 24 *codicillos Nero properanter accepit;* **properantius** (Sallust., Ovid.) Ann. 2, 55; 3, 74; Hist. 3, 48.

PROPERANTIA (Sall. Jug. 36; al.) Ann. 12, 20 *pericula ex properantia.*

PROPERARE aliquid dicitur poetice ut festinare aliq. rem. Sed Sall. quoque Jug. 120 exhibet *properatum iter.* Ann. 2, 6 *mille naves sufficere visae properataeque;* 1, 18 *properantibus* sc. tribunal; 2, 31 *nisi voluntariam mortem properavisset;* cp. 80 *tela ad subitum usum properata;* 3, 66 *spretis quae tarda cum securitate, praematura vel cum exitio properant;* 4, 69 *properata inde accusatio;* 2, 22 *ni deditionem properavissent;* 11, 37 *ni caedem ejus Narcissus properavisset;* Hist. 3, 40 *si coeptum iter properasset.*

PROPERATO adv. solus T. exhibet Ann. 13, 1 *nec minus properato Narcissus — ad mortem agitur.*

PROPERUS (Plaut., Ovid., al. poet.) Ann. 1, 3 *Cajum — mors fato propera — abstulit;* cp. 65 *tali in tempore sibi quisque properus;* 16, 11 *properi — balneis inferuntur;* — 12, 66 *Agrippina sceleris olim certa et oblatae occasionis propera;* 4, 59 *a libertis — apiscendae potentiae properis;* 11, 26 *properus irae;* 14, 7 *vindictae;* — 4, 52 *quoquo facinore properus clarescere.* Cf. genit. et infin.

PROPEXUS (Virg. et al. poet.) Hist. 4, 61 *propexum rutilatumque crinem patrata demum caede legionum deposuit.*

PROPINQUARE v. in accusat.

PROPINQUITATES v. in abstract.

PROPITIARE (Plaut., Plin. maj., Suet.) Dial. 9 *suum genium propitiare.*

PROPIUS sine casu insolentius expr. motum a loco profectum Ann. 2, 70 *quo propius regrederetur* i. e. quo propius abesset et ita citius regrederetur; cf. 13, 57 *preces mortalium a deis nusquam propius audiri,* i. e. magis ex propinquo; Agric. 16 *tenentibus arma plerisque, quos conscientia defectionis et propius ex legato timor agitabat.* Magis ex usu prioris aet. dicta sunt Ann. 1, 24 *contumaciae propiores;* 4, 40 *esse illi matrem et aviam propiora consilia;* 13, 20 *omnia temeritati et inscitiae propiora;* 16, 9 *irae quam timori propiorem cernens;* Hist. 2, 8 *unde illi super similitudinem oris propior ad fallendum fides.*

PROPRIUS opp. *communi, alieno, precario* (v. Bremius ad Nep. Lys. 1, 5) maxime Tacito freq. congruenter cum prior. usu, Ann. 4, 19 *proprium id Tiberio fuit — obtegere;* 2, 55 *propriâ irâ* aus persönlicher Erbitterung; aus Zorn, welcher in persönlicher Beleidigung seinen Grund hatte; 3, 69 *si propriâ*

irâ non impelleretur; cp. 67 *proprio in metu;* Hist. 3, 38 *non se proprio metu nec sui anxium, sed pro fratre cet.;* Ann. 13, 28 *contentiones proprias exercuit;* 15, 74 *tum dona et grates deis decernuntur propriusque honos Soli* (peculiaris, praecipuus); 2, 77 *propria mandata* sunt, Oberl. interp., specialia, non quae universe cuivis dari solent. — De peculiari possessione usurp. Ann. 1, 71 *propriâ* (privata) *pecuniâ militem juvit;* Hist. 3, 64 *esse illi* (praefecto urbis) *proprium militem cohortium urbanarum.* Cf. Nep. Lys. 1, 5 *se illius fore proprium fide confirmarat;* Thrasyb. 4, 2 *parva munera diutina, locupletia non propria* (perpetua, firma) *esse consueverunt.* — Idem fere q. domesticus est Ann. 12, 29 *ipsi manus propria pedites* (e popularibus) *eques e Sarmatis Jazygibusque erat;* cf. Hist. 4, 16 *Canninefates, Frisios, Batavos propriis cuneis componit;* Germ. 38 *propriis adhuc nationibus nominibusque discreti, quamquam* in commune *Suevi vocentur;* Germ. 4 *propria et sincera et tantum* sui similis *gens.* Ita ap. al. etiam *suus* est qui est *sui juris, sui compos, suo tantum ingenio utitur.*

PROPUGNARE v. in accusat.

PRORSUS praeter vulg. sign. exprim. 1) haud dubie, in der That, offenbar, geradezu Ann. 2, 36 *superbire homines etiam annua designatione: quid, si honorem per quinquennium agitent? quinquiplicari prorsus magistratus;* 6, 4 *Haterius Agrippa consules anni prioris invasit, cur mutuâ accusatione intentâ nunc silerent: metum prorsus et noxiam conscientiae pro foedere haberi.* 2) denique, postremo (cf. porro) Hist. 2, 5 *Vespasianus acer militiae, anteire agmen, locum castris capere — prorsus, si avaritia abesset, antiquis ducibus par.* Saepius ita Sall. loquitur, e. g. Cat. 15 *colos exsanguis, foedi oculi, citus modo, modo tardus incessus, prorsus in facie vultuque vecordia inerat;* cp. 25 *ingenium ejus haud absurdum; posse versus facere, jocum movere, sermone uti vel modesto, vel molli, vel procaci; prorsus multae facetiae multusque lepos inerat;* Jug. 76 *contra haec oppidani festinare, parare: prorsus ab utrisque nihil reliquum fieri.*

PRORUERE (raro ap. priores legitur) cum accusat. (Liv., Caes., al.) Hist. 3, 22 *hostem profligare ac proruere;* cp. 23 *saxis hostilem aciem proruebat;* Ann. 2, 17 *prorutae arbores;* 12, 43 *terrae motu prorutae domus;* 15, 40 *prorutis* (incendio) *aedificiis.* De locutione *proruere fossas* v. in proleg. de

constr. praegn. — Absolute usurp., sicut ap. Val. Flaccum, Ann. 15, 22 *oppidum Pompeji magna ex parte proruit.*

PROSCRIBERE quod conscriptum est publice proponere (Cic.) Ann. 13, 51 *ut leges — occultae ad id tempus proscriberentur.* Inde *proscribere aliquem* est bona alicujus tabulâ publicâ proscribere et venalia proponere.

PROSPECTARE 1) ea quae longinqua sunt videre, e longinquo adspicere, et proprie et transl. (e prior. usu) Ann. 3, 1 *qua longissime prospectari poterat;* Hist. 3, 88 *principis labores e convivio prospectantem;* cp. 68 *prospectantibus etiam feminis;* Ann. 6, 48 *prospectare jam se acrius servitium.* 2) de locorum situ usurpatur (maxime ap. arg. aet. scriptt.) Ann. 4, 67 *prospectabat* (Capreae insula) *pulcherrimum sinum;* 14, 9 *villa — subjectos sinus editissima prospectat;* Hist. 3, 60 *locus — late prospectans;* 5, 6 *septentrionem a latere Syriae longe prospectant.* Cf. Phaedr. 2, 5, 10 *villa — prospectat Siculum et prospicit Tuscum mare;* Plin. H. N. 4, 5 *diversa duo maria prospectans Acrocorinthus.*

PROSPERARE Ann. 3, 56 *ut consilia sua reipublicae prosperarent.* Utuntur h. v. Liv., Plaut., Val. Max. Vid. Drak. ad Liv. 8, 9, 7.

PROSPERGERE Ann. 15, 44 *aquâ templum et simulacrum deae prospersum est.* Apud Apulej. etiam obvia est h. v. si lectio certa.

PROTEGERE maxime Tacito freq. Ann. 1, 13 *donec Haterius Augustam oraret ejusque curatissimis precibus protegeretur;* 14, 42 *concursu plebis quae tot innoxios protegebat;* cp. 43 *quem numerus servorum tuebitur, cum Pedanium Secundum quadringenti non protexerint?* Hist. 2, 60 *Trachalum adversus criminantes Galeria uxor Vitellii protexit;* cp. 83 *Vitellium in incerto fore quam partem Italiae protegeret;* 4, 10 *vilis et nocens reus protegi non poterat;* 3, 33 *non dignitas, non aetas protegebat,* quominus *stupra caedibus, caedes stupris miscerentur;* Ann. 6, 6 *Tiberium non fortuna, non solitudines protegebant,* quin *tormenta pectoris suasque ipse poenas fateretur.* Ita nusquam praeterea *quominus* et *quin* particulae junctae esse videntur huic voci ap. Curtium, Livium al. obviae. Cf. Cic. Sull. 18; Planc. 30; Sext. 30; Tusc. 4, 22; Liv. 2, 6; 4, 28; 6, 20; 21, 41. 46; 22, 49; 27, 32; 32, 23; 38, 33; 42, 15. 29. 30 (i. q. *tegere* est 25, 5); Caes. B. C. 1, 79; 3, 42. 56; B. G. 5, 44. *tegere* usurp. eadem sign. Cic. Fam. 13, 66; Consol. ed. Bip. p. 340; Liv. 22, 49; Sall. Cat. 6. 58.

PROTURBARE 1) propria sign. (Liv., Caes., al.) Hist. 2, 85 *proturbatis qui de Othône nuntiabant;* 1, 60 *auxiliarium quoque militum conviciis proturbatus.* Ap. priores minus late patet et plerumque est, telis vel lapidibus ex alto loco deturbare. 2) transl. i. q. *vi aliquo impellere* ap. solum Tacitum Ann. 11, 36 *is modesta juventa, sed corpore insigni, accitus ultro noctemque intra unam a Messallina proturbatus erat paribus lasciviis ad cupidinem et fastidia.* cf. provolvere.

PROVENIRE propr. sign. qua i. q. *prodire* exprimit, freq. Plauto (etiam Ciceroni) 1) de proventu eorum quae gignuntur, maxime frugum, sed arg. aet. etiam de metallis, avibus (ap. Plin. maj.) et hominum progenie usurp. Agric. 12 *tarde mitescunt, cito proveniunt* (fruges); Ann. 16, 2 *nova ubertate provenire terram* (de metallis); Hist. 4, 65 *quique mox provenere* (de posteritate); cf. Liv. 45, 13 *emere ea ex fructibus agri ab se dati quae ibi proveniant;* Caes. B. G. 5, 24 *eo anno frumentum in Gallia propter siccitates angustius provenerat.* 2) translate oriri, sich gestalten (Cic., Plaut., al., maxime arg. aet.) Ann. 3, 26 *provenere dominationes;* Hist. 2, 20 *ut initia belli provenissent, famam in cetera fore;* maxime addita notione successus prosperi (ut Suet. Vesp. 5 *ut quicquid cogitaret — id esse proventurum pollicerentur*) Ann. 1, 19 *cetera mandaturos, ubi prima provenissent;* 4, 12 *quia prima provenerant;* 14, 25 *quae facilius proveniebant;* Hist. 4, 18 *si destinata provenissent;* cp. 34 *tanquam — suis victoria provenisset;* cp. 69 *si cuncta provenissent;* 2, 16 *Othonis odio juvare Vitellium Corsorum viribus statuit, inani auxilio, etiam si provenisset;* 3, 41 *non ignavum et, si provenisset, atrox consilium iniit.*

PROVISOR Ann. 12, 4 *ingruentium dominationum provisor;* Hor. a. p. 164 *utilium tardus provisor;* inscr. ap. Grut. *ordinis provisori.*

PROVISUS ap. solum Tacitum, et haud raro quidem legitur, sed sexto tantum casu Ann. 1, 27 *provisu periculi;* 12, 6 *provisu deum;* cp. 12 *curâ, provisu perinde agere ac si hostis ingrueret;* 15, 8 *nullo rei frumentariae provisu;* Hist. 3, 22 *ne oculi quidem provisu juvabant;* 2, 5 *dispositu provisuque civilium rerum peritus.*

PROVIVERE i. q. porro vivere ἁπαξλ. Ann. 6, 25 *quam — spe sustentatam provixisse reor.*

PROVOLVERE 1) propr. sign. (Terent., Liv., Hirt., Curt. quibusd. locis) Ann. 4, 51 *congestas lapidum moles provolvere;*

Hist. 2, 22 *molares provolvunt;* 3, 27 *pondera saxorum provolvunt;* 1, 41 *projectus e sella ac provolutus est;* Ann. 11, 30 *Caesaris genibus provoluta;* 6, 3 *cui cum se moesta turba ad pedes provolvisset* (cf. Liv. 34, 11; Curt. 3, 12); 12, 18 *genibus ejus provolutus;* 14, 61 *provoluta genibus ejus* (vide accusat.) 2) transl. ap. solum T. Ann. 14, 2 *pari cupidine usque ad libita Pallantis provoluta;* 6, 17 *multique fortunis provolvebantur,* ut Cic. Flacc. 5 dixit *everti bonis;* Apul. in Apolog. *devolutus fortuna.* Cf. proturbare.

PROXIMUS et de iis quae antecedunt et de sequentibus Ann. 1, 77 *theatri licentia proximo priore anno coepta;* cf. Cic. or. 64 *proximum superiorem;* N. D. 2, 20 *proximum inferiorem orbem;* 3, 21 *proxime superiores;* Vopisc. in Prob. 11 *proximo superiore anno.* Sed nihil additur, ubi ex orationis nexu temporis ratio patet, ut Ann. 1, 22 *nocte proxima* (priore); Dial. 17 *proximo quidem* (priore) *congiario ipsi vidistis plerosque senes;* contra Liv. 2, 7, 2 *silentio proximae noctis* eam designat noctem, quae pugnam proxime secuta est. Vide Drakenb. ad h. l. — translata sign. in eundem modum usurpatur, quo *propior* (vide propius) Ann. 2, 47 *Magnetes a Sipylo proximi damno ac remedio habiti;* 16, 11 *vita proxime libertatem acta;* 13, 15 *proximus quisque Britannico neque fas neque fidem pensi haberet.*

PUDENDUS (cujus te pudeat) Hist. 2, 90 *Italia, per quam somno et luxu pudendus incesserat;* cp. 95 *civitas varia et pudenda sorte agebat;* 3, 84 *pudenda latebra semet occultans.* Haud raro poëtae ita locuti sunt et arg. aet. scriptt., sed Liv. quoque 25, 6 *pudendae clades;* 40, 56 *neque pudendum aut poenitendum eum regem Macedonibus.*

PUELLARIS (Ovid., Quint., Plin. maj.) Ann. 14, 2 *puellaribus annis.*

PUERITIA poetico verborum nexu Hist. 4, 14 *est plerisque procera pueritia;* Ann. 14, 3 *pueritiae Neronis educator;* 12, 8 *ut Domitii pueritia tali magistro adolesceret.*

PUERPERIUM 1) actus et tempus pariendi est ap. huj. aevi scriptt., Plauto praeeunte, Ann. 15, 23 *locus puerperio colonia Antium fuit.* 2) ipsi liberi dicuntur *puerperia* arg. et seriore aetate Ann. 12, 6 *deligi oportere feminam nobilitate, puerperiis, sanctimonia insignem.* Cf. Plin. H. N. 7, 3 *uno abortu duodecim puerperia egesta;* cp. 9 *septem mensium edito puerperio.*

PURUS Dial. 2 *Secundo purus et pressus — sermo non defuit.* „*Puritas* et *purus* de sermone sunt tantummodo latinitatis paulo serioris. Vid. Cellar. Antib. p. 131; cur. poster. p. 154. Nolten. lex. Cic. p. 1131 et nuperrime Kraft ad Mureti Delect. p. 281." G. Jacob. in Dronkii recens. Dialogi p. 243.

PUTARE pro computare Hist. 3. 2 *si numerus militum potius quam legionum putetur.* Ita pro *reputare* Terent. Eun. 4, 2, 4 *dum haec puto.*

QUA v. in quatenus.

QUAERERE saepius quam ap. priores ponitur pro compositis *conquirere*, *inquirere* et praegn. constr., ubi urgetur studii in quaerendo adhibiti notio Ann. 1, 69 *Id Tiberii animum altius penetravit: non enim simplices eas curas, nec adversus externos militem quaeri* (studia militum); cf. 1, 35 in Proleg. ubi de Zeugmate agitur, et quae infra s. v. quaesitus dicuntur. Simillimus locus est. Vell. 2, 116 *Horum virorum mentioni si quis quaesisse* (data opera) *me dicet locum, fatentem arguet*; cf. etiam Plin. H. N. 7, 51 *cum mortem in acie quaereret*, cum Tacit. Ann. 1, 5 *exstincto Maximo, dubium an quaesita* (et voluntaria) *morte.*

QUAESITIO pro quaestio (Apul. et inscriptt.) Ann. 4, 45 *cum postero ad quaesitionem retruheretur.*

QUAESITUS (quod raro admodum ap. alios ita invenitur) i. q. exquisitus (Hist. 3, 37 *exquisitis patrum adulationibus*) et affectatus, arcessitus, coactus Ann. 2, 53 *excepere* (eum) *Graeci quaesitissimis honoribus*; 3, 26 *leges — primo — simplices, — quaesitiores jam et plures Solon perscripsit*; cp. 57 *quaesitior adulatio*; 5, 3 *verba inerant quaesita asperitate*; 6, 50 *quaesita interdum comitate quamvis manifestam defectionem tegebat*; 12, 26 *quaesitiore in Domitium adulatione*; 15, 44 *quaesitissimis poenis adfecit — Christianos.* Cf. Cic. or. 26 *vitabit etiam quaesita, nec ex tempore ficta, sed domo allata, quae plerumque sunt frigida* (v. cp. 65.); Sall. fragm. in Macrob. Saturn. 2, 9 *epulae quaesitissumae*; Quintil. 2, 7, 4 *abundabunt figuris jam non quaesitis sed sponte se offerentibus.* Cf. quaerere.

QUAESTUOSUS A, UM ap. Cic. designat id quod quaestum adfert et quod lucri studium prae se fert: leg. agr. 2, 22 *quaestuosa exceptio*; Tusc. 5, 31 *quaestuosa mercatura*; Verr. 2, 59 *quaestuosa simulatio*; ap. Tacitum et Plin. maj. praeeunte Curtio idem fere est quod dives, propr. qui

quaestum magn. habet Ann. 12, 63 *unde primo quaestuosi et opulenti; 13, 35 milites — sine galeis, sine loricis, nitidi et quaestuosi, militiâ per oppida expletâ.* Cf. Curt. 4, 7, 19 *gens navigiorum spoliis quaestuosa.*

QUAMQUAM absolute usurp. (und doch) Germ. 18 *Quamquam severa illic matrimonia* (vide ibi Passow., qui recte h. l. interpunxit, sed falso ad hunc particulae usum probandum attulit Ann. 2, 1. 34); cf. Cic. Catil. 1, 9 *Quamquam quid loquor?* et *quamquam quid ego te invitem?* Fam. 15, 16 *quamquam quicum loquor?* de sen. 19 *ille vult diu vivere, hic diu vixit. Quamquam, o dii boni! quid est in hominis vita diu?* Liv. 3, 11 *Quamquam quid ego legem loquor?* Similiter *etsi* usurpatur a quibusdam. V. Tursell. De conjunctivo huic particulae juncto v. in hoc modo.

QUANDO v. in conjunctivo.

QUANDOQUE i. q. simulac, quando (Cic., Horat., al. Vide ind. in Liv. Drakenb.) Ann. 1, 6 *patris jussa simulabat — ne cunctaretur Agrippam morte adficere quandoque ipse supremum diem explevisset.* Valet quidem idem fere quod *quandocunque*, sed perperam hoc a Beroaldo receptum. Cf. interim.

QUANTULUM Ann. 3, 54 *quantulum istud est, de quo aediles admonent;* Germ. 28 *Quantulum enim amnis obstabat, quo minus, ut quaeque gens evaluerat, occuparet permutaretque sedes promiscuas adhuc?* Ita Cicero et alii quam plurimi loquuntur. Vide Forcell. et Tursellin.

QUANTUM v. in conjunctivo no. 4. d.

QUATENUS praeeuntibus Horatio Ovidioque etiam causam exprimit estque idem fere quod *quoniam, quandoquidem*, ap. Tacitum ejusque aequales Ann. 3, 16 *quatenus — innocentiae meae nusquam locus est;* Dial. 5 *quatenus arbitrum litis hujus inveni;* et eadem sign. usurpatur Livii exemplo qua Ann. 6, 10 *qua occupandae reip. argui non poterant, ob lacrimas incusabantur.* —

QUATERE i. q. concutere, vexare (Virg., Sen. Thyest., Gell.) Hist. 4, 28 *aliam manum Mosam amnem transire jubet, ut Menapios et Morinos et extrema Galliarum quateret;* 1, 53 *quatiebatur his segne ingenium, ut concupisceret magis quam ut speraret.*

QUE v. in et.

QUEO, NEQUEO ap. Sall., Liv. et maxime ap. Tacitum creberrimo sunt in usu. Praeter notiora illa *queunt, queat,*

quivere, quiret, quiverit, nequibat, nequirent, nequiverat, nequisset, leguntur etiam omissa quibusdam in Grammaticis *nequibant* Hist. 4, 5; *nequiverit* Hist. 4, 60; *nequiverint* Ann. 14, 58 (Vell. 1, 16); *nequiverant* Ann. 15, 38.

QUERITARI Ann. 16, 34 *flentes queritantesque.* Ita Plin. min. et sequiores. Vide de h. v. Rupert. ad l. Taciti.

QUIDAM v. in pronom.

QUIDEM saepius quam ap. priores ceterosque scriptores ap. T. inservit efferendae affirmandaeque rei. Vide locos a Walchio laudatos ad Agric. 17 *cum Cerialis quidem alterius successoris curam famamque obruisset, sustinuit quoque molem Julius Frontinus, vir magnus;* Ann. 3, 53 *sed illi quidem officio functi sunt, ut ceteros quoque magistratus sua munia implere velim: mihi autem cet.;* 4, 35 *an illi quidem, septuagesimum ante annum perempti, quo modo imaginibus suis noscuntur, quas ne victor quidem abolevit, sic partem memoriae apud scriptores retinent?* Germ. 19 *melius quidem adhuc eae civitates, ubi tantummodo virgines nubunt.*

QUIN v. in conjunctivo no. 5.

QUINQUIPLICARE ἁπαξλεγ. Ann. 2, 36 *quinquiplicari prorsus magistratus.* Nusquam neque hoc verbum neque *quinqueplicare* vel *quintuplicare* ap. al. invenitur.

QUIPPE v. in nam.

QUIS pro quisque positum est insolentius Ann. 2, 66 *addidit munificentiam Caesar, quantum quis damni professus erat, exsolvendo;* cp. 54 *edit responsa versibus compositis super rebus quas quis mente concepit;* Hist. 3, 58 *amicorum ejus quanto quis clarior, minus fidus.* Cf. ut quis in ut. Sed non magis a vulgari dicendi genere recedit quam, quod ap. ipsum Ciceronem haud raro legitur, *quis* positum pro *aliquis*, etiam si non praecesserint *ne, nisi, si.* Vide Tursell.

QUIS ap. alium nullum tam crebro in usu est, nonnunquam in eadem enuntiatione compositum cum vulgari scriptura *quibus* (e. g. Ann. 2, 20; 13, 19). In universum dici potest, non minus saepe hanc quam illam vocem usurpasse Tacitum, et brevitatis et varietatis studiosum, sed εὐφωνίας simul legibus obtemperantem, quas secutus, ut exemplum afferamus, Ann. 12, 61 dixit *quibus* (non quîs) *quisque aetatibus viguissent.* In Dialogo quidem nusquam invenitur *quîs.* Sed ea inconstantia est, qualis et in hujus vocis et in aliarum usu ap. alios etiam scriptores haud raro deprehenditur. Ita Sall. quoque bis tantum in bello Catil. exhibet *quîs* cp. 37

et 58, in ceteris scriptis saepius multo h. v. usurpans. Vide Cort. ad l. priorem. Alia omnino dictionis ratio est in hoc libello quam in libris Taciti historicis; neque etiam abest suspicio, editores Dialogi passim *quibus* pro *quîs* posuisse praepropera et intempestiva cura, cum Taciti esse hunc librum negarent, praesertim cum in mss. per compendium scripturae utraque vox fere consentiat. Saepissime, praeter Tacitum, Curtius usus est h. v. Loci sunt edit. Zumpt. qui sequuntur: 3, 4. 6. 33; 7, 40; 8, 44 *in quîs; 7, 5 e quîs; quîs* 3, 16; 4, 16. 35. 45; 5, 4. 14. 16; 6, 5; 7, 1. 33. 42; 8, 4. 19. 34. 40. 43. 45. 49. 50; 9, 3. 13 (ter). 18; 10, 7. 29. Perpauca sunt Cic. et Liv. exempla: Cic. de orat. 1, 19; Att. 13, 22; fr. Arati. v. 314 et 329; Liv. 21, 62; 30, 25; 42, 43; 44, 3; *queis* 24, 16; 26, 15; fortasse *aliquîs* 26, 49, 6 ubi tamen Drakenb. vid.

QUO v. in conjunctivo no. 5.

QUOD v. in conj. no. 5.

QUOMINUS v. in conjunct. no. 5.

QUOTIENS, TOTIENS scribendi ratio Tacito frequens; quin minus saepe *quoties, toties* legitur, e. g. Ann. 4, 25; 6, 42; Hist. 1, 10. Illa antiqua est scriptura; cf. Cato Orig. 4 *quotiens* et *compluriens;* Claud. Quadrig. p. 51 ed Cort. *compluriens;* Cic. rep. 3, 10 *milliens, triciens;* Sall. Hist. 3. p. 963 sq. *quotiens — totiens;* 1. p. 956 *aliquotiens.* Hertel. ad Agric. 1 adnót. „Quint. I. O. 1, 7 ab init. *ut longis syllabis omnibus apponere apicem ineptissimum est etc.;* ex hoc apice serius littera *n* facta esse videtur, quam veteres ignorarunt. Pronuntia quotiēs, ut tabēsco et simm. cf. Ruperti ad Juv. satt. 1, 1. Passow tamen ad Germ. 15 alteram formam *quotiens,* ubi in ll. reperitur, non sollicitat.“ Et recte quidem Passow. Vide etiam Hess. ad Germ. 15 et ejusdem varr. lectt. 2. p. 12.

RADERE i. q. eradere ap. unum T., ut videtur, Ann. 3, 17 *nomen Pisonis radendum fastis censuit.* Vide tamen similem Mart. et Persii usum ap. Forcell, et adde Sen. de prov. 3, 2.

RADIARE ap. poet. et Plin. maj., obvia vox, raro depon. ut Dial. 20 *templa — auro radiantur.* Cf. Doederl. Synon. 2. p. 79.

RAMALE (Ovid., Pers., Sen.) Ann. 13, 58 *arbor — mortuis ramalibus — deminuta.*

RAPERE saepe pro compositis usurpatur *eripere, abripere, corripere, arripere, diripere,* ut Ann. 2, 71 *quod me parentibus — praematuro exitu raperent* (eriperent), et ple-

rumque more poetico a Cicerone quoque, Livio, al. nonnunquam recepto alia involvit verba, ut sit *rapide facere, ducere, pessum dare cet.* Hist. 3, 41 *rapere illicitas voluptates* (raptim frui); Ann. 1, 56 *rapere* (raptim ducere) *exercitum in Cattos; 4, 25 cito agmine rapere cohortes;* 15, 8 *rapit exercitum trans montem Taunum* (cf. Liv. 2, 20 *manipulos aliquot secum rapit;* Plin. Pan. 14 *cum legiones duceres seu potius, tanta velocitas erat, raperes*); de fluctu rapido Ann. 1, 70 *rapi agique agmen* (cf. Hist. 1, 2 *cum delatores agerent verterent cuncta odio et terrore;* Dial. 8 *agunt feruntque cuncta delatores*); de rapido veneno Ann. 13, 16 *ut vox pariter et spiritus raperentur;* de pernicie omnino 2 77 *ut te primo rumore rapiant,* cf. cp. 71 supra allatum; — i. q. celeriter capere, *abripere, corripere cet.* est (ap. Cic. quoque) Ann. 2, 7 *ut modicam praedam et — conjugem filiamque raperet;* Hist. 2, 17 *raptis quibusdam exploratoribus;* Ann. 4, 1 *quo facinore dominationem raptum ierit;* Hist. 2, 6 *Othonem — res Romanas raptum ire* (cf. supinum); 1, 13 *spem adoptionis — acrius in dies rapiebat;* Ann. 2, 19 *arma rapiunt;* inde Hist. 4, 21 *Batavorum gentem in arma rapit* i. e. ut arma celeriter arripiant adducit, (cf. Liv. 7, 23 *rapere castra* i. e. celeriter occupare; Plin. H. N. 11, 12 *rapiunt diebus serenis munia* (apes) et *in hoc temporis intervallo — agricolae rapienda sunt ea quibus peragendis ante aequinoctium non suffecerit*); i. q. vastare est Ann. 13, 6 *rapi Armeniam.* Cf. seq. et raptare.

RAPIDUS Hist. 1, 40 *rapidis equis forum inrumpunt;* 2, 30 *rapido agmine;* Ann. 12, 67 *rapidum venenum;* 13, 15 *decoquitur virus cognitis antea venenis rapidum* (12, 66 *repentinum* et *praeceps* vocatur venenum); Hist. 2, 54 *rapide vectus;* 4, 71 *eo rapidius Cerialis — tertiis castris Rigodulum venit.* Sunt eae voces poeticae maxime, sed ap. Cic. quoque legitur *rapida oratio, rapide fertur oratio,* ap. Liv. *ferox rapidusque in consiliis.*

RAPTARE poetica vox Ann. 1, 30 *turbine atque unda raptabantur;* 4, 23 *adhuc raptabat Africam Tacfarinas* (i. e. vastabat; ita Stat. h. v. utitur; cf. rapere); 12, 54 *raptare inter se;* Hist. 3, 22 *permixta vexilla, ut quisque globus capta ex hostibus huc vel illuc raptabat;* cf. Hirt. b. Afr. 73 *ut legiones — huc atque illuc raptaret;* Cic. pro dom. 23 et pro Sext. 69.

RAPTIM (freq. Liv., non desideratur etiam ap. Cic.) Ann. 1, 34 *raptim profectus*; 11, 37 *raptim praegressus*; 16, 13 *servitia perinde et ingenua plebes raptim exstingui*; Hist. 3, 18 *Moesici auxiliares — raptim ducti.*

RAPTOR Hist. 2, 86 *seditionibus potens, raptor, largitor, pace pessimus* (ita poet. et Vell.); de eo qui ad stuprum, vel etiam ad matrimonium aliq. rapit, poet., Justin. et Tacit. Ann. 1, 58 ubi Segestes Arminium *raptorem filiae* vocat.

RAPTUS, US 1) i. q. raptio (Cic., Ovid., Suet.) Ann. 6, 1 *servi. — vim, raptus suaque ipsi libita velut in captos exercebant.* 2) i. q. rapina (Lucan. 7, 236 *movere signa ad raptus segetum*) Ann. 2, 52 *vagos primum et latrociniis suetos ad praedam et raptus congregare*; 15, 38 *ut raptus licentius exercerent*; Hist. 1, 46 *per latrocinia et raptus*; 2, 73 *ipse exercitusque — saevitia, libidine, raptu in externos mores proruperant*; Germ. 35 *nullis raptibus aut latrociniis populantur.*

RATIO ap. Cic., cum quo Tacitus inter omnes scriptt. saepissime utitur h. v., est Vernunft, Vernunftgrund, Vernunftschluß, Beweis, Bewegungsgrund, Lehre, Methode, Theorie, Art und Weise, Rechnung, Rechenschaft, Vortheil, Geschäft, Vorsatz, Plan, Rücksicht, Verhältniß (Verkehr) Argumentation. (Vide Schütz. Lex. Cic.) etiam Verfahren, Betragen inv. 2, 35 *se hoc peccato doctum — omni tempore a tali ratione abfuturum.* In universum congruit cum Ciceroniano usu Tacitus, qui has v. significationes exhibet: 1) Rechnung. Ann. 1, 6 *ut non aliter ratio constet, quam si uni reddatur*; 6, 16 *rationes familiares quisque componerent.* 2) Rechenschaft. Hist. 4, 14 *belli ambiguam fortunam Vespasiano imputaturos: victoriae rationem non reddi.* 3) Bewegungsgrund. Ann. 6, 26 *si — nullis moriendi rationibus vitam fugeret*; Hist. 3, 82 *ratio cunctandi.* 4) Auseinandersetzung der Gründe. Hist. 2, 19 *non tam culpam exprobrans, quam ratione ostendens.* 5) Plan, Entschluß. Hist. 3, 22 *cui adquiescere Cremonae — ratio fuit*; 4, 56 *vicit ratio parcendi*; cp. 63 *obstabat ratio belli.* 6) Vernünftige, planmäßige Ueberlegung. Hist. 2, 25 *cui cauta potius consilia cum ratione, quam prospera ex casu placerent*; cp. 80 *dum animo timor, spes, ratio, casus obversantur*; Germ. 30 *multum, ut inter Germanos, rationis ac sollertiae*, et post paullo *quod rarissimum, nec nisi ratione disciplinae* (quae a disciplina proficiscitur) *concessum, plus reponere in duce quam in exercitu*; Agric. 4

mox mitigavit ratio et aetas; cp. 18 *naves deerant: ratio et constantia ducis transvexit;* cp. 20 *praesidiis castellisque circumdata tanta ratione curaque, ut nulla ante Britanniae nova pars inlacessita transierit.* Ita a Vellejo 1, 9 et 2, 124 opponuntur *ratio — vis, ratio — honor.* 7) Reflexion, Argumentation. Hist. 2, 26 *timuisse se Paullinus ferebat — ne — perculsis nullum retro subsidium foret. apud paucos ea ducis ratio probata, in vulgus adverso rumore fuit.* 8) Vernunftgemäßes Verfahren, omnino Verhalten. Ann. 15, 62 *ubi tot per annos meditata ratio adversum imminentia?* 11, 11 *utriusque principis rationes praetermitto.* 9) Verhältniß. Ann. 13, 14 *ut — pares rationes cum republica haberet;* cp. 50 *ut ratio quaestuum et necessitas erogationum inter se congruerent;* Germ. 22 *salva utriusque temporis ratio est,* bene rationem habent utriusque temporis, non alieno aliquid agunt tempore; inde est das rechte Verhältniß und Maaß Plin. H. N. 28, 14 *fricari cum ratione; vehemens enim fricatio spissat.* 10) Umstände Germ. 6 *prout ratio poscit.*

REBELLATIO, REBELLIO, hoc Livio etiam in usu, illud arg. aet. propr. (vid. Drakenb. ad Liv. 8, 14, 4) Ann. 14, 31 *commotis ad rebellationem Trinobantibus* (Val. Max.); *rebellio* Ann. 3, 40; Hist. 2, 11 et passim. Liv. etiam *rebellium* exhibet 42, 21, 3 *pacatos ad rebellium incitare,* ubi vid. Gronov. adnot.

REBELLIS poet. vox a T. non solum adjective usurp. Hist. 4, 72 *rebellis colonia,* sed etiam subst. Ann. 1, 40 *ubi obsequia et contra rebellis auxilium;* 2, 26 *rebellium gentes.*

RECENS ap. alios plerumque cum *a* praepositione conjunctum legitur, ap. T. cum ablat, et *ex* vel *in* praep. Ann. 1, 41 *recens dolore et ira;* 4, 52 *recens praeturâ;* 15, 59 *stipendiis recentes;* Hist. 3, 77 *recens victoriâ miles;* 2, 26 *recens e castris;* Ann. 3, 1 *recentes in dolore.* Cf. Auct. ad Herenn. 2, 7 *alius alio recentior est in dolore.* — recens pro recenter ponitur ut ap. Liv. 2, 22, 4, (ubi v. Drakenb.) et alios, maxime a nostro Ann. 4, 5 *Hispaniae recens perdomitae;* 6, 10 *recens continua potestas;* 12, 27 *recens reversus;* Hist. 2, 10 *recens — censuerant patres:* sed adj. est Germ. 2 *Germaniae vocabulum recens et nuper additum.* Cf. repens et praeceps.

RECEPTARE (Ter., Virg., al. poet.) Ann. 3, 60 *eodem subsidio obaerati adversum creditores — receptabantur.*

RECEPTOR

RECEPTOR (Ulpian.) Ann. 4, 23 *praedarum receptor.* Idem quod *recuperator* est ap. Vopisc.

RECIPERE 1) i. q. adsumere, accipere et recuperare, ut vulgo Ann. 14, 54 *opes meas — in tuam fortunam recipi;* cum ablat. 1, 43 *coelo recepta mens Augusti,* ut Liv. 26, 25 *eum ne quis urbe, tecto, mensa, lare reciperet; —* Ann. 1, 28 *privatam gratiam — statim recipias;* cp. 81 *non receptae conditiones;* 2, 9 *quodnam praemium recepisset;* Hist. 4, 32 *egregium pretium laboris recepi.* Ita Cic. quoque pro *accipere* usurp. *recip.*, sed raro. — Ann. 13, 55 *servarent sane receptos* (agros) *gregibus;* 14, 48 *senatorium ordinem receperat.* 2) recipere reum s. nomen alicujus tanquam rei praetor dicebatur, ubi causam aliquam suscipiebat dijudicandam eamque non repudiabat Ann. 2, 74 *qui crimina et accusationem, tanquam adversus receptos jam reos instruebant;* 4, 21 *ceterorum, quae multa cumulabantur, receptus est reus;* 11, 36 *ne Trauli quidem Montani equitis Romani defensio recepta est.* Cf. Cic. Fam. 8, 8 (Coel.) *neque Laterensis praetor — recipere voluit;* Val. Max. 3, 7, 9 *ubi litteris certior factus, incesti se postulatum ap. L. Cassium praetorem, cujus tribunal propter nimiam severitatem scopulus reorum dicebatur: cum id vitare beneficio legis Memmiae liceret, quae eorum qui reip. causa abessent recipi nomina vetabat, in urbem tamen recurrit.*

RECIPROCUS de mari accedente ad litus et in se recedente haud raro a Tacito et Plin. maj. dicitur Ann. 2, 97 *aestus maris paribus intervallis reciproci;* 1, 70 *quo levior classis vadoso mari innaret vel reciproco sideret;* 5, 4 *duarum Syrtium vadoso ac reciproco mari diros sinus;* etiam de lacu Ann. 16, 36 *lacus maturius reciprocus.* Verbo *reciprocari* etiam priores utuntur, e. g. Curt. 9, 9, 20 *reciprocari coepit mare;* Liv. 28, 6. 30; Cic. N. D. 3, 10; substantivo sola rursus arg. aetas, e. g. Plin. H. N. 9, 9 *observata aestus reciprocatione.*

RECLINIS (Ovid., al. poet.) Ann. 13, 16 *ut erat reclinis et nescio similis;* 14, 5 *super pedes cubitantis reclinis.*

RECLUDERE i. q. effodere, aperire, propr. et transl. sign., poet. vox Ann. 2, 25 *recluderent humum* (Virg. Georg. 2, 423 *tellus cum dente recluditur unco* et similiter ap. eund. ad animum ref.); 6, 6 *si recludantur tyrannorum mentes, posse adspici laniatus et ictus;* 16, 32 *avaritiam ac libidinem occultans; quae postquam pecuniâ reclusa sunt cet.;* Hist. 2, 77

aperiet et recludet — victricium partium vulnera bellum ipsum.

RECONDERE transl. sign., praeeunte Cicerone, maxime arg. aet. propr. Ann. 1, 7 *verba, vultus in crimen detorquens recondebat* i. e. menti suae infigebat, ut commodo et saepe longo demum tempore post promeret; 4, 57 *Rhodi secreto vitare coetus, recondere voluptates insuerat* (occulto iis indulgere).

RECREARE insolentius junctum orationi Ann. 6, 50 *qui recreandae defectioni cibum adferrent.* Similiter Plin. maj. dixit *lassitudines recreare* pro corpus lassitudine adfectum recreare.

RECTOR ap. Cic. et Augustanae aetatis scriptt. exprimit eum qui jumentum, navem, rempublicam, mundum regit, etiam de animo humano cuncta moderante usurpatur; ap. poetas etiam regem designat. Latius patet arg. aetate Ann. 1, 65 *equi — excussis rectoribus disjicere obvios*, ubi Heinsius falso praetulit *vector*, nam hac voce is designatur simpliciter equo qui vehitur, ut Propert. 4, 7, 84 *Hoc carmen media dignum me scribe columna, sed breve, quod currens vector ab urbe legat;* rector contra dicitur qua regit equum, ut Suet. Tit. 4 *cujus* (equi) *rector — occubuerat.* — educator est Ann. 1, 24 *rector juveni;* 3, 48 *datus rector C. Caesari;* 13, 2 *Burrus et Seneca — rectores imperatoriae juventae.* — procurator, proconsul Hist. 4, 68 *nec relinquenda urbs sine rectore;* 2, 85 *Moesiae rector;* Ann. 2, 4 *rector Syriae Creticus Silanus;* 12, 40 *ne provincia sine rectore foret;* Hist. 1, 59 *Lugdunensis Galliae rector.* — dux Hist. 1, 87 *peditum equitumque copiis — rectores destinati*; 2, 11 *his copiis rector additus Annius Gallus;* cp. 36 *Flavium Sabinum — Otho rectorem copiis misit quibus Macer praefuerat.* — Ad regis munia refertur, sed sine invidia, quae plerumque inest in regis voce Ann. 12, 11 *ut non dominationem et servos, sed rectorem et cives cogitaret.*

RECURSARE (Plaut., Virg., Sen.) Hist. 2, 78 *recursabant animo vetera omina.*

REDDERE (cf. referre) praeter vulg. sign. 1) ad sacrificia refertur, et est quasi debitum persolvere, offerre, arg. maxime aetate, sed praeeunte Cic., Hist. 4, 53 *lustratâ suovetaurilibus areâ et super cespitem redditis extis.* Ita Vell. 2, 14 *cum ultimum redderet spiritum* eandem fere exprimit notionem, nam vita diis debetur, iis igitur redditur. 2) ut

eadem illa notione adhibita dicitur *jus reddere* (*jus respondere* Plin. Epist. 6, 15 probare videtur, *jus reddere* dici more poetico, quo *reddere* idem fere est quod *respondere*), ita judicia reddere ap. nostrum est judicia exercere Ann. 1, 72 *Tiberius, consultante Pompejo Macro praetore an judicia majestatis redderentur, exercendas leges esse respondit;* cf. de eadem re Suet. Tib. 58 *consulente praetore an judicia majestatis cogi juberet, exercendas esse leges respondit, et atrocissime exercuit.* 3) imitatione effingere, imaginem et vitam quidem ipsam exprimentem atque idoneam praestare Dial. 1 *dum formam sui quisque et animi et ingenii redderet.* Ita poetae maxime et arg. aet. scriptores loquuntur. Cf. Quintil. 1, 1, 6 *Laelii filia reddidisse in loquendo paternam eloquentiam dicitur;* Plin. Epist. 9, 22 *in litteris veteres aemulatur, exprimit, reddit;* sed Curt. quoque 3, 2, 5 dixit *reddere speciem rei*, et *Graeca Latine reddere* ap. Ciceronem eandem fere notionem exprimit. 4) Inde est narrare, exponere, ea quasi, quae ab aliis audita vel in superioribus omissa debemus legentibus Ann. 2, 4 *quod ludibrium ut effugere agitaverit Vonones, in loco reddemus;* Hist. 4, 67 *quibus artibus — vitam per novem mox annos traduxerit, simul amicorum ejus constantiam et insigne Epponinae uxoris exemplum, suo loco reddemus.* Cf. Cic. Brut. 74 *Sed perge, Pomponi, de Caesare, et redde quae restant;* Curt. 5, 1, 1 *quae interim — in Graecis — gesta sunt, si suis quaeque temporibus reddere voluero;* Quintil. 10, 1, 75 *Xenophon non excidit mihi, sed inter philosophos reddendus est;* Plin. H. N. 13, 1 *natura — eorum suis reddetur locis.*

REDEMPTARE ἅπαξλεγ. Hist. 3, 34 *a propinquis adfinibusque occulte redemptabantur.*

REDINTEGRARE 1) vulg. sign. renovandi Ann. 11, 15 *redintegratas caerimonias;* 13, 37 *redintegrata amicitia;* Hist. 4, 34 *redintegrata acie.* 2) recreare, reficere est Ann. 4, 33 *situs gentium, varietates proeliorum, clari ducum exitus retinent ac redintegrant legentium animum.* Cf. Varro R. R. 3, 7 *quo libero aëre, cum exierint in agros, redintegrentur;* Cic. inv. 1, 52 *auditoris memoria — redintegrabitur;* sed hic locus magis ad priorem sign. pertinet, sicut Liv. 3, 56 *redintegrata extemplo est omnibus memoria foedissimae potestatis.*

REFERRE (cf. reddere) 1) se referre pro redire Ann. 13, 32 *qui ovans se de Britannis rettulit.* Poetica locutio est. Vide quae attulit Gron. ad h. l. ex Horat. et Virgilio

et Forcell. e Cicerone etiam aliisque, quibus adde Cic. N. D. 3, 14 *cur se sol referat nec longius progrediatur.* Huc pertinet *animum aliquo referre* i. e. iterum convertere (Cic.) Ann. 3, 7 *referendum jam animum ad firmitudinem* (ex moerore). 2) i. q. exprimere, reddere et ipsa poetica dictio ap. Liv. quoque obvia, saepius ap. arg. aet. scriptt. Germ. 43 *sermone cultuque Suevos referunt;* cp. 20 *robora parentum liberi referunt;* Liv. 10, 7 *retulisse dicitur Decius parentis sui speciem, qualem eum multi, qui in concione erant, viderant, incinctum Gabino cultu, super telum stantem.* 3) i. q. instaurare (ap. Cic. *consuetudinem, institutum, sacramentum, laudem referre;* vide Lex. Cic. Schütz.) Ann. 4, 4 *Exin vetus et saepe simulatum proficiscendi in provincias consilium refertur;* 1, 26 *Tiberium olim nomine Augusti desideria legionum frustrari solitum: easdem artes Drusum rettulisse.* 4) i. q. admovere (Petron.) Ann. 15, 58 *infregit impetum jam manum ad capulum referentis.* 5) i. q. perferre, tradere (Sueton.) Ann. 14, 57 *relatum caput ejus inlusit Nero;* cp. 59 *caput interfecti relatum.* 6) i. q. consequi, reportare Ann. 3, 21 *quo proelio Rufus Helvius — servati civis decus rettulit.* Ita Cic. quoque aliique locuti sunt, e. g. *repulsam referre* pro *rep. ferre.* 7) vulg. sign. qua dicitur *ad senatum referre* (nuntiare) et sim., sed insolentius compositum Ann. 14, 39 *cuncta tamen ad imperatorem in mollius relata.* 8) congruenter cum prior. dicendi genere exprimit relationem, ut hoc v. utar, Ann. 4, 57 *causam abscessus — ad Sejani artes rettuli;* 6, 49; 13, 41; Germ. 34 et passim; recedit ab hac sign., licet ex ea proficiscatur Ann. 2, 33 *cuncta ad rempublicam referri,* (gestalte sich — gemäß) *qua tenui angustas civium domus, postquam eo magnificentiae venerit, gliscere singulos.* 9) referre i. q. interesse insolentius constr. Ann. 15, 65 *non referre dedecori* (non prodesse ad dedecus minuendum), *si citharoedus demoveretur et tragoedus succederet.*

REFOVERE Ann. 2, 47 *mitti ex senatu placuit qui praesentia spectaret refoveretque;* 12, 66 *refovendis viribus mollitie coeli et salubritate aquarum Sinuessam pergit;* 15, 36 *sueti adversum fortuita adspectu principis refoveri;* Hist. 3, 58 *ipse aeger animi studiis militum et clamoribus populi arma poscentis refovebatur.* Praeter Tacitum poetae, arg. aet. scriptt. utuntur h. v. et Vell. 1, 15 *vires refovendae magis quam spargendae.* Non improbaverim etiam ap. Liv. 33, 2, 3 *dum*

regem auferunt refoventque e Gron. conjectura pro *perferuntque*, quod vix ferendum est.

REFUGUS (Ovid., T. aequales et sequiores Ann. 13, 40 *refugos non sequerentur;* Hist. 2, 24 *sponte refugi festinationem sequentium elicere jussi;* 3, 61 *in castra refugi.*

REFUSUS i. q. redundans (Forcell. teste ap. solos poetas legitur) Hist. 1, 86 *Tiberis strage obstantis molis refusus.*

REGERE latius patet arg. aetate quam ap. priores (cf. rector); ita Tacitus non solum *regere provincias* dicit Ann. 6, 32, sed etiam legiones 15, 7 *quartam Funisulanus Vettonianus eo in tempore, duodecimam Calavius Sabinus regebant;* Hist. 4, 49 *sed tum legionem in Africa regebat Valerius Festus;* exercitum Ann. 4, 33 *quae (mulieres) — nunc vinclis exsolutis domos, fora, jam et exercitus regerent;* cohortes Hist. 4, 12 *transmissis illuc cohortibus, quas vetere instituto nobilissimi popularium regebant;* classem Hist. 3, 57 *is nuper classem Misenensem molli imperio rexerat;* Ann. 6, 50 *medicus — regere* valetudines *principis solitus;* Hist. 1, 79 gladios et contos *manu regere.* — Absolute usurpatur sola arg. aetate Ann. 13, 3 *nihil regente eo reipublicae triste ab externis accidisse;* Hist. 2, 12 *Suedius Clemens ambitioso imperio regebat.* Cf. Sen. Clem. 19 *nihil magis decorum regenti quam clementia;* cp. 22 *verecundiam peccandi facit ipsa clementia regentis.* Ap. Lucan. quoque et Claudian. *regens* idem est q. rex.

REGIA de vita aulica (Petron.) Ann. 11, 29 *prioris quoque regiae peritus;* de imperio 6, 34 *inanem mox regiam Aeetae vacuosque Colchos repetivit;* de tempore imperii 14, 13 *deterrimus quisque, quorum non alia regia fecundior exstitit.* Cf. aula.

REGIMEN magis argenteae quam priori aetati usitatum Ann. 1, 31 *regimen summae rei penes Germanicum* (cf. Liv. 3, 33 *regimen totius magistratus penes Appium erat;* 4, 31); 3, 47 *omissa urbe, unde in omnia regimen;* 12, 42 *transfertur regimen cohortium ad Burrum;* 13, 3 *regimen equorum exercere;* Hist. 1, 84 *mihi — virtutis vestrae regimen relinquite;* Ann. 2, 33 *variis undique procellis incerti fluctus prospectum adimere, regimen* (gubernationem) *impedire.* Ovid. Met. 3, 593 ipsum gubernaculum dicit regimen. Cf. rector, regere.

REGNARE v. in accusativo.

REGNATOR Germ. 39 haud rara ap. poetas vox.

REGNATRIX Ann. 1, 4 ap. unum Tacitum legitur.

RELATUS, US ap. solum T. invenitur, sed sexto duntaxat casu Germ. 3 *carmina quorum relatu accendunt animos;* Hist. 1, 30 *neque enim relatu virtutum in comparatione Othonis opus est.*

RELEGARE proprie ad exsilium pertinet, ita tamen ut quae deportatione adimebantur, libertas, civitas, plerumque etiam bona, condonarentur relegato, interdum libera potestate facta eligendi loci, ubi exsilium toleraturus esset (Vide Forcell. s. v. relegatus, coll. Liv. 3, 10; 4, 4 ubi junguntur exsilium et relegatio). Nonnunquam, translata significatione, latius patet: Agric. 15 *Jam Britannorum etiam deos misereri, qui Romanum ducem absentem, qui relegatum in alia insula exercitum detinerent* „das durch Thorheit des Feldherrn nach Mona gleichsam verwiesene, dort wie festgebannte Heer," quae est Walchii interpr.; Ann. 2, 82 *erumpebant questus: ideo nimirum in extremas terras relegatum (Germanicum), ideo Pisoni permissam provinciam.* Cf. Caes. B. G. 5, 30 *communem cum reliquis belli casum sustineant, nec rejecti et relegati longe ab ceteris aut ferro aut fame intereant.*

RELIGIO vulg. modo usurp., nisi quod ad divinum etiam honorem refertur, qui imperatoribus eorumque uxoribus hac tempestate habebatur: Ann. 5, 2 *ne coelestis religio decerneretur* (Liviae); 1, 11 *templum et coelestes religiones decernuntur* (Augusto), quae in Kalend. Amitern. vocantur *coelestes honores;* cf. Ann. 4, 36 *incuria caerimoniarum* D. Augusti.

REMEARE (Liv. 24, 3 *greges nocte remeabant ad stabula;* Cic. uno loco; saepius poetae) Ann. 2, 69 *Germanicus Aëgypto remeans;* 3, 21 *cedens ac rursum in terga remeans;* 12, 17 *naves quae mari remeabant;* 14, 25 *patrias in sedes remeavere;* 15, 10 *trepidus remeavit;* cp. 60 *ex Campania remeaverat;* Hist. 3, 54 *ad Vitellium remeavit.* Cf. revenire.

REMIGIUM v. in abstractis.

REMITTERE 1) i. q. condonare, concedere, omittere (Ann. 2, 55 *quia Theophilum — precibus suis non concederent;* 4, 31 *C. Cominium — Caesar precibus fratris — concessit;* 16, 33 *Montanus patri concessus est*) Ann. 1, 10 *quamquam fas sit privata odia publicis utilitatibus remittere;* 11, 36 *Plautio Laterano mors remittitur;* 3, 55 *remissa Aedilibus talis cura;* Hist. 1, 52 *redditi plerisque ordines, remissa ignominia.* Ita haud raro hujus et proximi saeculi scriptores (vide Gron. observv. 4, 2 p. 533), sed priores quoque locuti sunt; cf. Liv. 9, 38 *memoriam simultatium patriae remitteret;*

30, 5 *alterum e duobus tribunis plebis suas inimicitias remisisse reipublicae;* Cic. Fam. 5, 10 (Vatin.) *supplicium quo usurus eram in eum quem cepissem remitto tibi et condono.* 2) idem fere est quod permittere, sed ita, ut ejus, qui rem permittit, voluntas in medio relinquatur, anheimstellen Ann. 1, 8 *Conclamant patres corpus ad rogum humeris senatorum ferendum. remisit Caesar adroganti moderatione.* Vide Wolf. ad h. l. Recte Gron. in observv. 4, 2 p. 530 „ea, ait, vis est verbi, ut non indicet modo concessisse id Caesarem, sed etiam post aliquod certamen concessisse, ut victus et expugnatus crederetur. Sic 12, 41 *Et Caesar adulationibus senatus libens cessit, ut vicesimo aetatis anno consulatum Nero iniret.*" Similes Ciceronis, Ovidii, al. locos vide ap. eundem.

RENIDERE vox poetica, de cujus etymo vide Doederl. Synon. 2 p. 74; proprie splendorem designat, transl. risum, maxime fictum Ann. 4, 60 *falsum renidens vultu;* 15, 66 *instanti minitantique renidens Scevinus;* Hist. 4, 43 *ambo infensi vultu diverso, Marcellus minacibus oculis, Crispus renidens* (bitter höhnisch); cf. Liv. 35, 49 *homo non, quam isti sunt, gloriosus, renidens* (subridens), *condimentis, ait, varietatem illam et speciem ferinae carnis ex mansueto sue factam.* Sed vix plura h. v. exempla ap. priores solutae orat. scriptt. invenias.

RENUNCIARE Ann. 2, 70 *componit epistolas quis amicitiam ei renunciabat.* Vetustus hic mos et singulis privatisque hominibus et integris nationibus amicitiam renunciandi. cf. Liv. 36, 3 *num prius societas eis* (Aetolis) *et amicitia renuncianda esset quam bellum indicendum;* 38, 31 *decreverunt societatem renunciare Achaeis;* 25, 18 *Badium Campanum T. Quintio — renunciare hospitium* (sic. Cic. Verr. 2, 36 *Vehementer Sthenio infensus hospitium ei renunciat*); 42, 25 *legati ad res repetendas in Macedoniam renunciandamque amicitiam regi* (Perseo) *missi;* Tacit. Ann. 6, 29 *morem fuisse majoribus, quotiens dirimerent amicitias,* interdicere domo, *eumque finem gratiae ponere; id se* (Tiberium) *repetivisse in Labeone;* 3, 24 *D. Silanus — quamquam non ultra foret saevitum quam ut amicitiâ Caesaris prohiberetur,* exsilium sibi demonstrari *intellexit;* cp. 12 *odero seponamque* (legatum) *a domo mea, et privatas inimicitias non vi principis ulciscar.* Cf. Suet. Oct. 66 *Cornelio Gallo* (praefecto Aegypti) *ob ingratum et malevolum animum domo et* provinciis *suis* (opp. po-

pularibus) *interdixit*, et de Germanico ipso Pisoni amicitiam renunciante Calig. 3.

REOR maxime post Plaut., Ovid., Livium freq. Tacito, *verbum horridum* quod dicit Quintil., Cic. de or. 3, 38 poeticum esse ait paucisque adnumerat *quae etiam in oratione habeant dignitatem — quibus, loco positis, grandior atque antiquior oratio saepe videri soleat.* Tacito in usu sunt *reor, rebatur, rebantur, ratus, rati;* ap. alios etiam *reris (rere), retur, remur, remini, rentur; rebar, rebare, rebamur; ratus sum, est, erat; rebor, rebitur, rear, rearis, reantur,* sed raro inveniuntur. *reor* Ann. 6, 25; 14, 4; 12, 24; Hist. 2, 37; 5, 7; *rebatur* Ann. 4, 18. 71; 13, 34. 37; 14, 59; 15, 51; Hist. 1, 14; 3, 16; *rebantur* Ann. 4, 15; 12, 31; 14, 14; Hist. 3, 50; 4, 55. 63; *ratus, rati* saepissime leguntur. Cicero exhibet *rear* divin. 1, 18; *remur* Off. 2, 9; *retur* Att. 12, 32; *rentur* Off. 2, 12; Att. 7, 3; Top. 20; *rebar* de or. 3, 22; Att. 14, 6; divin. 2, 2. 15; *rebare* Att. 14, 8; *rebatur* Acad. 1, 7; Att. 7, 3; *rebantur* N. D. 3, 6. Vix plura invenias exempla. Apud Livium leguntur *reor, rentur, rebatur, rebantur* (hujus plurima exempla collegit Drakenb. ad 27, 25, 11), *ratus, ratus est, ratus erat;* ap. Sall. *rebatur, ratus, ratus sum, est, erat.*

REPENS praeter vulg. sign. *(repentinus)* idem fere est quod recens, sed ap. solum, quod sciam, Tacitum Ann. 6, 7 *quid repens aut vetustate obscurum;* 11, 24 *non repens, sed priori populo factitatum est;* 15, 68 *accesserat repens causa;* Hist. 4, 25 *cum adcursu tot provinciarum exstingui repens perfidia potuerit;* 1, 23 (ubi propius accedit ad vulg. sign.) *sceleris cogitatio incertum an repens: studia militum jam pridem — adfectaverat.* Falso haud paucis locis *recens* praetulerunt editores. De librariorum in confundendis his vocibus errore vide Drakenb. ad Liv. 8, 29, 1. Adverbii loco positum esse potest (cf. recens) Ann. 1, 25 *murmur incertum, atrox clamor et repens quies* (I. Bekker. cum Wolf. praetulit *repente* contra libror. auctoritatem). Ita Ovid. Fast. 1, 96 *Janus bina repens oculis obtulit ora meis,* et ap. Liv. quoque haud raro si non simpliciter adverbium est, tamen ad verbum simul referendum, e. g. 6, 42 *fama repens — adlata;* 10, 7 *si quod repens bellum oriatur;* 22, 8 *repens alia nunciatur clades;* cp. 21 *cum fama repens alio avertit bellum;* 29, 10 *civitatem — repens religio invaserat.*

REPERCUSSUS adj. ap. Liv. et Tacitum de sono usurpatur Ann. 4, 51 *montis anfractu repercussae velut a tergo*

voces; cf. Liv. 21, 33 *clamoribus dissonis, quos nemora etiam repercussaeque valles augebant, territi trepidabant.* (subst. arg. tantum aetate obvium, ut Germ. 3 *quo plenior et gravior vox repercussu intumescat);* de luce Virg. et Ovid., etiam de sole Plin. H. N. 5, 5; 6, 28; de aqua Curt. 8, 9, 8 (subst. ita Plin. H. N. 2, 6; alter in Epist. 10, 69). Cf. resultare.

REPERIRE sicut *quaerere* interdum praegn. sign. usurp. omissa *consilii, remedii* notione. Ann. 1, 64 *non aliud reperit;* cf. 14, 3 *caedes quonam modo occultaretur nemo reperiebat;* Ter. Andr. 4, 1, 60 *quaero* sc. consilium; v. 56 *vel melius tute reperi;* Heaut. 3, 2, 22 *aliquid reperiret, fingeret fallacias.*

REPERTOR Ann. 4, 71 *memorare exitus, quos Latinius atque Opsius ceterique flagitii ejus repertores habuere.* Haud raro ea vox ap. poetas aur. aetatis et ap. Taciti aequales legitur; sed uno exemplo etiam ap. Sall.

REPETITUS, US ap. solum T. legitur Ann. 14, 61 *itur et in principis laudes repetitum* (uxoris) *venerantium.* Vide explicationem h. l. vexatissimi in genitivo no. 1 sub fin. Deest h. v. in Lexicis; neque tamen est quod obstet huic interpretationi, cum praesertim aliae hujus generis voces quam plurimae uni Tacito peculiares sint. cf. advectus, aemulatus, annexus, dispositus, escensus, provisus, relatus.

REPONERE 1) i. q. ponere (Cic., al.) Germ. 30 *plus reponere in duce quam in exercitu;* 2) i. q. seponere, condere (Cic. exhibet *condere* et *reponere fructus)* Hist. 1, 10 *in secretum Asiae repositus* (v. seponere); Agric. 39 *optimum in praesentia statuit reponere odium.* 3) i. q. reficere, reparare (Virg., al. poetae) Ann. 1, 63 *ruptos vetustate pontes reponeret;* Hist. 3, 34 *reposita fora templaque munificentia municipum;* Ann. 16, 13 *Cladem Lugdunensium quadragies sestertio solatus est princeps, ut amissa urbi reponerent* (sc. repararent et denuo exstruerent aedificia).

REPUTATIO arg. et sequioris aetatis vox Ann. 14, 31 *reputatio veterum novorumque morum longius tulit.*

RESCRIPTUM subst. Reſcript (Plin. min.) Ann. 6, 9 *inmiti rescripto.* Adj. est sign. *contra scriptus,* ut ap. Ciceronem legitur, Ann. 4, 34 *M. Ciceronis libro, quo Catonem coelo aequavit, quid aliud dictator Caesar quam rescripta oratione, velut apud judices, respondit?*

RESIDERE transl. i. q. sedari, compesci Ann. 13, 57 *residentibus flammis; 12, 32 Brigantes resedere.* Cf. Cic. Fam. 8, 2 (Coel.) *Marcelli impetus resederunt;* Liv. 35, 38 *postquam resedit terror,* ubi similes ejusdem scriptoris locos contulit Drakenb.; Plin. Epist. 8, 1 *resedit dolor.*

RESISTERE Ann. 2, 16 *Idistavisus campus — medius inter Visurgim et colles, ut ripae fluminis cedunt aut prominentia montium resistunt, inaequaliter sinuatur.* Neque Freinshemii neque etiam Oberl. interpp. satisfaciunt. Verum vidit Ernest. „Eleganter, inquit, utrumque verbum (*cedere* et *resistere*) dicitur in tali descriptione, ut *refugere* apud Plin. Epist. 5, 6 (§. 38 *mox zothecula,* der Alkofen, *refugit quasi in cubiculum idem atque aliud*), *occurrere* ap. eundem alia epistola, et alia ap. alios (e. g. Plin. H. N. 5, 24 *Apud Elegiam occurrit ei* (Euphrati) *Taurus mons*). Cedere ripae fluminis sive flumen ipsum dicitur, cum sinum facit aversum a campo; *montes resistere,* cum longius prominent in campum." Sed non simul cedunt ripae, simul etiam resistunt montes, quod jam ex *aut* voce patet; inde perspicitur quid sibi velint verba *inaequaliter sinuatur.*

RESOLVERE praeter vulg. sign. 1) aperire (Liv. *resolvere litteras*) Ann. 6, 48 *haec vatis in modum dictitans venas resolvit;* rursus aperire est cp. 9 *cum senili manu ferrum tentavisset, obligavit venas; precatusque per codicillos, inmiti rescripto, venas resolvit.* 2) i. q. abolere Hist. 4, 65 *vectigal et onera commerciorum resolvimus.* Vix locum inveneris alium plane similem.

RESPECTARE Agric. 37 *non agminibus ut prius, nec alius alium respectantes, — avia petiere.* Ita Vell. 2, 107 et poetae; metaph. etiam Cicero.

RESPONDERE insolentius paullo usurpatur Ann. 14, 54 *possumus seniores amici quieti respondere* i. e. operam dare, consulere. Similiter dicitur *votis, optatis, spei respondere,* pro satisfacere votis cet. et eodem fere redit Taciti sententia, nam *quieti respondere* est quasi spei respondere, qua Seneca quietem amplectebatur, ergo praegn. constr. pro *quietis spei respondere.* Vide in proleg. de constr. praegn. ibique *mare exspectare.* Longius arcessita est interpretatio h. l. quam Gronov. dedit in observv. 2, 4, qui, cum legat *possumus seniores amici quiete respondere,* hoc dicere velle ait Senecam ap. Tacitum „Corroboratior es, quam necesse est, et bene magno tempore tibi fundata stat potentia: nos

seniores amici *satisfacimus tibi etiam otium lacessendo*, et in reliquum tuis confidendo viribus."

RESTARE pro resistere dicitur Ann. 3, 46 *restantibus laminis adversum pila.* Ita priores quoque h. v. utuntur nonnullis locis, haud raro Livius; cf. 23, 45 *nunc paucis plures vix restatis;* 4, 58 *summa vi restare nunciabantur;* 10, 14 *peditum certamine immobilem hostem restare;* plura vide ap. Drakenb. ad 4, 58, 4.

RESTAURARE Ann. 3, 72 *theatrum Caesar exstructurum pollicitus est eo quod nemo — restaurando sufficeret;* 4, 43 *Segestani aedem Veneris — vetustate dilapsam restaurari postulavere.* Ita Justinus aliique sequioris aevi; fortasse etiam Livius duobus locis 5, 52, 9; 27, 21, 9; vide tamen Drakenb.

RESTRINGERE (RESTRICTUS propr. sign. ap. Horat. et Catull., metaph. pro parco, avaro etiam ap. Cic. invenitur) vox argent. et sequiori aevo freq. (ap. Liv. 10, 13, 8; 28, 23, 2 et cp. 42, 10 fluctuat lectio inter *restinguere* et *restringere;* sed Drakenb. jure defendit *restinguere)* Ann. 14, 64 *restringitur vinculis;* 15, 57 *vinclo fasciae — sellae restricto indidit cervicem;* 16, 16 *fatigare animum et moestitia restringere;* severus, rigidus est ut ap. Apulej. Ann. 15, 48 *summum iperium non restrictum nec perseverum volunt.* Vide adductus.

RESULTARE de sono i. q. resonare Ann. 1, 65 *resultantes saltus.* Ita Virg. aliique poetae loq. eosque secuti arg. aet. scriptt. e. g. Plin. Pan. 73 *resultantia vocibus tecta;* Plin. H. N. 11, 21 *echo resultanti sono.* Cf. repercussus.

RESUMERE Hist. 2, 44 *resumere arma;* Ann. 3, 40 *egregium resumendae libertatis tempus;* 4, 64 *instituta cultumque patrium resumite.* Ita Ovid. 2 Am. 1, 21 *mea tela resumpsi* et Met. 9, 524 *Inque vicem sumptas ponit positasque resumit.* Fortasse *magistratuum insignia resumpta* non *sumpta* legend. est in Liv. Epit. 74, ubi v. Drakenb.

RESURGERE poetica vox 1) propr. sign. (Ovid., Plin. maj., Suet.) Ann. 3, 46 *jacentes, nullo ad resurgendum nisu, quasi exanimes linquebantur;* Hist. 2, 78 *cupressus — repente prociderat, ac postero die eodem vestigio resurgens procera et latior virebat;* cf. Plin. H. N. 13, 19 *spina — caesa anno tertio resurgit;* 17, 39 et passim. 2) translate Ann. 1, 39 *deûm irâ resurgere (rabiem)* i. e. recrudescere seditionem; Hist. 3, 2 *quod Pannonicae legiones — resurgere in ultionem properent;* Ann. 3, 74 *relictis per quos resurgeret bellum;* 15, 41 *in tanta*

resurgentis urbis pulchritudine. Cf. Liv. 24, 45 *cum res Romana* — velut *resurgeret;* Vell. 1, 7 — *vix crediderim tam mature tantam urbem crevisse, floruisse, concidisse, resurrexisse; 2, 88 immane novi ac resurrecturi belli civilis restinxit initium.* Praeterea Virg., Propert., Justin. in hunc modum usurp. v.

RETEGERE Ann. 15, 74 *Soli, qui occulta conjurationis numine retexisset.* Cf. Cic. Att. 4, 7 *quare in hoc thecam nummariam non retexeris.* Saepius ita poëtae loquuntur.

RETENTARE i. q. retinere aucta sign. vi, ut semel Liv. 10, 5 *dictator — eo inpensius retentat agmen;* saepius Aurel. Vict., sed sine emphasi teste Drakenb. ad l. Liv.; Hist. 2, 35 *Desilire in vada ultro Germani, retentare puppes, scandere foros, aut cominus mergere;* 4, 13 *retentare legiones;* cp. 60 *dat custodes qui pecuniam, calones, sarcinas retentarent, ac qui ipsos leves abeuntes prosequerentur;* 5, 21 *Civilis dum fugientes retentat cet.*

RETICERE 1) juncta de particula Ann. 1, 67 *reticuit de adversis* (adversa); Cic. Phil. 1, 12 *non possum de utriusque vestrum errore reticere.* Vid. accusat. 2) cum dat. personae Ann. 14, 49 *optimum quemque jurgio lacessens et respondenti reticens, ut pavida ingenia solent;* cf. Liv. 3, 41, 3 *ad Valerium, negantem se privato reticere, lictorem accedere jussit;* 23, 12, 9 *interroganti senatori — si reticeam, aut superbus aut obnoxius videar;* Ovid. Met. 3, 357 *reticere loquenti;* — unde absolute etiam usurpatur, ut ap. priores Ann. 2, 38 *cum paullum reticuisset;* cp. 50 *interrogatus a consule — reticuit.*

RETRAHERE v. in trahere.

REUS recedens a forensi eaque vulgari sign. idem fere est quod auctor, causa Ann. 2, 24 *tanti exitii reum;* Liv. 6, 24 *ut se, reum fortunae ejus diei, crimine eximerent.* Cf. Walch. ad Agric. 41 p. 401.

REVALESCERE transl. (Apulej.) Ann. 14, 27 *Laodicea tremore terrae prolapsa — propriis opibus revaluit;* Hist. 2, 54 *ut diplomata Othonis, quae negligebantur, laetiore nuntio revalescerent.* Propr. sign. etiam ap. Ovid. legitur.

REVELARE (Ovid., Suet., Flor.) Germ. 31 *super sanguinem et spolia revelant frontem* (comam ponunt).

REVENIRE (Plaut., Cic.) Ann. 2, 24 *ut quis ex longinquo revenerat;* 4, 74 *revenere in urbem trepidi;* 12, 59 *postquam revenerant.*

REVERENTER (Plin. min., Suet.) Hist. 2, 27 *reverentius et aequalius duci parebant.*

REVINCERE 1) vincere, opprimere Ann. 15, 73 *coeptam adultamque et revictam conjurationem;* cf. Hor. Carm. 4, 4, 23 *diu Lateque victrices catervae Consiliis juvenis revictae.* 2) i. q. convincere (Cic., Liv.) Ann. 6, 5 *neque cuncta — revincebantur.* Cf. Liv. 6, 26; 40, 16.

REVIRESCERE 1) propr. sign. (Colum., Ovid.) Ann. 13, 58 *donec in novos fetus revirescerct arbor.* 2) transl. (Cic.) Ann. 4, 12 *domum Germanici revirescere;* Hist. 3, 7 *si — partes revirescere crederentur.*

REVOCARE 1) i. q. retractare, widerrufen (Ovid. *facta;* Sen. *promissum)* Ann. 13, 26 *ut adversus male meritos* (libertos) *revocandae libertatis jus patronis daretur.* 2) in usum reducere (Hor., Juven., Suet.) Ann. 1, 20 *antiquam duramque militiam revocabat.*

REVOLVERE 1) retro volvere, pass. i. q. redire et propr. et transl. sign. (Cic., alii) Ann. 6, 33 *hibernus auster revolvit fluctus; 4, 9 ad vana revolutus; 16, 18 revolutus ad vitia;* Hist. 3, 26 *victoria ad inritum revolvebatur;* Ann. 11, 34 *cum — ad memoriam conjugii — revolveretur.* 2) reputare secum (Ovid., Lucan., Sen.) Ann. 3, 18 *quanto plura recentium seu veterum revolvo;* 4, 21 *in animo revolvente iras;* Agric. 46 *ut omnia facta dictaque ejus secum revolvant.*

RIGOR 1) proprie (poet. et arg. aet. scriptt.) Ann. 2, 23 *auster — immenso nubium tractu validus et rigore vicini septentrionis horridior;* sed hoc etiam loco proxime accedit ad transl. significationem; nam non de frigore, sed de vehementia septentr. accipienda est vox; cf. simill. loc. Liv. 26, 45 acer *etiam septentrio ortus inclinatum stagnum eodem quo aestus ferebat.* 2) transl. ad animum sign. Ann. 6, 50 *idem animi rigor;* Hist. 1, 18 *rigor antiquus;* cp. 83 *rigor disciplinae.* Ita sola arg. aetas locuta esse videtur; sed rigidus metaphorice etiam ap. priores invenitur. Cf. Liv. 39, 40 *Cato — invicti a cupiditatibus animi et rigidae innocentiae,* cum T. Ann. 16, 22 *rigidi et tristes.*

RIMARI (Fest. *quasi rimas omnes persequi inveniendi causa*) maxime Tacito frequentatur Ann. 2, 69 *simul missi a Pisone iucusabantur ut valetudinis adversa rimantes;* 6, 3 *omnium secreta rimantem;* 14, 57 *metus ejus rimatur;* Hist. 2, 29 *tabernacula ducis ipsamque humum pilis et lanceis rimabantur;* 4, 11 *rimandis offensis sagax.* Ita poetae et inter

scriptt. qui aequales sunt Taciti; sed uno loco Cic. div. 1, 57 *id quoque rimatur quantum potest.*

RUBOR i. q. pudor (Ann. 4, 57 *pudori fuisse*) Ann. 11, 17 *nec patrem rubori;* 13, 15 *nec ruborem adlatura sors;* 14, 55 *rubori mihi est, quod cet.;* Hist. 1, 30 *rubor ac dedecus penes omnes;* 4, 7 *Marcelli studium proprius rubor excitabat, ne cet.;* cp. 62 *melior pars rubore et infamia (tempus — egere);* Germ. 13 *nec rubor* (rubori est) *inter comites adspici;* Dial. 37 *non minus rubore quam praemiis stimulabantur.* Nemo saepius ita h. v. usus est. Legitur vero non solum ap. aequales scriptt. et poëtas, sed etiam ap. Cic. de or. 2, 59; Liv. 4, 35; 34, 2; 45, 13. 37; Curt. 9, 7, 25.

RUDUS Schutt Ann. 15, 43 *ruderi accipiendo Ostienses paludes destinabat* et *naves onustae rudere;* cf. Hirt. b. Alex. 1; a. b. Hisp. 8 *aedificia — tecta rudere.* Plurali utitur Suet. Cf. Walch. Emend. Liv. p. 152 de altera v. sign. qua exprimit rem imperfectam.

RUERE cum impetu ferri nulli magis freq. quam Tacito, in universum tamen congruenti cum prior. usu Ann. 1, 30 *ruere tempestates;* Hist. 5, 19 *Rhenum prono alveo in Galliam ruentem;* — cp. 22 *Romani — quaerunt arma, ruunt per vias;* Ann. 16, 32 *in amplexus occurrentis filiae ruebat;* Hist. 1, 45 *ruere cuncti in castra;* cp. 46 *ad seditiones et discordias et ad extremum in bella civilia ruebant;* maxime de hostili impetu Ann. 4, 23 *promptius ruebant;* 6, 35 *cum Sarmatae — contis gladiisque ruerent;* Hist. 3, 34 *si qua alia vis per Alpes rueret;* 4, 78 *legio — sustinuit ruentes* (irruentes). — de fuga Ann. 2, 17 *qui campis adstiterant, in silvam ruebant* et *moles ruentium* i. e. fugientium. — de labe et pernicie Ann. 1, 7 *at Romae ruere in servitium consules, patres, eques;* Hist. 1, 84 *ne confusi pedites equitesque in exitium ruamus;* 3, 64 *ipsum Vitellium ne prosperis quidem parem, adeo ruentibus debilitatum;* 2, 34 *Caecina ac Valens, quando hostis imprudentiâ rueret, quod loco sapientiae est, alienam stultitiam opperiebantur.*

RUMOR et ipsa Tacito frequens vox pro *fama* usurp. (Cic., alii *secundus, malus rumor*) e. g. Ann. 3, 29 *utque haec secundo rumore, ita adversis animis accepta;* 15, 48 claro *apud vulgum rumore erat;* 14, 11 *adverso rumore Seneca erat, quod oratione tali confessionem scripsisset;* Hist. 2, 26 *in vulgus adverso rumore fuit.* Cf. Liv. 27, 20 *Marcellus etiam adverso rumore esse.*

RUMPERE 1) i. q. perrumpere, pervadere sine casu Ann. 2, 17 *illâ rupturus;* cf. Virg. Aen. 2, 494 *Fit via vi: rumpunt aditus primosque trucidant;* 12, 683 *rapido cursu media agmina rumpit;* Georg. 4, 368 *unde* se erumpit *Enipeus.* 2) sign. ap. priores quoque interdum obvia i. q. solvere, frangere Ann. 1, 42 *fas gentium rupistis;* Hist. 1, 12 *rupta sacramenti reverentia;* Ann. 13, 36; Hist. 3, 19 *rumpere imperium;* Ann. 14, 49 *rumpere servitium;* 11, 30 *rumpere tabulas nuptiales.* — Eodem pertinent loci qui maxime poetarum et Graecorum dicendi genus reddunt Ann. 1, 74 *rupta taciturnitate* (Horat., Virg. *rumpere silentium); 6, 20 non exsilio fratrum rupta voce* (quasi invitus erumpens in vocem et verba) ut Graeci dicunt *ῥῆξαι φωνήν, δάκρυα.*

RURSUS, RURSUM ap. T. saepissime est idem fere quod contra, *αὖ*, wieder, wiederum pro dagegen, auf der andern Seite (cf. *iterum* Ann. 12, 65; Caes. B. G. 1, 44) Ann. 1, 80 *neque enim eminentis virtutes sectabatur, et rursum vitia oderat;* 13, 13 *ut nimia nuper coercendo filio, ita rursum intemperanter demissa;* cp. 14 *audiretur hinc Germanici filia, inde vilis rursus Burrus;* Hist. 1, 1 *libidine adsentandi aut rursus odio cet.;* 3, 52 *instandum coeptis aut rursus cunctandi utilitatem edisserens;* Agric. 28 *neque ambitiose, neque per lamenta rursus;* Dial. 18 *Calvum quidem Ciceroni visum exsanguem —; rursumque Ciceronem a Calvo quidem male audivisse.* Ita pluribus locis Cic. quoque locutus est: de orat. 1, 24; pro Marc. 9; Fam. 14, 18; Att. 12, 33; Tusc. 1, 20; amic. 16. cf. Quintil. 2, 4, 3. — Pro *modo* — *modo* dicitur *rursus,* omissa primo loco particula, Hist. 3, 22 *proelium — his, rursus illis exitiabile.* V. in Proleg. de ellipsi et cf. interim.

RUTILANS arg. aet. vox Hist. 5, 13 *rutilantia arma.*

RUTILATUS Hist. 4, 61 *rutilatus crinis.* Cf. Liv. 38, 17, 3 de Gallis *promissae et rutilatae comae,* ubi v. Drakenb.

RUTILUS (Cic., poet., arg. aet.) Germ. 4; Agric. 11 *rutilae comae.*

SACRIFICALIS (Apulej., Tertull.) Ann. 2, 69 *admotas hostias, sacrificalem adparatum — proturbat.*

SAECULUM 1) post Augusti aetatem non solum centum annorum spatium, sed omnino aevum designat, Zeit, Zeitalter, quatenus mutatus princeps immutatum adducit rerum ordinem Agric. 3 *primo statim beatissimi saeculi ortu;* cf. Vellej. 2, 13 *virum non saeculi sui, sed omnis aevi optimum;* cp. 53 *quos in aetate tanti et paene nostri saeculi viri fefellit*

quinquennium. Vide Suetonii, Senecae, Plin. minoris exempla in Walch. adnot. ad Agric. locum. 2) Saeculi illius i. e. aevi cujusdam mores designat (cf. aula) Germ. 19 *nemo enim illic vitia ridet, nec corrumpere et corrumpi saeculum vocatur*, Zeitgeist. Ita Martial. 9, 28 *cum theatris saeculoque rixaris*. Alia v. ap. Forcell.

SAEVIRE v. in saevitia.

SAEVITIA (saevities v. in Heterocl.) insolentius paullo usurp. Ann. 2, 87 *saevitiam annonae incusante plebe*; sed similiter jam *coeli*, *hiemis*, *maris saevitiam* dixere priores (Agric. 22 *saevae tempestates*; cf. de hac tempestatis prosopopoeïa Sen. Epist. 23, 1 *quam humane nobiscum hiems egerit — quam malignum ver sit, quam praeposterum frigus*). Nemo saepius usus est et hoc et *saevi, saevire* vocab. Ann. 1, 67 *saevitiam* (impetum) *hostium superesse*; 2, 11 *diu sustentatâ hostium saevitiâ*, (cf. Sall. Jug. 7 *sperans* (eum) — *hostium saevitia facile occasurum*). — Ann. 11, 13 *saevitiam creditorum coercuit*; 2, 34 *saevitiam oratorum accusationes minitantium increpans*; 1, 74 *dum occultis libellis saevitiae principis adrepit*; 6, 31 *superbiam in nos, saevitiam in populares sumpsit*; 1, 44 *penes eosdem saevitia facti et invidia erat*; 14, 63 *laeta aliqua viderant, et praesentem saevitiam melioris olim fortunae recordatione adlevabant*; 15, 73 *ne composita aut oblitterata mansuetudine principis novam ad saevitiam retraheret*. — saevus *i. q. durus, crudelis, iratus, infensus, immanis, magnus* (cf. Doederl. Synon. I. p. 37 sqq. de vocibus *saevus, atrox, trux*.) Ann. 1, 6 *multa sine dubio saevaque* (πολλὰ καὶ δεινά) *Augustus de moribus adulescentis questus*; 2, 5 *quae sibi — saeva vel prospera evenissent*; cp. 26 *gravia et saeva damna*; 3, 23 *ut effusi in lacrimas saeva et detestanda Quirino clamitarent*; 4, 67 *objectu montis quo saeva ventorum arcentur*; 11, 5 *saevus accusandis reis Suilius*; 15, 58 *saevae percunctationes*; Agric. 22 *saevae tempestates*; Hist. 3, 83 *saeva ac deformis urbe tota facies*. — saevire Ann. 1, 49 *intellecto in quos saeviretur*; 3, 31 *quorum in pecuniam atque famam damnationibus et hasta saeviebat*; 4, 20 *saevitum tamen in bona*.

SAEVUS v. in saevitia.

SALARIUM v. arg. et sequioris aet. Agric. 42 *salarium — proconsulari solitum offerri — Agricolae non dedit*. V. interpp.

SANCTIMONIA Ann. 2, 86 *Occia — summâ sanctimoniâ Vestalibus sacris praesederat*; 3, 69 *Torquatam priscae sanctimoniae virginem*; 12, 6 *feminam — sanctimonia insignem*.

Cic.

Cic. quoque interdum usus est h. v., e. g. pro Balbo 10; cf. *castimonia* Cic. Verr. 4, 45; legg. 2, 10; Liv. 39, 9.

SANCTOR ἁπαξλ. Ann. 3, 26 *sanctor legum.*

SANGUINANS transl. sign. ap. unum Tacitum Dial. 12 *sanguinans eloquentia;* cf. Plin. H. N. 19, 53 *sanguinarium responsum* (Tarquinii Superbi); Plin. Epist. 4, 22 *sanguinariae sententiae.* — Propria sign. *sanguinans* etiam ap. Quintil., Apul., Solin. invenitur.

SANGUIS 1) idem fere est quod vita Agric. 32 *dominationi alienae sanguinem commodare.* 2) i. q. caedes Ann. 4, 47 *quos dux Romanus acie suggressus haud aegre pepulit, sanguine barbarorum modico ob propinqua suffugia;* Hist. 3, 83 *milite ad sanguinem et caedes obverso.* Cf. Cic. Fam. 15, 15 *odium civilis sanguinis;* Liv. 5, 21 *is finis sanguinis fuit; 35, 51 ut strictos gladios aut sanguinem usquam factum audissent; 2, 64 pugnatum ingenti caede utrimque, plurimo sanguine; 9, 13 ibi plus quam in acie sanguinis ac caedis factum; 27, 49 Victores sanguinis caedisque ceperat satietas;* Vell. 2, 95 *gentes — plurimo cum earum sanguine perdomuerunt;* Curt. 5, 4, 33 *cum multo suorum atque hostium sanguine erupit.* 3) de propinquitate Ann. 2, 71; 3, 12 *propinquus sanguis; 5, 1 sanguini Augusti et Germanici adnexa; 13, 17 in illum supremum Claudiorum sanguinem* (Britannicum). Ita Cic. Sext. 62 *homo ejusdem sanguinis,* et passim; saepius poetae usi s. h. v. sign.

SATIAS v. in defectivis.

SAXUM v. in prol. de stili Tacitei brevit.

SCANDERE transl. (Lucret. *scandere gradus aetatis adultae)* Hist. 4, 8 *suadere etiam Prisco ne supra principem scanderet.*

SCENA latiori sensu Dial. 35 *At nunc adolescentuli nostri deducuntur in scenas scholasticorum qui rhetores vocantur.* — transl. id exprimit quod quasi apparatus et ostentationis scenicae imaginem praebet, maxime quod res falsas veritatis specie quasi in scena gestas significat Ann. 14, 7 (coll. 13, 21) *Nero — scenam ultro criminis parat* (er führt eine Scene herbei, in welcher Agerinus als Verbrecher erscheinen und ertappt werden soll) perquam scite dicitur de imperatore scenae amantissimo; cf. Cic. Fam. 8, 11 (Coel.) *Scena rei totius haec,* (der einem Schauspiel ähnliche Hergang der Sache): *Pompejus, tanquam Caesarem non impugnet, sed, quod illi aequum putet, constituat, ait Curionem quaerere*

discordias. Valde autem non vult cet. Suet. Calig. 15 *nec minore scena Ostiam — subvectos — Mausoleo intulit* (pompa scenica). Alia quaedam e Petron. et Apulejo desumpta v. ap. Forcell.

SCHOLASTICUS (arg. aet. vox) ad eloquentiam, non veterem, sed declamatorias artes pertinens Dial. 14 *nondum e scholasticis controversiis recessit, et otium suum mavult novorum rhetorum more quam veterum oratorum consumere;* cp. 15 *Grajis accidisse, ut longius absit Aeschine et Demosthene Sacerdos iste Nicetes, et si quis alius Ephesum vel Mytilenas, contentus scholasticorum clamoribus, quatit, quam Afer aut Africanus aut vos ipsi a Cicerone aut Asinio recessistis;* cp. 26 *quotus enim quisque scholasticorum non hac sua persuasione fruitur, ut se non quidem ante Ciceronem numeret, sed plane post Gabinianum;* cp. 35 *At nunc adolescentuli nostri deducuntur in scenas scholasticorum qui rhetores vocantur;* cp. 42 *Ego, inquit, te poetis, Messalla antiquariis criminabimur. At ego vos rhetoribus et scholasticis, inquit.*

SCIENTIA das (genaue) Wissen um etwas Ann. 3, 69 *neque posse principem sua scientia cuncta complecti;* 16, 17 *mixta inter patrem filiumque conjurationis scientia fingitur* (cf. conscientia); cp. 18 *unde invidia Tigellini quasi adversus aemulum et scientiâ voluptatum potiorem.* Cf. Cic. pro Sulla cp. 13 *cujus scientiam de omnibus constat fuisse, ejus ignoratio de aliquo, purgatio debet videri.*

SCILICET v. in nimirum.

SCINDERE 1) minus usit. sign. aperiendi usurp. Ann. 1, 50 *limitem — scindit,* non perrumpit, quod fit hostili animo, neque etiam caedit, exscindit, quod non minus contra orationis nexum pugnaret. Recte Gron. „scinditur, inquit, quod dividitur, aperitur (cf. Vell. 2, 120 *Tiberius — arma infert genti, quam arcuisse pater et patria contenti erant; penetrat interius,* aperit limites, *vastat agros*), rimam aut fenestram aut intercapedinem et aliquid interlucens accipit. Sic *scindunt robora cuneis;* sic *scindit se nubes,* sic Orion vadit per maxima Nerei stagna *viam scindens;* sic *solum scindere;* sic *vallum scindere* (sed ibi est perrumpere, revellere, ut Caes. B. G. 5, 51 *vallum manu scindere,* metaphr. *περιτέμνειν;* cf. Moeb. ad 3, 5; Liv. 7, 37 *complendas esse fossas, scindendumque vallum, et in castra irrumpendum;* Tacit. Ann. 1, 65 *cum delectis scindit agmen*). Ita ergo et *silva scinditur,* cum in

ea pervium fit, cum per eam aperitur via militaris. —. Commodissime igitur hoc verbum et ad limitem et ad silvam refertur.“ Inde 2) dividere est (Sall.) Germ. 43 *dirimit — scinditque Sueviam continuum montium jugum.* 3) transl. ad animi diversos adfectus sign. (Virg.) Hist. 1, 13 *circa consilium eligendi successoris in duas factiones scindebantur.*

SCRIPTITARE (Cic.) Hist. 2, 86 *scriptitasse Othoni credebatur, ducem se partibus offerens;* 3, 52 *ad Primum et Varum media scriptitabat.*

SCRIPTURA i. q. liber, opus (Terent.) Ann. 4, 32 *nemo annales nostros cum scriptura eorum contenderit qui...;* 3, 3 *diurna actorum scriptura* i. e. acta diurna urbis.

SCROBS Grube Ann. 1, 61 *quot patibula captivis, quae scrobes* e more Romano fortasse dicitur, quo ii qui supplicio affici debebant in scrobem demittebantur; cf. Ann. 15, 67 ubi tribunus, cui mandatum erat Flavii supplicium, dicitur *proximo in agro scrobem effodi jussisse;* Suet. Nero 49 *scrobem coram fieri imperavit* (Nero manum sibi inlaturus) *dimensum ad corporis sui modulum* (scil. ne sepultura plane careret. Ita Labeo post Bruti exitum interfici se jussit, App. B. C. 4, 135 βόθρον ἐν τῇ σκηνῇ τὸ μέγεθος αὐτάρκη σώματι ὀρυξάμενος —. καὶ τῷδε μὲν ἡ σκηνὴ τάφος ἐγένετο). Sed priori Taciti loco rectius *scrobes* intelligas de foveis in quas cadavera congerebantur; cf. Polyb. 1, 80 de Carthaginiensibus συντρίψαντες τὰ σκέλη, ἔτι ζῶντας, ἔῤῥιψαν εἴς τινα τάφρον.

SECRETUS, SECRETUM, SECRETO omnium maxime Tacito frequentantur, omnino huic quam priori aevo usitatiora Ann. 15, 59 *domi* secretus; 14, 22 *casta et secreta domus;* Dial. 13 *securus et secretus Virgilii secessus;* Agric. 38 *vastum ubique silentium, secreti* (i. e. deserti) *colles*, ubi vid. Walch.; Ann. 4, 21 *Pisonem secreti sermonis incusavit adversum majestatem habiti;* cp. 38 *perstititque posthac secretis* (h. l. est privatis) *etiam sermonibus adspernari talem sui cultum;* 15, 36 *provincias Orientis, maxime Aegyptum, secretis imaginationibus agitans,* et *vidisse civium moestos vultus, audire secretas querimonias;* Hist. 1, 64 *secretis eum criminationibus infamaverat ignarum;* cp. 65 *nec jam secreta exhortatio, sed publicae preces;* Dial. 6 *Vulgata dicentium gaudia — percenseo. illa secretiora et tantum ipsis orantibus nota majora sunt.* Cf. Liv. 26, 24; 34, 61 *secreta conloquia;* 35, 15 *consilia;* 40, 8 *crimina;* 44, 19 *spes;* 25, 1 *secretae bonorum indignationes;* 39, 10 et 34, 54 partic. est *cum nihil secretum*

alter ab altero haberet et *senatus a populo secretus;* Sall. Jug. 29 *reliqua cum Bestia et Scauro secreta transigit.* — secretum 1) est secessus, locus abditus, et saepe pertinet ad secreta colloquia, secretas cogitationes, clandestinos coetus, secessum propter otium vel occultas ob causas petitum, vitam privatam opp. publicae et ap. Tacitum etiam ad exsilium (per euphemismum) Germ. 9 *deorum nominibus adpellant secretum illud, quod sola reverentia vident;* cp. 41 *Et haec quidem pars Suevorum in secretiora Germaniae porrigitur;* Hist. 3, 13 *secretiora castrorum adfectans in principia vocat* (primores); Agric. 25 *tamquam aperto maris sui secreto* (die Verborgenheit des fernen Meeres), *ultimum victis perfugium clauderetur;* cp. 31 *longinquitas ac secretum* (Caledoniae) *ipsum quo tutius eo suspectius;* Dial. 12 *nemora et luci et secretum ipsum — mihi adferunt voluptatem* (die stille Zurückgezogenheit, die Einsamkeit selbst); Hist. 1, 85 *plena omnia suspicionum, et vix secreta domuum sine formidine;* Ann. 4, 57 *Tiberius caede Sejani patrata sex postea annos pari secreto* (Capreae) *conjunxit* et *Rhodi secreto* (exsilio quasi) *vitare coetus, recondere voluptates insuerat.* — Hist. 2, 4 *petito secreto futura aperit;* Ann. 11, 30 *ubi datum secretum;* Hist. 2, 100 *Patavii secretum componendae proditionis quaesitum;* 4, 49 *secreto eorum nemo adfuit;* Ann. 13, 18 *crebra cum amicis secreta* (coetus) *habere;* Agric. 22 *secretum et silentium ejus, non timeres* (geheimnißvolle Zurückgezogenheit); Agric. 39 *quodque saevae cogitationis indicium erat, secreto suo satiatus, optimum in praesentia statuit reponere odium;* Hist. 1, 10 *palam laudares, secreta* (vita privata) *male audiebant;* 2, 57 *quod palam abnuerat, inter secreta convivii largitur.* — Ann. 14, 53 *Augustus M. Agrippae Mytilenense secretum — permisit;* Hist. 3, 63 *non omisere — salutem et pecuniam et secreta Campaniae offerre* (ubi honestum quasi exsilium toleraret) *Vitellio;* 1, 10 *in secretum Asiae repositus tam prope ab exsule fuit quam postea a principe.* Cf. Liv. 23, 8 *ubi in secretum (hortus erat posticis aedium partibus) pervenerunt;* 30, 14 *adductum in secretum sic adloquitur* (similis l. Phaedr. 3, 10, 11); 25, 1 *in secreto abolebantur Romani ritus;* 35, 32 *conloquium in secreto habitum;* 34, 36 *in secreto volutare condiciones;* 39, 50 *in secreto consultantes.* — 2) arcanum Geheimniß (Ann. 1, 6 *arcana domûs*): Ann. 4, 7 *secreta quoque ejus, corruptâ uxore, prodebantur;* 6, 3 *Paconianum — perculit — audacem, maleficum, omnium secreta*

rimantem; 3, 30 *mox praecipuus cui secreta imperatorum innitererentur;* 13, 12 *penitus inrepserat per luxum et ambigua secreta* (occultarum voluptatum societate); 4, 3 *Eudemus, amicus ac medicus Liviae, specie artis frequens secretis* (adhibitus); Germ. 19 *litterarum secreta* (res furtivas ad amorem pertinentes, epistolas, carmina, libellos obscoenos, ut recte Hess. ad h. l.) *viri pariter ac feminae ignorant;* cp. 22 *gens non astuta — aperit adhuc secreta pectoris;* Ann. 15, 50 *particeps ad omne secretum Pisoni erat;* 16, 25 *pavidos supremis suis secretum circumdare. adspiceret populus virum morti obvium;* Hist. 1, 17 *magni secreti impatiens;* cp. 22 *secreta Poppaeae;* Ann. 4, 54 *secretum ad penetrandum quaeri* (geheime Mittel und Wege); 3, 37 *ab eo in urbe, inter coetus et sermones hominum obversante secreta patris mitigari* (secreta eaque saeva consilia). Cf. Liv. 34, 36 *ad secreta tegenda;* Curt. 3, 12, 16 *secretorum omnium arbiter.* Vix plura exempla inveneris ap. priores solutae duntaxat orat. scriptt. cf. inter aequales Taciti de utraque vocis sign. Quint. 11, 1, 30 *animi secreta detegit (oratio);* 12, 9, 5 *hactenus eloquentia secretum habet;* 1, 4, 5 *eloquentia dulcis secretorum comes;* 10, 7, 16 *stilus secreto gaudet;* 10, 3, 22. 27. 30. 31; 1, 2. 4. 18; 1, 4, 5; Plin. H. N. praef. *secretum materiae* (das Dunkle); Plin. Epist. 3, 1 *quam dulce secretum* (ejus, qui cum uxore vel amico vehitur); cf. Pan. 48. 43. — secreto (Hist. 1, 19 *agitatum secreto num cet.* et passim) haud raro ap. priores invenitur; cf. Caes. B. G. 1, 18 *secreto quaerere;* 31 *agere;* B. C. 1, 19 *conloqui;* 3, 60 *castigare;* Cic. Fam. 7, 25 *audire;* 8, 1 *narrare;* Liv. 7, 14 *percunctari;* 26, 22 *conloqui.*

SECTIO „talis auctio vel redemptio praedae aut bonorum proscripti damnative omnium, quae aerario inferenda sunt; et qui haec bona sub hasta emebant, dicebantur *sectores* a *secandis* bonis, quod praedam vel bona illa universa hanc ob causam redimebant, ut iis per partes vendendis lucrum facerent.“ Ern. ad Ann. 13, 23; vide ibi Rup. et cf. Hist. 1, 20. 90; Schütz. Clav. Cic. et Moeb. ad Caes. B. G. 2, 33.

SECUNDARE poetica vox a Justino quoque usurpata, Ann. 2, 24 *relabente aestu et secundante vento.*

SECUNDUM aliquem dare i. e. decernere in commodum alicujus Ann. 4, 43 *ita secundum Messenios datum;* cf. Cic. Att. 4, 2 *pontifices secundum se decrevisse;* 16, 16 *consules de consilii sententia decreverunt secundum Buthrotios;*

Liv. Epit. 74 *secundum debitores jus dicebat;* proxime ad Taciteum accedit locus Liv. 23, 4 *eas causas suscipere, ei semper parti adesse, secundum eam* (sc. partem) *litem judices dare, quae magis popularis — esset,* coll. Cic. pro Rosc. Com. 1 *Quo minus secundum eas lis detur, non recusamus.*

SECURUS praeter vulg. sign. 1) i. q. incuriosus, negligens (poet. et Quintil.) Hist. 3, 41 *apud avidos periculorum et dedecoris securos.* 2) de rebus inanimis qua securitatem praestant (aequales et poet., sed Liv. etiam 39, 1 *nullum locum quietum aut securum esse sinere*) Ann. 3, 54 *leges — contemptu abolitae securiorem luxum fecere;* Hist. 1, 1 *principatum D. Nervae et imperium Trajani, uberiorem securioremque materiam, senectuti seposui;* cp. 86 *Tiberis — non modo jacentia et plana urbis loca, sed secura ejusmodi casuum implevit;* Agric. 9 *castrensis jurisdictio secura et obtusior;* unde subst. quoque h. sign. usurp. Ann. 15, 18 *frumentum — in Tiberim jecit, quo securitatem annonae ostentaret.*

SECUS = s e x u s vide in d e f e c t i v i s.

SECUS i. q. a l i t e r, inde m i n u s, a l i t e r q u a m d e c e t Ann. 4, 8 *ne secus* (eos) *quam suum sanguinem foveret;* cp. 5 *neque multo secus in iis virium;* 2, 50 *quae de matre ejus locuta secus* (inreligiose) *argueretur;* cf. Cic. Cluent. 44 *nihil de illo unquam secus esse existimatum;* Liv. 8, 33 *ne quid de collega secus — senatui scriberet;* Val. Max. 9, 11, 2 *quid de eo secus dicturus esset, cui pro sanctitate morum satis digna laudatio reddi non posset.*

SEDERE v. in s i d e r e.

SELLARII Ann. 6, 1 *tuncque* (Tiberii sub imperio) *primum ignota ante vocabula reperta sunt sellariorum et spintriarum, ex foeditate loci ac multiplici patientia.* Legitur h. v. etiam ap. Gruter. inscriptt. p. 339 n. 5. ubi *sellarius* est auriga; Gloss. *διφροφόρος*. Cf. Suet. Tib. 43 *secessu vero Capreensi etiam sellariam excogitavit, sedem arcanarum libidinum, in quam undique conquisiti puellarum et exoletorum greges monstrosique concubitus repertores, quos spintrias appellabat, triplici serie connexi, invicem incestarent se coram ipso, ut adspectu deficientes libidines excitaret.* Sellaria igitur locum designat pluribus instructum sedilibus (Plin. maj. sellarias commemorat in domo aurea Neronis), et verba Taciti *foeditas loci* collata loco Suetoniano indicant cui rei destinatus fuerit. Cf. etiam Rup. ad Juv. 3, 136 *at tu Quum tibi vestiti facies scorti placet, haeres Et dubitas alta Chionem*

deducere sella. — Spintria vox ap. Suet. tantum et Tacitum invenitur.

SEMEL ein für allemal Germ. 19 *cum spe votoque uxoris semel transigitur,* ubi Passow. „hic, ait, particulae *semel* usus paulo exquisitior: *cum spe votoque in omne tempus transactum est.* V. egregiam Bentleji annotationem ad Hor. Sat. 2, 8, 24, cui frustra obloquitur Heindorf. et Forcellin. h. v. Alia exempla scriptores praebent Tacito aequales, Plin. maj. et Quintil. Plane eodem modo Graeci vocula *ἅπαξ* utuntur. Steph. Thes. T. 1. p. 483." Vide etiam quae Hess. ad h. l. contulit, qui etiam Ciceronis laudavit locum similem de Off. 3, 15, 61 *uterque, si ad eloquendum venerit (in rebus contrahendis), non plus quam semel eloquetur.* Cf. praeterea Liv. 25, 6, 16 *hostis denique est datus, cum quo dimicantes, aut vitam semel, aut ignominiam finirent,* ubi Drakenb. „Eleganter, ait, *semel fieri* dicuntur, quae iterum fieri nequeunt. Ovid. 12. Her. 112 *At semel aeterna nocte premenda fui.*

SEMERMIS v. in exanimus.

SEMIFACTUS Ann. 15, 7 *semifacta opera fugâ perrupit seque vallo extulit;* ita praeter T. solus Hirt. de b. Afr. 83 *in portas valli semifactas ruere contendunt.*

SEMINEX (sed primus casus nusquam fortasse invenitur) Hist. 3, 28 *semineces cum exspirantibus volvuntur;* Agric. 36 *plerique semineces.* Legitur h. v. praeter poetas etiam ap. Livium.

SEMIRUTUS Ann. 1, 61 *semiruto vallo;* 4, 25 *castellum semirutum.* Est haec vox Livio familiaris, quod exemplis satis multis congestis Drakenb. probat ad 36, 24, 6. Alia v. ap. Forcell. maxime e poetis desumpta.

SEMISOMNUS v. in exanimus.

SEMIUSTUS Ann. 15, 40 *tectorum vestigia semiusta.* Utuntur h. v. poetae, Suet. et transl. etiam Liv. 22, 40 *se populare incendium priore consulatu semiustum* (ambustum) *effugisse.*

SEMOTUS transl. et peculiari prorsus sign. qua idem fere est quod secretus Dial. 2 *ut fabulas quoque eorum et disputationes et arcana semotae dictionis penitus exciperem.*

SENATOR vox ubi additur nomini ap. Tacitum, disertim excludit magistratus significationem, quae alias fere semper adjungitur. cf. Ann. 2, 33 *a Q. Haterio consulari, Octavio Frontone praetura functo;* 3, 31 *Domitius Corbulo praetura functus;* contra 1, 75 *Pius Aurelius senator;* 2, 27 *Firmius*

Catus senator; 3, 36 *C. Cestius senator;* 6, 38 *Granius Martianus senator;* 12, 42 *Junio Lupo senatore.*

SENECTA, SENECTUS v. in heteroclitis.

SENESCERE transl. i. q. imminui Hist. 2, 24 *senescens fama;* Ann. 1, 10 *postquam hic (Lepidus) socordiâ senuerit,* ubi medium quasi locum tenet *senescere* inter hanc et propr. sign. Ita Cic. quoque, Vell., al. loq., maxime inter omnes Livius. V. exempla ap. Drakenb. ad 29, 22, 8 *senescente invidia.* Eundem in modum usurpantur *hebescere, torpere, torpor, sopor.* Hist. 2, 77 *Illi per fastidium et contumaciam hebescunt* et *Vitellii torpore;* cp. 76 *torpere ultra — sopor et ignavia videretur* (Liv. 1, 41 *torpent consilia subita re*); cf. torpedo; torpor.

SENIUM v. in heterocl.

SENSUS qua est sententia verbis expressa, Sentenz, Gedanke, Vellejo, Statio, Tacito freq. Ann. 13, 3 *Tiberius — validus sensibus;* 15, 67 *nec minus nosci decebat militaris viri sensus incomptos et validos;* Dial. 32 *in paucissimos sensus et angustas sententias detrudere eloquentiam;* cp. 21 *sordes autem verborum et hians compositio et inconditi sensus redolent antiquitatem;* cp. 23 *gravitate sensuum nitorem et cultum verborum miscetis.*

SEPONERE maxime Tacito freq., qui varie inflectit significationem, quam ap. priores retinet h. v., sed nusquam plane ab ea recedit. Ann. 2, 59 *seposuit Aegyptum* i. e. sibi soli vindicavit; 6, 19 *aurarias ejus, quamquam publicarentur, sibimet Tiberius seposuit;* 13, 19 *Sextium Africanum — a nuptiis Silanae deterruerat Agrippina, non ut Africanum sibi seponeret* (reservaret), *sed ...;* Agric. 31 *nonne ostendamus, quos sibi Caledonia viros seposuerit?* Hist. 1, 1 *imperium Trajani, uberiorem securioremque materiam, senectuti seposui* (est igitur zu einer künftigen Bestimmung bei Seite legen und unbenutzt lassen); Ann. 13, 54 *agros vacuos et militum usui sepositos insedere;* 15, 60 *raptus in locum servilibus poenis sepositum* (in locum absconditum p. destinatum); 13, 44 *pars tenebrarum libidine seposita* (libidine, cui reservata erat, absumpta); — idem fere est quod amovere Hist. 2, 33 *interesse pugnae imperatorem an seponi melius foret dubitavere,* unde orta est Tacito et Suetonio (Oct. 65) usurpata exsilii et relegationis sign. Ann. 3, 12 *seponam a domo mea legatum;* apertius ipsum exsilium, sed minus grave (cf. secretum) exprimit Ann. 4, 44 *hunc seposuit Augustus in civitatem*

Massiliensem; Hist. 1, 88 (coll. 2, 63) *sepositus per eos dies Cornelius Dolabella in coloniam Aquinatem;* 1, 13 *mox suspectum — in provinciam Lusitaniam specie legationis seposuit;* cp. 46 *Laco praefectus, tanquam in insulam seponeretur, ab evocato — confossus.* Cf. reponere et abdere.

SEPTUS transl. Germ. 19 *septâ pudicitiâ agunt.* Cic. dicit *legibus septus;* Liv. 3, 44 *postquam omnia pudore septa animadverterat;* unde Hess. cum aliis quibusdam a Cod. Arund. suppeditatam lectionem *septae* praetulerunt. Sed praestat *septa,* cum plane e more stili Tacitei dicatur; cf. s. v. agere *animo moesto agere, corruptis moribus ag., uno matrimonio agere.* Qui primus scripsit *septae,* ei vulgare, non Taciteum dicendi genus obversatum est. Neque admodum diversum sensum efficiunt *septae* et *septa,* maxime ap. Tacitum, cui e poetico quem sequitur loquendi modo, mulieres *septa pudicitia agentes* sunt m. quarum pudicitia ipsis moribus munita custodibus non eget.

SEPULTURA quid sit optime intelligitur e loco Plin. H. N. 7, 55 *sepultus intelligitur quoquo modo conditus, humatus vero humo tectus.* Est igitur etiam *sepultus* cujus crematum est corpus. Hist. 1, 47 *concedi corpora sepulturae cremarique permisit;* Ann. 6, 29 *damnati publicatis bonis sepultura prohibebantur, eorumque qui de se statuebant humabantur corpora;* 3, 73 *Corpus (Germanici) antequam cremaretur, nudatum in foro Antiochensium, qui locus sepulturae destinabatur* i. e. cremando corpori; cineres enim postea Romam transferebantur (cf. cp. 75; 3, 1. 4); non igitur h. l. *sepultura* idem valet quod *sepulcrum,* quamquam cenotaphium, sepulcrum, eo ipso loco ubi crematus est erectum Germanico legimus cp. 83. Nihil probant loci, quos Forcell. contulit Cic. Fam. 4, 12; Suet. Tib. 1, nam ibi quoque *sepultura* propriam retinet sign. qua in universum exprimit condendi actum; neque unquam *sepulturam* pro *sepulcro* dictam esse contenderim.

SEQUI insolentius usurp. Germ. 38 *horrentem capillum retro sequuntur.* Recte Passow. ad h. l. „Tacitus, inquit, ipse Ann. 3, 69 (*adulationem longius sequitur*) *sequi* usurpavit sensu verbi *indulgere.* Et *crinibus indulgere* recte de iis dixeris, qui alunt comam eaque promittenda gaudent. Certe contorte explicare quam temere emendare malui.“ Cf. etiam Ann. 1, 49 *sequitur ardorem militum Caesar* i. e. indulget ardori. *Sequi* haud raro a poetis et arg. aetatis scriptoribus

refertur ad ea quae cum facile moveantur sponte cadunt. Ita Varro *herbae*, ait, *aridae factae — celerius rumpuntur quam sequuntur* (vide Forcell.). Neque alius est Taciti usus nostro loco, nisi quod e more suo transitive utitur h. v., ut *capillum retro sequi* idem fere sit quod *ita componere capillum ut retro sequatur.* Cf. Ovid. Met. 1, 529 *Et levis impexos retro dabat aura capillos;* Quintil. 11, 3, 160 *capillos a fronte contra naturam retro agere.*

SERICA vestis Ann. 2, 33 *ne vestis serica viros foedaret.* Lips. in Exc. I. „Byssina, inquit, e lino, bombycina e verme, serica ex arborum lana confectae. Bombycina eadem est cum Cea sive Coa. — Sericae pellucebant tenerrima, ut Ammianus loquitur, subtilitate. Ideoque quotiens pellucidam vestem, pellucentem togam taliaque legis, capito de serica aut Coa. Quando venerint in usum planissime non scio. Suspicor Julii Caesaris aevo; nam ante non invenio, qui etiam ludis theatrum totum velis contexit sericis, ut ex quorundam fide refert Dio 43, 24. Eam vestem etiam Medicam dictam, scriptum reliquit Procopius de bello Pers. 1, 20. Genera ejus facta postea: *holoserica, subserica,* ususque primus holoserica Elagabalus, de quo adi Lamprid. c. 26." Cf. super hac re etiam Ann. 3, 53 *promiscuas viris et feminis vestes;* Plin. H. N. 11, 27 *nec puduit has vestes (Coas) usurpare etiam viros, levitatem propter aestivam. In tantum a lorica gerenda discessere mores, ut oneri sit etiam vestis;* 6, 17 *Seres (Indi) lanicio silvarum nobiles, perfusam aqua depectentes frondium canitiem;* Sen. de benef. 7, 9 *video sericas vestes, si vestes vocandae sunt, in quibus nihil est, quo defendi corpus aut denique pudor possit.* V. Voss. ad Virg. G. 2, 120 sq.

SERVITIUM v. in abstractis.

SESQUIPLAGA duo ictus, sed impares, ap. solum Tacitum legitur Ann. 15, 67 *cum vix duobus ictibus caput amputavisset, saevitiam apud Neronem jactavit, sesquiplagâ interfectum a se dicendo.*

SEU v. in sive.

SEXUS (SECUS v. in defectivis) i. q. genus et (argentea, ut videtur, aetate) κατ' ἐξοχὴν muliebre Ann. 1, 58 *Arminii uxor virilis sexus stirpem edidit;* 2, 38 *daturum liberis ejus ducena sestertia singulis qui sexus virilis essent;* cp. 84 *duos virilis sexus simul enixa est.* — Ann. 16, 10 *aliquando, sexum egressa, voce infensa clamitabat cet.;* 1, 51 *non sexus, non aetas miserationem attulit;* 3, 34 *sexum naturâ*

invalidum; cf. Quintil. 1, 1, 6 *Q. Hortensii filiae oratio, apud Triumviros habita, legitur non tantum in sexus honorem.*

SI, SI NON, NISI (v. in indicativo et in conjunctivo no. 5.) Ut vulgo, opponuntur si non — at, at certe (ap. Cic. etiam *at — tamen* Brut. 4; *attamen* Font. 12; *at saltem* Fam. 9, 8.) Dial. 21 *si non universae, at partes earum;* Germ. 33 *si non amor nostri, at certe odium sui.* Insolentius dicitur etsi non — at certe Ann. 12, 39 *tanquam ducem haud spernendum etsi non proelium, at certe bellum absumpsisset;* Dial. 19 *elementis studiorum etsi non instructus, at certe imbutus.* Ita Sueton. quoque locutus est; sed *etsi non — at, certe, tamen* etiam ap. priores leguntur: *etsi non — at* Cic. Fam. 6, 6; *etsi non — certe* Liv. 25, 6; etiam sine advers. particula 24, 41 *etsi non merito eorum, jure feci meo;* cf. Cic. Fam. 16, 24 *si non potes omne, partem aliquam velim extorqueas;* — *etsi non — tamen* Cic. Harusp. 21; Fam. 6, 6; Liv. praef.; 2, 16; 38, 41. — nisi quod, nur daß, wenn man nicht lieber sagen will, daß; doch; praeeunte Cicerone (v. Ramsh. Gr. Lat. p. 593) saepissime usurpatur a nostro: Ann. 14, 14 *notos quoque equites Romanos operas arenae promittere subegit donis ingentibus, nisi quod merces ab eo qui jubere potest, vim necessitatis adfert;* Hist. 3, 28 *Hormine id ingenium — an potior auctor sit C. Plinius — haud facile discreverim, nisi quod neque Antonius neque Hormus a fama vitaque sua degeneravere;* Germ. 9 *unde causa et origo peregrino sacro parum comperi, nisi quod signum ipsum — docet advectam religionem;* Agric. 6 *vixerunt mira concordia per mutuam caritatem et invicem se anteponendo; nisi quod in bona uxore tanto major laus, quanto in mala plus culpae est;* cp. 16 *eadem inertia erga hostes, similis petulantia castrorum; nisi quod innocens Bolanus — caritatem paraverat loco auctoritatis.*

SIC sequente *quomodo* particula (Quintil., Plin. maj.) Ann. 16, 31 *sic gemmas et vestes et dignitatis insignia dedi, quomodo si sanguinem et vitam poposcissent.* Ap. priores *ut, quemadmodum, quasi, tanquam* sequuntur. Insolentius paullo, sed non sine priorum exemplis dicitur *sic quoque* pro etiam sic se habentibus rebus, ubi causa exprimitur, auch ohne dies schon Ann. 4, 40 *sic quoque erumpere aemulationem, — quid si intendatur certamen?*

SIDERE 1) auf den Grund gehn, untergehn, versinken, de montibus Ann. 2, 47 *nocturno motu terrae — sedisse immensos*

montes; cf. Sall. Hist. 6 p. 1003 *rupti aliquot montes tumulique sedere;* de navibus Ann. 1, 70 *quo levior classis vadoso mari innaret vel reciproco sideret;* 2, 6 *quaedam planae carinis, ut sine noxa siderent;* cf. Nep. Chabr. 4 *navis rostro percussa coepit sidere;* Propert. 2, 11, 30 *an mediis sidat* (navis) *onusta vadis;* Caes. B. G. 3, 13 *in vadis consistere;* Plin. 6, 24 *mare ita profundum ut nullae ancorae sidant* (Grund bekommen); Quintil. 12, 10, 37 *ego aliquid, non multo tamen, altius, in quo mea cymba non sidat, inveniam;* Plin. 10, 75 *ova sidentia* i. e. plena, quae non innatant aquae; coll. 12, 54; 2, 106. Vide etiam Drakenb. ad Liv. 22, 30, 10. 2) transl. i. q. sedari (Sil. *minae,* Stat. *rabies sedit*) Hist. 2, 15 *sidente paullatim metu.*

SIGNATIO (alia sign. ap. Tertull. legitur) Dial. 16 *interrogabo quos vocetis antiquos, quam oratorum aetatem signatione* (significatione) *determinetis.*

SIGNUM praeter vulg. sign. 1) i. q. tessera (Losung) est (Sueton.) Ann. 1, 7 *defuncto Augusto signum praetoriis cohortibus ut imperator dederat;* 13, 2 *signum more militiae petenti tribuno dedit* optimae matris (Agrippinae). 2) ut ap. priores designat non solum vexillum sed etiam aquilam, plerumque tamen opponitur aquilae, manipulorum et cohortium vexilla exprimens Ann. 2, 41 *recepta signa* (aquilae) *cum Varo amissa;* Hist 2, 18 *conreptis signis vexillisque;* cp. 29 *Valentem — circumdatum aquilis signisque in tribunal ferunt;* Ann. 1, 18 *una tres aquilas et signa cohortium locant* (cp. 34 *vexilla cohortium* vocantur); cp. 37 *cum fisci de imperatore rapti inter signa interque aquilas veherentur;* cp. 39 *signa et aquilam amplexus religione sese tutabatur;* 3, 2 *praecedebant incompta signa* (duarum cohortium praetoriarum); 2, 17 *illâ rupturus, ni Raetorum — et Gallicae cohortes signa objecissent;* 1, 69 *nihil relictum imperatoribus, ubi femina manipulos intervisat, signa adeat, largitionem tentet;* latissime pâtet 12, 37 *feminam signis Romanis praesidere;* Hist. 2, 14 *Alpini nondum sub signis.* Cf. Liv. 33, 9 *tribunus cum viginti signorum* (manipul.) *militibus;* cp. 1 *cum unius signi militibus;* 25, 23 *signi unius milites;* 39, 20 *legionis secundae signa tria, undecim vexilla* (rarior ea vox ap. priores, et plerumque idem est q. *signum* cf. Liv. 8, 8; 25, 14. Ut Tacitus vexilli vocabulo eos interdum designat qui sub vexillo sunt, ita a. b. Hisp. 18 signum usurp. *e suo signo periisse homines triginta quinque.* v. vex-

illum) *socium Latini nominis in potestatem hostium venerunt.*

SIMPLICIA v. in Verbo.

SIMUL 1) sequentibus *ac, atque, que, et,* pro *pariter ac* (Liv.) Ann. 3, 50 *est locus sententiae, per quam neque huic delictum impune sit, et nos clementiae simul ac severitatis non poeniteat;* 6, 44 *Tiridates simul fama atque ipso Artabano perculsus;* Germ. 30 *Cattos suos saltus Hercynius prosequitur simul atque deponit;* cp. 34 *obstitit Oceanus in se simul atque in Herculem inquiri;* Ann. 5, 10 *fingebant simul credebantque;* 6, 37 *fluminum instabilis natura simul ostenderet omina raperetque;* 2, 5 *ut Germanicum dolo simul et casibus objectaret;* 6, 48 *fugere simul acta et instantia.* 2) simul — simul s. et — simul pon. pro et — et Ann. 14, 40 *simul longa senecta simul orbitate;* 12, 29 *et odio accolarum simul domesticis discordiis;* et illud quidem Livio freq. 1, 9; 2, 10; 3, 5. 33; 21, 26; 24, 12; 41, 11; 44, 8. 3) i. q. item, eodem tempore *(Cic.)* e. g. Ann. 4, 55 *simul litteras imperatorum — memorabant;* 13, 42 *simul studiis — livere his, qui cet.* 4) pro simulac Ann. 4, 25 *simulque coeptus dies et — aderant.* Cf. Cic. Fam. 6, 18; Att. 10, 4; Caes. B. C. 1, 30; Sall. Cat. 7; Liv. 5, 38; 6, 1; 10, 17; 21, 55; 23, 36; 26, 43; 37, 34; 44, 8. 43. Sed insolentius ap. Tacitum conjuncta sunt simul — et. 5) Ponitur post casum pendentem e cum particula Graeco more (Ovid.) omissa Ann. 3, 64 *quindecimviri septemviris simul;* 6, 9 *Appius Silanus Scauro Mamerco simul.*

SINGULARIS haud raro, poetarum more, a Livio quoque et al. passim recepto, pro plurali usurpatur ubi de militibus eorumque variis generibus agitur. Sed ipse Livius vix alia exhibet exempla quam *pedes, eques, levis v. gravis armatura v. armatus,* (26, 5); multo plura Tacitus: miles Ann. 4, 18 *suum militem in obsequio duravisse;* cp. 25 *infensus miles;* 1, 2 *militem donis, populum annona, cunctos dulcedine otii pellexit;* cum adjectivo: cp. 24 *miles nonanus;* 2, 17 *Vitellianus miles;* 3, 41 *legionarius miles;* cp. 45 *gregarius miles;* 12, 35 *ferentarius gravisque miles;* Hist. 1, 5 *miles urbanus;* (cp. 54 *auxiliorum miles*); cp. 89 *praetorianus urbanusque miles;* omisso substantivo: Ann. 1, 30 *nonanus;* cp. 64 *primani — vicesimanus;* Hist. 2, 22 *legionarius.* — Ann. 4, 25 *confertus* pedes; 1, 67 *ut hi, mox pedes, in hostem invaderent;* Hist. 2, 26 *tum Othonianus pedes erupit;*

Agric. 12 *in pedite robur;* Ann. 4, 73 *alarius* eques; 13, 54 *auxiliaris eques;* 1, 24 *pars praetoriani equitis;* 2, 8 *cum equite et armatura levi;* — 1, 28 tironem *a* veterano *dissociant;* 13, 40 *pedes* sagittarius *et cetera manus;* Agric. 35 covinarius (cf. Ann. 4, 5 *valido cum* remige). — Etiam hostis in hunc modum usurpatur (Virg. Georg. 4, 76) Ann. 1, 17 *e contuberniis hostem adspici;* 15, 10 *arma in hostem data clamitans;* Hist. 3, 2 *duae tunc — alae perrupere hostem;* Germ. 14 *vocare hostem* (al. *hostes*). Insolenter prorsus etiam de equitum ordine usurpatur *eques* Ann. 1, 7 *ruere in servitium consules, patres, eques;* 4, 74 *eo venire patres, eques, magna pars plebis;* 15, 48 *aucta conjuratione, in quam certatim nomina dederant senatores, eques, miles;* Hist. 1, 88 *segnis et oblita bellorum nobilitas; ignarus militiae eques.* Cf. tamen Suet. Domit. 4 *senatui equitique panariis — distributis;* cp. 8 *licentiam theatralem promiscue in equite spectandi inhibuit.*

Eodem modo cum Livio Tacitus utitur singulari pro plurali in exprimendis populorum nominibus. Haud raro dux vel rex designatur. Ann. 1, 50 *Romanus;* cp. 68 *Germanus;* 6, 34. 35 *Parthus;* 2, 60 *Scytha;* 12, 30 *Lygius Hermundurusque;* Hist. 3, 59 *Samnis Pelignusque et Marsi;* Germ. 37 *non Samnis, non Poeni, non Hispaniae Galliaeve — saepius admonuere;* Ann. 4, 5 *accolis Ibero Albanoque et aliis regibus;* cp. 47 *Sugambram cohortem Romanus — haud procul instruxerat;* 15, 29 *Romanus* (Corbulo) *laudat juvenem.* Cf. Liv. 1, 15 et passim *Romanus;* de Rom. duce 33, 29. 35; 35, 33; 37, 38. — 3, 4 *Ecetranus;* 4, 18 *Faliscus — Vejens;* 21, 47 *Poenus;* 31, 7 *Lucanus, Bruttius, Samnis;* 29, 12 *Macedo* (rex); — raro Cic. sic loquitur: Fam. 8, 5 (Coel.) *si Parthus movet aliquid;* Att. 5, 16 *de Partho silentium est.* Contraria ratio est, ubi *nos Romani* ad unum refertur. De utroque usu vide Spald. ad Quint. 10, 1, 86, coll. 8, 6, 20.

SINISTER transl. i. q. inimicus, malus, pravus, perversus (ap. poetas, Curt., Plin. min.; v. Lex. Cic. Schütz.) Ann. 1, 74 *Marcellum insimulabat sinistros de Tiberio sermones habuisse;* 6, 32 *eo de homine haud sum ignarus sinistram in urbe famam;* Hist. 2, 93 *sinistrum lenti itineris rumorem prospero proelio verterat;* 5, 5 *cetera instituta sinistra foeda pravitate valuere;* Agric. 5 *militaris gloriae cupido, ingrata temporibus, quibus sinistra erga eminentes interpretatio.* Cf. sinistre.

SINISTRE (Horat., Plin. min.) Hist. 1, 7 *utraque caedes sinistre accepta;* 3, 52 *de festinatione Primi ac Vari sinistre et Muciano volentia rescripsere.* Cf. sinister.

SINUARE (poetice vox ab arg. aetate in usum recepta) Hist. 5, 11 *muri per artem obliqui aut introrsus sinuati;* Germ. 35 *donec in Cattos usque sinuetur* (gens), ubi v. Hess. adnot.; Ann. 2, 16 *campus medius inter Visurgim et colles, ut ripae fluminis cedunt aut prominentia montium resistunt, inaequaliter sinuatur;* 6, 37 *Euphraten — albentibus spumis in modum diadematis sinuare orbes.* Cf. sinus.

SINUS vocis creberrimus arg. aetate, maxime ap. Tacitum usus est; priori aevo saepius poetae quam solutae orationis auctores ea utuntur. 1) proprie spatium quod est in toga pectori proximum, inde ipsum pectus, gremium et transl. familiaris consuetudo, (Cic., Terent., al.) Hist. 3, 38 *filium ejus sinu complexus;* cp. 10 *apposuit sinum Antonius;* Ann. 13, 13 *suum potius cubiculum ac sinum offerre* (similiter de *utero* usurp. ap. Ovid. et Senec.); Dial. 28 *gremio ac sinu matris educabatur* (cf. Cic. pro Coel. 24 *cum Q. Metellus abstraheretur e sinu gremioque patriae);* Agric. 4 *in hujus sinu indulgentiaque educatus;* Ann. 6, 45 *simulationum falsa in sinu avi perdidicerat.* Quae sequuntur omnia ex hac sign. derivantur: 2) Meerbusen, sed ora etiam ipsa maritima, terrae circa sinum jacentes; vide Drakenb. ad Liv. 28, 5, 15 *segetibus in sinu Aenianum vastatis;* deinde etiam angulus terrae qui Horatio dicitur, regio quae alteri quasi se insinuans (v. sinuare) sinus maritimi speciem praebet. Ann. 14, 9 *viam Miseni propter et villam Caesaris dictatoris, quae subjectos sinus editissima prospectat* (oras in quas mare multis locis incurrit, promontoria insulasque efficiens); 4, 67 *(Capreae insula) prospectabat pulcherrimum sinum, antequam Vesuvius mons ardescens faciem loci verteret.* Hist. 3, 66 *nunc pecuniam et familiam et beatos Campaniae sinus promitti;* Germ. 1 *cetera Oceanus ambit, latos sinus et insularum immensa spatia complectens;* cp. 37 *eundem Germaniae sinum proximi Oceano Cimbri tenent* (cf. cp. 35 *Germania — in Septemtrionem ingenti flexu redit*); Agric. 23 *omnis propior sinus* (Caledoniae) *tenebatur, summotis velut in aliam insulam hostibus,* (das ganze Land mit seinen Buchten und Landspitzen bis zum Isthmus). — altera sign. qua est mediterraneus terrae angulus, legitur Germ. 29 *qui decumates agros* (Rhenum inter Danubiumque) *exercent* —

limite acto promotisque praesidiis, sinus imperii et pars provinciae habentur; Ann. 4, 5 *dehinc initio ab Syria usque ad flumen Euphraten, quantum ingenti terrarum sinu ambitur.* Cf. Curt. 3, 9, 12 *paullatim deinde se laxare sinus montium et majus spatium aperire coeperant;* Plin. H. N. 2, 44 *vallium sinus;* 4, 1 *tertius Europae sinus Acroceraunis incipit montibus, finitur Hellesponto;* cp. 27 *reliqua ejus sinus dicantur, et maria quidem ejus nuncupavimus* (igitur maria quoque complectitur, ut priori sign. non solum oras maritimas sed etiam promontoria et adjacentes insulas); 6, 8 Armenia, Cappadocia et adjacentes terrae vocantur *ingens in mediterraneo sinus;* cp. 17 *Parthiae amoenissimus sinus;* cp. 28 *in Carmaniae* angulo *sunt Chelonophagi.* 3) quod in medio est, in interiore parte, ut ἐν μυχῷ οἴκου, γῆς Hist. 3, 88 *in urbe ac sinu cavendum hostem;* Ann. 13, 40 *si hostis intravisset fronte simul et sinu exciperetur* (per ima collium, interiore acie. Cf. Cic. Verr. 5, 37 *influit in urbis* (Syracusas dicit) *sinum portus;* in Pis. 37 *Aetolia quae procul a barbaris disjuncta gentibus in sinu pacis posita medio fere Graeciae gremio continetur;* de provinc. cons. 2. *Thessalonicenses positi in gremio imperii nostri.* 4) locus abditus, latebrae (Plin. H. N. 36, 15; Gell. praef. *obscuri quaestionum sinus)* Hist. 2, 92 *gratum — quod reversis ab exsilio jura libertorum* (in libertos) *concessisset, quamquam id omni modo servilia ingenia corrumpebant* (inritum faciebant), *abditis pecuniis* (quibus sublevare potuissent patronos) *per occultos aut ambitiosos sinus* (clam, ut occulerent, collocata pecunia, et ita quidem, ut a potentioribus etiam ad honores eveherentur); Hist. 4, 14 *exquiri novos sinus* (praetextus, occultas occasiones) *et varia praedandi vocabula.* 5) recessus, refugium (cf. no. 3) Agric. 30 *nos terrarum ac libertatis extremos recessus ipse ac sinus famae in hanc diem defendit,* ubi v. Walch. adn. Est quasi ultimum famae bellicae refugium, quae antea late evagata metum Romanis injecerat. Cf. Cic. Rep. 1, 3 *Themistoclem — patria pulsum non in Graeciae portus per se servatos, sed in barbariae sinus confugisse* (propr. et simul transl. sign.); Plin. Epist. 8, 12, 1 *colit studia, studiosos amat, fovet, provehit, multorumque qui aliqua componunt, portus, sinus, praemium, omnium exemplum;* cf. Paneg. 6 *confugit in sinum tuum concussa respublica;* cp. 56 *in hoc urbis otio et intimo sinu pacis.* V. etiam loc. supra allat. Cic. Pis. 37. 6) potestas (nam quae quis in sinu habet, qui

qui crumenae vice fungebatur, ea possidet) Hist. 3, 69 *tanquam omnis respublica in Vespasiani sinum cessisset;* cp. 19 *opes Cremonensium in sinu praefectorum fore.* Explicationi inservit locus Hist. 1, 52 *panderet modo sinum et venienti fortunae occurreret,* coll. Cic. Verr. 1, 50 *optatum negotium sibi in sinum delatum esse dicebat;* Plin. Pan. 45 *horum in sinum omnia congerebant;* Scaev. Dig. 1. 22. tit. 3. leg. 27. *omnes fortunas — in sinu meo habui sine ulla cautione.*

SISTERE non ita valde recedit a priorum usu, magis tamen cum poëtico dicendi genere congruit. 1) i. q. collocare, aliquo adducere Hist. 3, 77 *cohortes — summis montium jugis super caput hostium sistit;* 2, 23 *legionem — Bedriaci sistit* (läßt — Halt machen); Ann. 2, 9 *ut eum in Syria aut Aegypto sisterent;* cp. 14 *modo se patris patruique vestigia prementem iisdem in terris victorem sisterent.* Cf. Liv. 29, 27 *mecum domos reduces sistatis;* Virg. Aen. 3, 117 (et sic passim) *Tertia lux classem Cretaeis sistet in oris.* 2) exstruere Ann. 4, 37 *cum — templum — sisti non prohibuisset;* 15, 18 *Romae tropaea de Parthis arcusque medio Capitolini montis sistebantur;* Hist. 4, 53 *templum eisdem vestigiis sisteretur.* 3) coercere, inhibere Hist. 2, 11 *Caecina, quem sisti intra Gallias posse speraverat;* 3, 8 *Aquilejae sisti bellum — jubebat;* cp. 50 *ad fanum Fortunae iter sistunt;* 5, 21 *nec sisti poterant interfecto fortissimo quoque;* 3, 71 *nec sisti poterant scandentes per conjuncta aedificia;* Ann. 4, 48 *iisque permissum — trahere praedas, dum populatio lucem intra sisteretur;* 12, 39 *nec ideo fugam sistebat;* 14, 14 *nec jam sisti poterat* (Nero); 15, 39 *neque tamen sisti potuit* (ignis) *quin et palatium et domus — haurirentur;* cp. 54 *ligamenta quibusque sistitur sanguis.* 4) intrans. i. q. consistere, transl. in aliqua re acquiescere. Hist. 1, 35 *neque aetate neque corpore sistens;* 3, 21 *sistere tertiam decimam legionem in — aggere jubet;* Ann. 4, 40 *vis tu quidem istum intra locum sistere,* quem locum attigit Gron. ad Liv. 4, 12, 6; 3, 52 *utensilium pretia augeri in dies, nec mediocribus remediis sisti posse.* Cf. Liv. 3, 20 *sisti potest consuetis remediis;* cp. 16 *vixque concordia sisti videbatur posse.*

SITUS, A, UM 1) i. q. aedificatus, exstructus Ann. 2, 7 *veterem aram Druso sitam disjecerant;* 3, 38 *Philippopolim a Macedone Philippo sitam circumsidunt;* 6, 41 *urbes quae Macedonibus sitae Graeca vocabula usurpant;* Hist. 3, 72 *iisdem rursus vestigiis situm est Capitolium;* 4, 22 *vallum*

duabus legionibus situm vix quinque millia armatorum tuebantur. Sic nemo praeter Tacitum locutus esse videtur; cf. tamen Sall. Jug. 37 *circum murum situm in praerupti montis extremo planities limosa;* Liv. Epit. 51 *castra ad Nepherim oppidum loco difficili sita;* Caes. B. C. 1, 61 *id erat oppidum positum ad Iberum,* in quibus omnibus locis transitivam verbi significationem rectius fortasse intellexeris quam intrans. 2) vulg. sign., sed relata ad homines Ann. 12, 10 *jam fratres, jam propinquos, jam longius sitos caedibus exhaustos.* Cf. Sall. in epist. Mithr. ad Arsac. *Quin socios, amicos, procul juxtaque sitos, inopes potentesque trahunt exciduntque;* Vell. 2, 120 *vacillantes jam cis Rhenum sitarum gentium animos confirmavit;* Plin. H. N. 7, 2 *gentem — in convallibus sitam;* Liv. Epit. 137 *Civitates Germaniae cis Rhenum et trans Rhenum positae;* Curt. 8, 10, 11 *a Libero patre conditos se esse dicebant,* nempe urbem suam cond., et ita, excepto Taciteo, (quem neglexit Doederl. in Synon. 1 p. 137) et fortasse Sallustiano quoque, in locis istis omnibus homines dicuntur pro loco et terra. Cf. adjacere. Vulgo *siti dicuntur qui conditi sunt* (Cic. Leg. 2, 22) i. e. sepulti, vel saltem in lectulo mortui collocati, Ter. Phorm. 1, 2, 47 *ea sita erat exadvorsum;* Liv. 1, 2, 6 *situs est, quemcunque eum dici jus fasque est, super Numicium flumen,* ubi similes locos Ciceronis, Ovidii, Tibulli, Plauti attulit Drakenb.; Gallorum est *ci git.*

SIVE, SEU, AN elliptice plerumque usurpantur a Tacito ejusque aequalibus, praeeuntibus tamen haud raro praeter poetas aureae aetatis etiam solutae orationis scriptoribus quibusdam; et nonnulla hujus generis in vulg. etiam sermonem abierunt, ut *velim nolim, serius ocius, melius pejus, prosit obsit.* 1) seu (sive) ponitur pro seu — seu (sive — sive) Ann. 1, 6 *ficta seu vera promeret;* 11, 33 *ad honesta seu prava juxta levi;* 2, 24 *miracula narrabant — visa sive ex metu credita;* 3, 31 *Tiberius quasi firmandae valetudini in Campaniam concessit, sive ut — Drusus munia consulatus solus impleret;* cp. 18 *quanto plura recentium seu veterum revolvo;* Hist. 2, 1 *se Vitellio sive Othoni obsidem fore;* cp. 8 *servus è Ponto sive, ut alii tradidere, libertinus ex Italia;* 3, 12 *Bassus pudore seu metu, quisnam exitus foret, intra domum opperiebatur.* — Apud optimos scriptores *sive — seu* se excipere, ut Germ. 34; Ann. 1, 79; 14, 59; Hist. 2, 78 Hess. monuit ad Germ. 34, coll. Cort. ad Sall. Catil. 31, Tursellin. p. 822. Gesn. Thes. s. seu. — insolentius seu — seu — sive, vel —

sive — sive, sive — seu — an se excipiunt: Ann. 1, 79 *seu preces coloniarum seu difficultas operum sive superstitio valuit, ut in sententiam Pisonis concederetur*; Dial. 5 *vel in judicio sive in senatu sive apud principem*, ubi Osann. „dicitur, inquit, *sive — vel*, rarius vero *vel — sive*, vel *aut — sive*. Cf. Oudend. ad Apulej. Met. 5 p. 373 et Allg. Schulzeitung 1828 no. 81 p. 664.“ Ann. 14, 7 *Nero pavore exanimis et jam jamque adfore obtestans vindictae properam, sive servitia armaret vel militem accenderet sive ad senatum et populum pervaderet*, — cp. 59 (cf. 11, 26) *Sed Plautum ea non movere, sive nullam opem providebat inermis atque exsul, seu taedio ambiguae spei, an amore conjugis cet.* Vide Hand. Tursell. p. 302, qui contulit Ovid. Fast. 3, 773. — seu — seu pro tam — quam usurp. Hist. 1, 7 *inviso semel principe, seu bene seu male facta premunt.* 2) pro utrum — an (Ann. 1, 58) plerumque an vel ve poni solet a Tacito Germ. 5 *propitii an irati dii negaverint dubito*; Ann. 11, 36 *sponte an coactus — peccavisset — nihil referre*; 3, 22 *metu invidiae an ratus cet.*; 6, 45 *quos omiserit receperitve in incerto fuit*; cf. Cic. N. D. 2, 2 *sol sit an nullus sit dubitare* (cf. 1, 12); de or. 1, 54 *statuebant judices damnarent an absolverent*; 2, 81 *caute an contra demonstrata res sit*; Q. fratr. 1, 2, 4 *in publicam* (custodiam) *an in pistrinum, non satis intelligere potuimus*; ad Brut. 2, 5 *nescio animi an ingenii tui major — laus contineatur*; Liv. 2, 32 *incerti manere eam an abire mallent*; 10, 36 *elige cum cive an hoste pugnare malis.* Vide plura ap. Drakenb. ad Liv. 2, 8, 8. — Ut pro *incertum est an* dicitur incertum an (etiam a Livio 31, 4; 38, 28), ita haud raro hoc ipsum *incertum an* idem fere valet quod *haud scio an* (quod vix ap. Tacitum inveneris), *fortasse*. Ann. 11, 18 *quae nimia, et incertum an falso jacta, originem — traxere*; cp. 22 *conscios non edit, incertum an occultans*; (cf. Curt. 5, 4, 19 *dux incertum an satis fidus multiplicabat metum)* sed plerumque a Tacito omittitur *incertum*, Ann. 15, 69 *nihil metuens an dissimulando metu*; 2, 67 *fugam tentans, an ficto crimine, interficitur*; cp. 42 *finem vitae, sponte an fato, implevit*; 14, 7 *longum utriusque silentium, ne irriti dissuaderent, an eo descensum credebant, ut — pereundum Neroni esset* (an quia). Cf. Cic. Brut. 23 *paucis antequam mortuus est an diebus an mensibus*; Acad. 4, 19 *me quoque, jocansne an ita sentiens, non enim satis intelligebam, coepit hortari*; Att. 1, 3 *nos hic te ad mensem Ianuarium*

exspectamus, ex quodam rumore, an ex litteris tuis ad alios missis. Vide Hand. Tursell. de hac particula.

SOCORS, SOCORDIA modo stultitiam, dementiam, modo incuriam designat, raro ap. Cic., Liv., al., saepius ap. Sall., comicos, Tacitum Ann. 4, 39 *nimiá fortuná socors;* 13, 47 *socors ingenium;* Hist. 3, 31 *futuri socors;* cp. 36 *plus apud socordem animum laetitia quam cura valuit;* cp. 50 *Silvanum socordem bello;* cp. 69 *miles custodia socordi clausos circumdedit;* 4, 37 *vulgus sine rectore praeceps, pavidum, socors.* — adverb. (Liv.) Hist. 2, 15 *successu rerum socordius agere.* — Ann. 4, 35 *socordiam eorum inridere libet, qui — credunt exstingui posse memoriam;* cp. 31 *neque enim socordiá peccabat;* 1, 9 *postquam hic (Lepidus) socordia senuerit;* 2, 38 *languescet alioqui industria, intendetur socordia, si nullus ex se metus aut spes;* 12, 67 *socordiane Claudii an vinolentia;* Hist. 1, 24 *per socordiam praefecti, quem nota pariter et occulta fallebant;* cp. 56 *pavidus et socordiá innocens;* Agric. 31 *nisi felicitas in socordiam vertisset.*

SOLARI poetica vox a min. Plin. etiam recepta pro consolari Ann. 1, 14 *moestitiam ejus solarentur;* 2, 36 *quamvis repulsam propinqua spes soletur* (cf. cp. 86); 13, 19 *nemo solari* (eam); 16, 13 *cladem Lugdunensem — solatus est princeps.*

SOLIDARE (poet. et arg. aet.) Ann. 15, 43 *aedificia — sáxo Gabino — solidarentur;* Hist. 2, 19 *solidati muri.*

SOLLICITIOR v. strenuissimus.

SOLVERE non recedit a priorum usu, etiam transl. sign., qua Tacito frequentatur, cum eo consentiens, e. g. Ann. 1, 44 *solvebatur militiá* (cf. missio); 3, 29 *ut munere capessendi vigintiviratus solveretur;* 14, 28 *nam antea vacuum id solutumque poená fuerat;* 4, 35 *maxime solutum et sine obtrectatore fuit prodere de iis;* cp. 31 *solutius promptiusque eloquebatur;* i. q. effusus est 11, 31 *quo solutius urbem extra lasciviret;* 16, 18 *dicta factaque ejus quanto solutiora et quandam sui negligentiam praeferentia, tanto gratius — accipiebantur.* — *ἐκλελυμένον* Graecorum exprimit Dial. 18 *Ciceronem a Calvo quidem male audivisse, tanquam solutum et enervem.*

SONOR Ann. 1, 65 *truci sonore;* 4, 48 *ut — sonorem alterius proelii non acciperet;* 14, 36 *ut spernerent sonores barbarorum.* Vox ea Virg. et al. poetis propria ap. Cic. quidem nusquam legitur, nam Orat. 18 *sonorum,* quem locum

Forcell. laudavit, ad **sonus** vocabulum referri debere quisque videt. Cf. decor.

SPARGERE pro dispergere, dividere, etiam ap. Livium legitur. V. ind. ad Liv. Drakenb. Ann. 3, 21 *spargit bellum;* Hist. 2, 76 *spargit legiones;* 3, 46 *exercitum spargi per provincias.* — Solus Tacitus usurpasse videtur *spargere* pro *adspergere* Ann. 4, 12 *neque spargi venenum in tres poterat.*

SPATIUM originem traxit e Graec. *σπάδιον* aeol. pro *στάδιον*, quapropter et ad locum et ad tempus refertur quatenus certis describuntur finibus. Saepissime h. v. utitur Tacitus, interdum poetarum usum secutus. 1) **ad locum pertinet** Ann. 14, 14 *clausum valle Vaticana spatium, in quo equos regeret;* Hist. 2, 70 *spatia certaminum recognoscere* (poet. pro *campos pugnae*); Agric. 8 *habuerunt virtutes spatium exemplorum* (i. e. curriculum, in quo, propositis exemplis, se exercerent virtutes ejus); cp. 10 *Britannia — spatio ac coelo in Orientem Germaniae — obtenditur;* Ann. 14, 53 *tantis agrorum spatiis — exuberat;* Germ. 26 *facilitatem partiendi camporum spatia praestant* (i. e. magnus ambitus); Agric. 24 *spatium Hiberniae, si Britanniae comparetur, angustius;* Dial. 19 *impeditissimarum orationum spatia* (Ausdehnung); Hist. 2, 2 *inde Syriam audentioribus* (longioribus, non per insulas) *spatiis* (curriculo quasi, cursu) *petebat;* Ann. 2, 5 *militem haud perinde vulneribus quam spatiis itinerum — adfici;* cf. Ovid. Met. 8, 794 *Neve viae spatium* (longitudo) *te terreat;* Ann. 11, 32 *tribus omnino comitantibus, id repente solitudinis erat, spatium urbis* (longum per urbem iter) *pedibus emensa;* de intervalli magnitudine 6, 21 *positus siderum ac spatia dimensus;* de mensura Ann. 2, 61 *profunda altitudo, nullis inquirentium spatiis penetrabilis;* cf. de eadem re Herod. 2, 28 *πολλῶν γὰρ αὐτὸν χιλιάδων ὀργυιέων πλεξάμενον κάλον, κατεῖναι ταύτῃ, καὶ οὐκ ἐξικέσθαι ἐς βυσσόν.* Inter conjecturas, quas multas hujus loci interpretes congesserunt, nuper proposita *spartis* (i. e. sparteis funibus; cf. Liv. 22, 20; Plin. H. N. 28, 4) habet quo se commendet, praesertim cum Herodoteam illam vocem reddat *κάλον.* Sed non opus est mutatione; alii etiam de mensura acceperunt spatium. Cf. Cic. Orat. 57. *Trocheus qui est eodem spatio quo Choreus;* Plin. H. N. 7, 50 *quosdam morbos post sexagesimum vitae spatium non accidere* (vide infra no. 2). Hic temporis quidem certus modus exprimitur, sed quid impedit quominus etiam ad locum retulisse dicatur Tacitus eandem notionem,

praesertim cum contra idem Tacitus, et solus quidem, *stationis* vocabulum ad certum temporis spatium, ad annum retulerit, etiamsi ceteri omnes scriptores in universum tantum ea voce tempus exprimere soleant? Neque etiam dissimilis est usus Ciceronis, quo ad ambulationis certum modum et quasi mensuram retulit spatium de or. 1, 7 *cum in ambulationem ventum esset — duobus spatiis tribusve factis;* unde de loco etiam usurpatur, ubi philosophi ambulabant, et a Cic. et a nostro Dial. 32 *et Cicero his, ut opinor, refert verbis, quidquid in eloquentia effecerit, id se non rhetorum sed Academiae spatiis consecutum.* V. Schütz. Lex. Cic. 2) tempus exprimit addita plerumque tractus, otii, morae, procrastinationis notione (Cic., Liv., al.) Ann. 2, 82 *nec obstitit falsis Tiberius, donec tempore ac spatio vanescerent;* Hist. 3, 58 *ut omnia inconsulti impetus coepta, initiis valida, spatio languescunt;* 2, 37 *Othonianos spatium ac moras suasisse;* Ann. 1, 35 *spatium fuit, quo Caesar ab amicis in tabernaculum raperetur;* cp. 48 *dandum adhuc spatium ratus;* 3, 45 *ne spatia noctium opperiretur;* cp. 51 *idque vitae spatium damnatis prorogaretur;* 6, 43 *dedit spatium exuendi pacta;* 13, 30 *L. Volusius egregiá famá concessit, cui tres et nonaginta anni spatium vivendi;* 14, 56 *et tibi valida aetas — et nos prima imperii spatia ingredimur.* Vide supra no. 1.

SPECIES maxime frequentatur Tacito, estque saepissime 1) Schein, dein praetextus (cf. imago, nomen) Ann. 1, 3 *specie recusantis flagrantissime cupiverat;* Hist. 2, 56 *specie militum* (quasi essent milites); cp. 76 *nec speciem adulantis expaveris;* Ann. 2, 37 *favorabili in speciem oratione;* 15, 69 *quia speciem judicis induere non poterat;* 2, 35 *speciem libertatis Piso praeceperat;* 3, 30 *speciem magis in amicitia principis quam vim tenuit;* 6, 1 *speciem venturi simulans;* 16, 18 *dicta factaque ejus quanto solutiora — tanto gratius in speciem simplicitatis accipiebantur;* 14, 60 *movetur tamen primo civilis discidii specie;* 13, 8 *super experientiam sapientiamque etiam specie inanium validus;* cp. 31 *vectigal quoque — remissum, specie magis quam vi;* 14, 20 *proceres Romani specie orationum et carminum scená polluantur;* Agric. 25 *excedendum potius quam pellerentur, specie prudentium ignavi admovebant;* — Ann. 2, 5 *ea specie,* unter dem Vorwande; 12, 3 *quae ad eum per speciem necessitudinis crebro ventitando pellicit patruum;* 5, 8 *petito per speciem studiorum scalpro, levem ictum venis intulit;* 4, 3 *sumitur in conscien-*

tiam — medicus Liviae, specie artis frequens secretis; 1, 44 *veterani — in Raetiam mittuntur, specie defendendae provinciae;* cf. Cic. Fam. 10, 12 *quae habent speciem gloriae;* Liv. 30, 16 *in speciem,* zum Scheine; 33, 11 *specie — re vera;* Cic. Phil. 7, 4 *specie — re et veritate.* 2) ut vulgo est forma quatenus adspicitur, adspectui se praebet, inde transl. sign. modus, genus Hist. 2, 50 *avis invisitata specie;* 5, 7 *terram ipsam specie torridam, vim frugiferam perdidisse;* Germ. 9 *nec cohibere parietibus deos neque in ullam humani oris speciem adsimulare;* — Ann. 1, 8 *ea sola species adulandi supererat;* 13, 27 *manumittendi duas species institutas;* 1, 72 *primus Augustus cognitionem de famosis libellis specie* (forma, unter der Gestalt, Firma; sit venia verbo) *legis ejus tractavit;* 12, 49 *in speciem liberûm cultus;* 14, 16 *quod species ipsa carminum docet;* Germ. 26 *annum quoque ipsum non in totidem digerunt species.* 3) splendor, majestas, quam adspectus alicujus rei ostendit: Germ. 16 *materia ad omnia utuntur informi et citra speciem aut delectationem;* Agric. 4 *pulchritudinem ac speciem — gloriae adpetebat;* Dial. 6 *quae in publico species* (oratoris)! Ann 4, 6 *sua consulibus, sua praetoribus species;* 2, 6 *augebantur* (naves) *alacritate militum in speciem ac terrorem;* 15, 9 *jam enim subjectis campis magna specie* (auf eine imponirende Weise) *volitabant* (hostiles turmae); cp. 16 *non eam speciem insignium et armorum praetulit, ut diversitatem exprobaret;* cf. Cic. in Pis. 11 *fuit pompa, fuit species;* Off. 1, 39 *quae pertinent ad liberalem speciem et dignitatem.* 4) adspectus ipse Ann. 2, 19 *haud perinde Germanos vulnera — quam ea species dolore adfecit;* 6, 2 *quam deinde speciem fore sumentium in limine curiae gladios;* ita Liv. 7, 17 *insueta species* et passim. 5) obtutus oculorum Hist. 4, 3 *ea primá specie forma epistolae.* Eodem modo Cic. saepius usus est locutione *prima specie,* beim ersten Blicke. 6) acies oculorum (Lucret., Vitruv. *Si tantis intervallis nostra species potest id animadvertere;* vid. Forcell.) Ann. 11, 31 *interrogantibus quid adspiceret, respondisse tempestatem ab Ostia atrocem, sive ceperat ea* (tempestatem, sed consulto Tacitus scripsisse videtur *ea* ad exprimendam rem minus conspicuam) *species* (ejus), *seu forte* (per lasciviam) *lapsa vox in praesagium vertit;* cf. Liv. 37, 24 *egregium spectaculum capessite oculis.* Non torsisset hic locus Taciti interpretes, si ad hanc vocis significationem respicere voluissent. Eandem fere sententiam exprimit

Curt. 4, 15, 26 *sive ludibrium oculorum, sive vera species fuit.*

SPECULATOR a *speculari* (Ann. 1, 31; 2, 40; Hist. 3, 38; 4, 50; non recedit a vulg. usu) ap. priores in universum tantum milites aliosve homines designat, qui speculantur (unde *speculatoriae naves* ap. Liv. dicuntur 30, 10; 36, 42), vel translate, ut Cic. N. D. 1, 30, ubi physicum vocat *speculatorem venatoremque naturae*; ap. Tacitum vero, Sueton., Senecam certum militum ordinem denotat h. v., et praetoriarum quidem cohortium, qui principum satellites peculiares, velut saluti eorum primi prospiciebant (vide interpretes, maxime Lips. ad Hist. 1, 24), et nuntios epistolasque eorum perferebant. Ceterum reipublicae jam temporibus singulas legiones talem speculatorum ordinem habuisse patere videtur ex auct. b. Hisp. cp. 13 *speculator de legione secunda Pompejana captus a militibus et interfectus est.* — Ejusmodi speculatores quales modo descripsimus, Caligulae primum temporibus commemorantur a Suet. Cal. 44 *magnificas Romam litteras misit, monitis speculatoribus ut — frequente senatu consulibus traderent*; dein saepius: Claud. 35 *neque convivia inire ausus est nisi ut speculatores* cum lanceis *circumstarent*; Galb. 18 *descendentem* (ex essedo Galbam) *speculator impulsu turbae* lancea *prope vulneravit*; Seneca quoque ad suum respicit aevum de ira 1, 16, 15 *centurio supplicio praepositus condere gladium speculatorem jubet.* Eodem modo Tacitus in historiarum tantum libris, nusquam in annalibus speculatorum mentionem facit: Hist. 1, 24 *Coccejo Proculo speculatori*; cp. 25 *e libertis Onomastum futuro sceleri praefecit, a quo Barbium Proculum tesserarium speculatorum et Veturium optionem eorundem perductos cet.*; cp. 27 *tres et viginti speculatores (Othonem) consalutatum imperatorem — rapiunt*; cp. 31 *dilapsis speculatoribus*; cp. 35 *Julius Atticus speculator*; cp. 43 *Statius Murcus speculator*; 2, 11 *ipsum Othonem comitabantur speculatorum lecta corpora* cum ceteris praetoriis cohortibus; cp. 33 *cum ipso* (Othone) *praetoriarum cohortium et speculatorum equitumque valida manus discessit*; cp. 73 *speculatores e Syria Judaeaque adactum in verba ejus Orientem nuntiavere*; 3, 43 *Valens cum quattuor speculatoribus et tribus amicis, totidem centurionibus ad naves regreditur.*

SPINTRIA v. sellarii.

SPIRAMENTUM ad tempus refertur a solo Tacito Agric. 44 *non jam per intervalla et spiramenta temporum* (Pausen), *sed continuo.*

SPONTE non solum absolute vel junctis *mea, tua, sua* pronominibus usurpatur, sed cum genitivo etiam construitur, more arg. aetatis Ann. 2, 59 *sponte principis;* 4, 7 *sponte praefecti;* cp. 51 *sponte incolarum;* 6, 31 *sponte Caesaris;* 12, 42 *cujus sponte praeficeretur;* 13, 42 *sponte litigatoris;* Hist. 4, 19 *sponte legatorum;* cf. Plin. H. N. 10, 75 *sponte naturae;* 14, 9 *sponte suae naturae.* Priores *voluntate* in hunc modum usurpant, e. g. Liv. 42, 67 *voluntate incolentium;* Caes. B. C. 3, 55 *Thebas, Orchomenum voluntate ipsarum civitatum recepit.* Sed proxime ad illum usum accedit Curtii locus 4, 1, 16 *deditionem magis popularium, quam sua sponte fecerat.*

STAGNARE i. q. inundare sign. transit. ap. unum Tacitum legitur Ann. 1, 76 *Tiberis plana urbis stagnaverat;* intransit. etiam ap. poetas, Curt., al. invenitur.

STARE 1) i. q. subsistere, dein acquiescere, contentum esse Hist. 4, 67 *belli impetus stetit;* Ann. 3, 75 *praeturam intra stetit;* 12, 22 *vis Agrippinae citra ultima stetit;* 4, 40 *ceteris mortalibus in eo stare consilia, quid sibi conducere putent; principium diversam esse sortem;* haud raro ceteri quoque, etiam priores, ita locuti sunt. 2) i. q. constare de pretio Hist. 3, 53 *majore damno, plurium urbium excidiis veteres civium discordias stetisse;* cp. 72 *nunc palam obsessum* (capitolium) — *quo tantae cladis pretio stetit?;* Agric. 16 *haec seditio sine sanguine stetit,* ubi vide Walch. cf. Liv. 3, 60 *haud scio an — magno detrimento certamen staturum fuerit.* Saepius poetae et arg. aet. scriptt. ita h. v. usi sunt.

STATIO ap. Tacitum i. q. annus est Dial. 17 *adjice sextam jam felicis hujus principatus stationem, qua Vespasianus rempublicam fovet* (vide spatium). De vitae imperiique spatio et de ipso imperio h. v. usurpant Vellejus, Plin. minor et Suetonis: Vell. 2, 131 *ei functo longissima statione mortali destinate successores quam serissimos;* cp. 124 *ut stationi paternae succederet;* Plin. Pan. 7 *assumptus es in laborum — consortium, nec te laeta et prospera stationis istius, sed aspera et dura ad capessendam eam compulerunt;* cp. 86 *intelligimus, Caesar, quantum tibi pro laboriosa ista statione et exercita debeamus;* Suet. Claud. 38 *ne stultitiam quidem suam reticuit, simulatamque a se ex industria sub Cajo, quod*

aliter evasurus perventurusque ad susceptam stationem non fuerit, quibusdam oratiunculis testatus est. Cf. Cic. Sen. 20 *vetat Pythagoras injussu imperatoris, id est dei, de praesidio et statione vitae decedere.*

STATUS praegn. sign. i. q. quietus status est, ut *stare* haud raro firmitudinem securitatemque designat: Ann. 3, 28 *multorum excisi status;* Dial. 11 *nam statum hucusque ac securitatem melius innocentia tueor quam eloquentia.* Cf. Liv. 34, 61 *nihil actum esse exsilio Hannibalis, si absens quoque novas moliri res, sollicitandoque animos hominum turbare statum civitatis posset;* Vell. 2, 2 *promulgatis agrariis legibus omnium statum concutientibus;* cp. 72 *nullum habentibus statum quilibet dux erat idoneus,* ubi vid. Ruhnk.; Sen. de brev. vit. 3 *in statu suo vultus, animus intrepidus.* Minus recte huc cum Walchio retuleris Agric. 7 *initia principatus ac statum urbis Mucianus regebat;* est potius condicio rerum qualis usque ad hoc tempus fuerat, ut Ann. 14, 39 *ad spectandum Britanniae statum missus est ex libertis Polycletus.*

STERNERE praeter vulg. sign. metaphorice idem fere valet quod sedare Hist. 1, 58 *stratis jam militum odiis.* Similiter poetae *sternere undas, aequora* dicunt, et Stat. silv. 2, 5, 1 *Quid tibi constrata mansuescere profuit ira?*

STIMULATIO (Plin. maj.) Hist. 1, 90 *privata cuique stimulatio et vile jam decus publicum.*

STIMULUS transl. sign. qua ap. Cic. quoque, Livium, alios legitur *stimulus gloriae, doloris* cet., insolentius nonnunquam a Tacito usurpatur: Ann. 1, 33 *novercalibus Liviae in Agrippinam stimulis;* 15, 12 *et erant quos pericula fratrum aut propinquorum propriis stimulis incenderent;* Hist. 3, 45 *propriis in — reginam stimulis accendebatur;* cp. 53 *suis stimulis excitos Moesiae duces.*

STRENUISSIMUS Hist. 4, 69 *bellum — strenuissimi cujusque periculo geri;* sine aliorum fortasse exemplo, et *piissimus* Agric. 43 ab Antonio quidem usurpatum, sed vituperatum a Cic. in Phil. Item *sollicitior* Hist. 4, 58, *improvisior* Ann. 2, 47 insolentius dicuntur. Sed illud quidem Plancus usurp. in Cic. Epist. ad Fam. 10, 18; hoc defenditur simili voce *invisior,* qua Cic. quoque utitur (Tacit. Ann. 6, 4 et saepius). Satis frequentes sunt ap. Cic. voces *tenuior, tenuius, tenuissimus.* Vide Indicem Schütz. et adde Mur. 9, invent. rhet. 2, ?

STREPERE v. in obstrepere.

STRUERE ut vulgo, sed adjuncto insolentius accusativo personae, Ann. 11, 12 *struere crimina et accusatores; 4, 67 ultro struebantur qui monerent perfugere ad Germaniae exercitus;* cf. 12, 22 *molitur crimina et accusatorem.* — Idem est quod destruere uno Taciti loco Ann. 14, 21 *quod perpetua sedes theatro locata sit potius quam immenso sumptu singulos per annos consurgeret ac strueretur.* Doederl. Syn. 2. p. 95, 122 contulit *ruere, populari* et nostrum köpfen, quibus adde *moliri* et *moles* (v. has voces suo loco); et eodem modo contrariam vim habet exstruendi vel instruendi (etiam ap. alios) Hist. 4, 24 *struere aciem;* Ann. 2, 18 *struere aggerem;* 6, 45 *ne publice quidem nisi duo opera struxit.*

STUDERE absolute usurp. arg. aetate de studio rhetoricae artis: Dial. 21 *videtur mihi inter Menenios et Appios studuisse;* cp. 32 *legitime studuisse — oratorem;* cp. 34 *juvenibus in media luce studentibus atque inter ipsa discrimina.* Cf. Spald. ad Quintil. 2, 2, 7; Frotsch. ad ejusdem 10, 7, 26. Sall. quoque sine casu usurp. h. v. sed alia sign., qua *fovere* est: Catil. 51 *neque studere neque odisse, sed minume irasci decet.*

SUB praeter vulg. usum pro ablativo usurpatur, cujus tamen vim auget (similiter priores *sub specie, sub titulo* dixerunt) Ann. 4, 12 *ut claro sub exemplo falsas auditiones depellerem;* 3, 68 *Tiberius, quae in Silanum parabat, quo excusatius sub exemplo* (exemplo prolato) *acciperentur, libellos — recitari jubet;* cf. praeterea insolentius dicta Hist. 2, 26 *cum fratrem ejus — sub eodem crimine vinxissent;* Ann. 3, 36 *quam fraudis sub judice damnavisset;* 1, 26 *an praemia sub dominis* (penes dom.), *poenas sine arbitro esse?*

SUBDERE saepius Tacito ejusque aequalibus quam priori aevo usurp. 1) propr. sign. Ann. 4, 62 *coepto — amphitheatro — fundamenta per solidum non subdidit;* 12, 24 *id genus animalium aratro subditur.* 2) transl. 12, 40 *ne feminae imperio subderentur;* de dolo ac fraude Ann. 14, 40 *subdidit testamentum;* 1, 6 *ne reus subderetur;* cp. 39 *quamvis falsis* (criminibus) *reum subdere;* 15, 44 *Nero subdidit reos Christianos;* 3, 67 *majestatis crimina subdebantur;* 6, 36 *subdito rumore;* 4, 59 *subditis* (subornatis) *qui accusatorum nomina sustinerent.* Similia ap. Cic., Liv., al. inveniuntur.

SUBIGERE pro cogere usurp. Ann. 1, 39 *tradere vexillum — subigunt;* 2, 40 *ut ederet socios subigi non potuit;*

14, 26 *spem belli amittere subegit.* Usus hic Livio familiaris. Vide Drakenb. ad Liv. 9, 41, 3. Non desunt etiam Sallustii, Plauti, Virgilii exempla.

SUBIRE ut vulgo est suscipere, sich unterziehn, auf sich nehmen Ann. 11, 29 *delationem subire;* 13, 21 *aut mihi infamia parricidii, aut Caesari conscientia subeunda est;* Hist. 1, 13 *reipublicae curam subisse;* 3, 69 *subierunt obsidium etiam feminae.* Difficilior locus est Ann. 11, 27 *illam audisse auspicum verba, subisse.* Unus rectum vidisse Gronovius videtur in Observv. 2, 4 p. 187 sq. „*Subire verba* dicitur, cui dictat pia vota sacerdos, cujus preces praeit. Sermo non indignus Cornelio, respondens τῷ *praeire verba.* Ominata verba, quae praeivit auspex, subivit Messalina, i. e. repetivit, in ea verba ivit. Quae insolentia hic esse posset, tollitur vulgari, *praeire verba.*"

SUBITARIUS Ann. 14, 20 *subitarii gradus;* 15, 39 *subitaria aedificia.* Ita Liv. saepius, e. g. 3, 30, *subitarius exercitus* exhibet (cf. Drakenb. ad 41, 1, 6 ubi de repentinis etiam et tumultuariis militibus agitur, quae voces idem valent ap. Liv. quod subitarii); Tacitus contra *subitum militem* vocat Hist. 4, 76, et nemo praeter eum sic locutus esse videtur; cf. Dial. 10 *fortuitae et subitae dictionis impetus;* Cic. de or. 1, 33 *subitam et fortuitam orationem commentatio et cogitatio facile vincit.*

SUBLEGERE i. q. sufficere, de magistratibus suffectis (Cic., Liv., al.) Ann. 11, 25 *in numerum patriciorum adscivit Caesar vetustissimum quemque e senatu — paucis jam reliquis familiarum quas Romulus majorum et L. Brutus minorum gentium adpellaverunt, exhaustis etiam quas dictator Caesar — et Augustus — sublegere.* Cf. Drakenb. ad Liv. 23, 23, 4 *in demortuorum locum sublecturum.*

SUBNIXUS maxime Tacito frequentatur: Ann. 1, 11 *in civitate tot inlustribus viris subnixa non ad unum omnia deferrent;* cp. 47 *ille Galliarum opibus subnixus;* 4, 12 *ut superbam fecunditate, subnixam popularibus studiis inhiare dominationi apud Caesarem arguerent;* 11, 1 *validis propinquitatibus subnixus;* 12, 54 *potentiâ subnixus;* cp. 25 *nepotibus;* 13, 6 *gratiâ;* Hist. 1, 73 *consulari matrimonio;* Dial. 6 *homines veteres et senes et totius urbis gratiâ subnixos.* Cf. Liv. 4, 42 *subnixus et fidens innocentiae animus;* 25, 41 *Hannibalem subnisum victoria Cannensi.*

SUBOLES vox poetica ab optimis etiam solutae orationis scriptoribus recepta, maxime a Tacito, Pliniis, Livio: Ann. 3, 43; 4, 8; 5, 1; 11, 12; Hist. 1, 15; Dial. 28; cf. Liv. 6, 7. 12; 26, 41; 38, 16; 39, 24; 40, 6. Raro ap. Cic. legitur: Phil. 2, 22; Fam. 10, 33. Vide etiam Liv. 29, 3, 12 *Illis Romanam plebem, illis Latium juventutem praebuisse, majorem semper frequentioremque pro tot caesis exercitibus subolescentem.*

SUBRUERE transl. sign. Hist. 2, 101 *centurionum militumque animos — obstinatos pro Vitellio variis artibus subruebat.* Ita poetae maxime loquuntur, sed Liv. quoque 41, 23 *nostram ipsorum libertatem subrui et tentari patimur.* Propr. sign. Liv. 34, 29; 21, 11 *subruere murum dicit,* unde desumpta est illa locutio.

SUBSCRIBERE, vox forensis, de eo dicitur, qui, cum accusator nomen rei defert, suum quoque nomen subscribit quasi accusator secundarius sive accusatoris adjutor (vide Schütz. Lex. Cic. in v. *subscribere, subscriptio, subscriptor)* Ann. 1, 74 *Granium — Crispinus majestatis postulavit, subscribente Romano Hispone.* Latius patet, metaphora ex hoc v. usu perquam scite desumpta, Agric. 45 *cum suspiria nostra subscriberentur,* ut ea etiam nos incusarent, et quasi criminum, quae nulla erant, vice fungerentur. Cf. Suet. Oct. 27 *Pinarium equitem Romanum, cum, concionante se, admissa turba paganorum apud milites subscribere* (clam litteris consignare) *quaedam animadvertisset, curiosum ac speculatorem* (Spion) *ratus, coram confodi imperavit.*

SUBSIDIUM praeter vulg. sign., qua a) idem fere est quod *subsidiariae copiae (*Ann. 1, 63 *subsidiariae cohortes)* et b) *auxilium, adminiculum* 1) i. q. praesidium Ann. 4, 5 *praecipuum robur Rhenum juxta, commune in Germanos Gallosque subsidium, octo legiones erant.* Ita Sisenna quoque locutus est; v. Forcell. 2) i. q. perfugium, asylum Ann. 2, 63 *Maroboduo undique deserto non aliud subsidium quam misericordia Caesaris fuit;* 3, 60 *eodem subsidio* (asylorum) *obaerati — receptabantur;* 4, 76 *importuosum circa mare, et vix modicis navigiis pauca subsidia.* Forcellino quidem auctore nemo praeter Tacitum ita usus est h. v.

SUBSIGNANUS v. in vexillarius.

SUBSTANTIA i. q. copia, arg. aet. vox Dial. 8 *sine substantia facultatum;* cf. Quintil. Prooem. 21; 2, 14, 3; 15, 34; 3, 6, 39; 7, 2, 5; 9, 1, 8; 3, 100.

SUBTRAHERE praeter vulg. sign. est omittere, reticere Ann. 1, 81 *subtractis candidatorum nominibus* et *ea quoque significatione subtracta.*

SUBVECTARE (Plaut., Virg., Colum., al.) Ann. 15, 43 *naves quae frumentum Tiberi subvectassent.*

SUBVECTUS, US, sed sexto tantum casu, Taciti propria vox Ann. 15, 4 *quorum subvectu pauci avidius progressi.*

SUBVENIT i. q. subvenitur (quod de auxilio Cic., Sall., al. imperson. usurpant) ap. unum Tacitum legitur (cf. ultima exempla s. v. *provenire*, quae eodem modo accipi possunt) Ann. 4, 72 *hinc ira et questus, et postquam non subveniebat* (da ihnen keine Erleichterung gewährt wurde), *remedium ex bello.*

SUBVERSOR (i. q. eversor) ἁπαξλ. Ann. 3, 28 *suarum legum auctor idem ac subversor.*

SUBVERTERE (Sall. et arg. aet.) Ann. 2, 36 *subverti leges*; 3, 25 *cum omnis domus delatorum interpretationibus subverteretur*; cp. 7 *quod scelerum probationes subverteret*; 4, 17 *si — maxime prompti subverterentur*; cp. 30 *subverterent potius jura*; cp. 71 *privignos cum per occultum subvertisset*; 13, 5 *tanquam acta Claudii subverterentur*; Hist. 4, 42 *subversa Crassorum — domus.*

SUCCEDERE ut vulgo paullatim accedere Ann. 3, 1 *classis paullatim successit*; 2, 81 *erigi scalas jussit ac promptissimum quemque succedere*; Hist. 3, 27 *densa testudine succedunt*; Ann. 2, 20 *ut si murum succederent*, ubi Wolfius „*murum*, ait, *succedere* est subire, scandere, *muro succedere*, accedere.“ Sed vix hoc discrimen structurae ap. scriptores observatum deprehenderis. Cf. Caes. B. G. 2, 6 *portas succedunt*; Liv. 31, 45 *prompte succedentium muros*; Sall. Hist. 6 p. 1008 *cum murum hostium successisset*; Serv. ad Virg. Ecl. 5, 6 *antro potius succedimus.* Vide Periz. ad Sanct. Min. p. 381; Ruddim. inst. II p. 148. Plerumque *ad, in, sub* junguntur huic verbo ubi simpliciter *accedere* exprimit.

SUDARE passive et simul transit. ap. solum Tacitum legitur Germ. 45 *Orientis secretis, ubi thura balsamaque sudantur.* Impersonalis qui dicitur usus ap. Sil. et Sen. invenitur: *nobis sudatum est*; *ad supervacua sudatur.* V. Forcell.

SUESCERE, SUETUS maxime Tacito frequentantur: Ann. 2, 44 *ut suesceret militiae*; cp. 52 *ut Tacfarinas lectos viros — disciplinae et imperiis suesceret*; cf. Cic. Fam. 15, 8 *suesti.* —

suetus, poetis familiaris vox, ap. Tacitum legitur Ann. 2, 52; 14, 27; 15, 31; Hist. 4, 17; 5, 6; cf. Liv. 28, 24; Plin. H. N. 10, 33.

SUFFODERE fodiendo subruere (Colum., Plin., maj.) Hist. 2, 21 *suffodiendis muris.* Ap. Caesarem ad vulnera pertinet.

SUFFUGIUM Ann. 3, 74 *suffugia Garamantum; 4, 66 urgentium malorum suffugium*; cp. 47 *ob propinqua suff.*; Germ. 16 *suffugium hiemi*; cp. 46 *ferarum imbriumque suffugium.* Primus h. v. usus esse videtur Ovidius; praeter eum Forcell. Quintil. et Plin. min. laudavit, quibus adde Sen. de ira 1, 11, 2 *suffugia adversus — coeli rigorem.*

SUGGREDI vox Taciti propria Ann. 2, 12 *suggressi*; 4, 47 *acie suggressus*; 13, 57 *propius suggressi*; 14, 37 *propius suggressus hostis*; 15, 11 *propius suggrediebantur.*

SUMERE 1) i. q. adsumere, eligere Ann. 1, 3 *Augustus — M. Agrippam generum sumpsit* (eodem capite legitur *consors tribuniciae potestatis adsumitur*; cp. 8 *Livia in familiam Juliam — adsumebatur*); 4, 3 *in conscientiam sumitur.* — Germ. 7 *duces ex virtute sumunt*; Ann. 1, 1 *dictaturae ad tempus sumebantur*; Hist. 1, 56 *minore discrimine sumi principem quam quaeri.* Cf. Sall. Jug. 85 *sumat aliquem ex populo monitorem officii*; Liv. 1, 18 *rege inde* (e Sabinis) *sumpto*; Nep. Milt. 1 *ut Miltiadem sibi imperatorem sumerent.* 2) omnino est ad ea accedere quae acturi sumus, suscipere, aggredi, sibi consciscere et alia multa exprimit verba, maxime ap. Tacitum: Agric. 16 *sumpsere universi bellum*; ita Ann. 2, 45; 13, 34; 15, 7; Hist. 2, 42; 3, 43; 5, 25; (Graec. est πόλεμον ἄρασθαι) *arma sumere* Ann. 2, 44; Hist. 4, 76; — Ann. 14, 17 *probra, deinde saxa, postremo ferrum sumpsere*; Hist. 4, 34 *ne tempore quidem — capto — fessi — proelium sumpsere* (unde Hist. 2, 41 *resumere pugnam*; Ann. 3, 6 *resumere voluptates*); Hist. 2, 67. 94 *sumere militiam*; Ann. 15, 5 *sumere expugnationem*; cp. 49 *sumere conjurationem* (cf. Sall. Jug. 20 *prius tamen omnia pati decrevit quam bellum sumere*; Liv. 36, 2 *duellum sumere*; 37, 10 *certamen animi sumere*; 1, 42 *bellum cum Vejentibus — sumptum*; 38, 19 *belli sumendi ratio*; 2, 43 *ab Aequis arma sumpta*); Hist. 3, 27 *proxima sumere*; cp. 69 *consilium ab omnibus datum est, periculum pauci sumpsere*; Agric. 31; Hist. 1, 27 *animum sumere*: Hist. 2, 24 *curam*; 3, 7 *dies ad curam*; 2, 72 *supplicium*; Ann. 3, 7 *exitium*; 6, 25 *finis sponte sumptus*; 13, 30 *haud creditus sufficere ad constantiam su-*

mendae mortis; 2, 66 *mortem sponte sumere;* cp. 26 *consilia;* 1, 64 *quietem;* 4, 4 *togam virilem;* 6, 31 *superbiam;* 12, 5 *aliquid perpetrandum;* Dial. 24 *sibi partes contradicendi;* cp. 25 *in manum s. libros;* Ann. 1, 10 *sumere obtentui;* Hist. 2, 74 *plus minusve sumi ex fortuna;* Ann. 2, 82 *ante senatus consultum sumpto justitio.*

SUMMA maxime familiaris Tacito vox, in universum non recedit a Livii Ciceronisque usu, qui et ipsi eam frequentant, estque Summe, Gesammtheit, das Ganze, haud raro adjuncta eventus notione, der Hauptinhalt: Ann. 2, 45 *summa belli* (id quod conficit bellum); Hist. 4, 68 *ne quamquam egregii duces — summam belli parum tolerarent;* 13, 38 *in summam pacis nihil proficitur;* Hist. 2, 16 *temeritas tanta mole belli nihil in summam profutura;* Ann. 15, 28 *Vologeses neque atrox in summam, et quibusdam praefecturis inducias petit;* Hist. 1, 87 *summa expeditionis Antonio Novello — permissa;* 2, 33 *summae rerum et imperii se ipsum reservaret;* cp. 81 *consilium de summa rerum Beryti habitum;* 4, 2 *summa potentiae in Primo Antonio;* Ann. 14, 7 *qui nihil cunctatus poscit summam sceleris;* cp. 10 *litteras ad senatum misit, quarum summa erat, repertum cum ferro percussorem cet.* — Cf. cum hoc loco Cic. Fam. 10, 25 *sententiae meae est haec summa, ut cet.;* Att. 10, 16 *hanc summam habuit orationis, ut sibi ignoscerem;* Liv. 41, 8 *summa querelarum erat cet.* vide Spald. ad Quintil. 8 prooem. 1, cum prioribus Liv. 42, 62 *consilium habenti regi de summa* (sc. belli) — *ausi sunt consilium dare;* Vellej. 2, 119 *summa deflenda est;* Liv. 3, 61 *parva certamina in summam totius profecerant spei;* 31, 37 *quodsi modum in insequendo habuissent, non in praesentis modo certaminis gloriam, sed in summam etiam belli profectum foret;* 34, 3 *in summam prodest.*

SUPER (SUPRA) in eundem fere modum a Tacito usurpatur, quo utitur ea voce Livius 1) propria sign. darüber hinaus: Germ. 33 *super sexaginta millia — ceciderunt;* Ann. 3, 74 *plures simul imperatores nec super ceterorum aequalitatem;* Hist. 3, 48 *cunctis super vota fluentibus;* 5, 1 *ut super fortunam* (darüber erhaben) *crederetur;* Ann. 4, 39 *sibi multum superque* (alias *satis superque*) *vitae fore.* — Simili modo supra usurpatur: Ann. 1, 35 *tricena aut supra stipendia;* Germ. 43 *Gotones regnantur paullo jam adductius quam ceterae Germanorum gentes, nondum tamen supra libertatem;* Ann. 6, 39 *par negotiis neque supra erat;* Germ. 25 *supra*

servos

servos sunt (cf. infra); Ann. 14, 46 *Trebellium — supra tulerunt.* — Ad ea quae ante dicta sunt refertur superius Hist. 5, 19 *superius memoravimus.* Cf. a. b. Hisp. 28. 34 *superius demonstravimus;* Phaedr. 4, 25 *dixi superius.* — 2) i. q. praeter Ann. 1, 59 *Arminium super insitam violentiam rapta uxor, subjectus servitio uxoris uterus vecordem agebant;* 3, 63 *super eas civitates quas memoravi;* cp. 67 *super tot senatores;* 4, 11 *super id* (abgesehn davon) *quod nullo auctore certo firmantur;* 15, 72 *Tigellinum et Nervam ita extollens, ut super triumphales in foro imagines apud palatium quoque effigies eorum sisteret;* Hist. 1, 51 *super avaritiam;* 2, 8 *super similitudinem oris;* cp. 30 *super benignitatem animi.* Ita Livio excepto ceteri scriptt. raro admodum loquuntur. Cf. Liv. 2, 31 *super solitos honores locus in circo datus;* 28, 46 *Punicum exercitum super morbum etiam fames adfecit;* 38, 43, 1 *inimicitiae inter M. Fulvium et M. Aemilium consulem erant: et super cetera Aemilius serius biennio se consulem factum M. Fulvii opera ducebat,* ubi reliquam exemplorum copiam contulit Drakenb. — 3) i. q. de (ap. Cic., al.) Ann. 2, 35 *super eo negotio;* cf. 11, 3. 15. 23; 12, 38. 61; 15, 5. 4) i. q. propter et in cum sexto et quarto casu (Virg.) Ann. 3, 17 *biduum super haec* (darüber, deswegen, damit) *imagine cognitionis absumptum;* 15, 36 *super ea profectione adiit capitolium;* Germ. 31 *super sanguinem et spolia* (simul propr. sign. accipi potest) *revelant frontem;* Ann. 15, 52 *expers conjurationis erat, quamvis super eo crimine* (propter h. c., hujus c. specie) *Nero vetus adversus insontem odium expleverit;* 6, 49 *magis imbecillum tali super casu feminarum animum.*

SUPERESSE 1) abunde suppetere (Liv. saepius *superare* usurpavit hac sign.) Hist. 1, 51 *viri, arma, equi ad usum et ad decus supererant;* cp. 83 *utraque enim egregie supersunt:* Agric. 44 *gratia oris supererat;* cp. 45 *omnia superfuere honori tuo;* Germ. 6 *ne ferrum quidem superest;* cp. 26 *arva per annos mutant, et superest ager.* Cf. Cic. ad Brut. 4 *prudentia, quae tibi superest, nulla abs te desideratur;* Liv. 1, 6 *supererat multitudo;* Vell. 2, 125; Plin. Epist. 2, 14; 3, 2 et passim; Plin. H. N. 2, 67; Quintil. 10, 1, 119. 2) superstitem esse et etiamnunc vivere Hist. 1, 22 *superfuturum eum Neroni;* 4, 11 *ignaviae infamiaeque suae superfuit;* Ann. 4, 7 *dum superfuit Drusus;* 6, 40 *dum superfuit pater Lepidus;* cp. 51 *donec Germanicus ac Drusus superfuere.* Cf. Liv. Epit. 65 *qui ex ea clade superaverunt;*

Plin. Epist. 3, 20 *supersunt senes;* Quintil. 10, 1, 104. 123; similis locus est Virg. Georg. 3, 10 *modo vita supersit,* de quo Varro ap. Gell. 1, 22 ἀκυρώτερον ait Virgilium h. v. usum esse. — Inde de iis usurpavit Tacitus quae alta mente recondita manent. Agric. 22 *ex iracundia nihil supererat; secretum et silentium ejus non timeres.* 3) i. q. restare, deesse Ann. 4, 7 *quantum superesse ut collega dicatur!* 14, 20 *quid superesse, nisi ut corpora quoque nudent.* Cf. Liv. 45, 24 *quid igitur superat?;* Plin. Epist. 8, 6 *id vero deerat!* 4) superiorem esse Ann. 3, 47 *se consiliis superfuisse.* Cf. Liv. 33, 4 *equitum copiis superabant;* Virg. Georg. 3, 127 *ne blando nequeat superesse labori* i. e. ut vincere, tolerare, sustinere possit. — Non minus insolenter Suet. Oct. 56 *superesse* usurp. pro adesse auxilio: *ne, si superesset, eriperet legibus reum, sin deesset, destituere ac praedamnare amicum existimaretur.*

SUPERGREDI i. q. superare, vincere Ann. 13, 45 *aetatis suae feminas pulchritudine supergressa;* 14, 52 *quasi principem supergrederetur.* Ita Quintil. et Justin. locuti s.; in inscr. Grut. p. 260. 4 legitur *omnes omnium ante se maximorum imperatorum glorias supergressus;* Sulp. Sev. Dial. 2 p. 452 *humanam substantiam supergressus.* virtus aliqua magna supergressa est vitium Hist. I, 1

SUPERSTAGNARE ἁπαξλ. Ann. 1, 79 *si amnis Nar — superstagnavisset.*

SUPERSTES Agric. 3 *pauci, ut ita dixerim, non modo aliorum, sed etiam nostri superstites,* ubi recte Walchius, genitivum, ait, junctum esse huic voci e more nostri Liviique (Ann. 2, 71 *tot bellorum superstitem;* 1, 61 *cladis ejus superstites;* 3, 4 *integram illi subolem ac superstitem iniquorum precarentur);* sed insolenter prorsus (quod jam illud *ut ita dixerim* probare videtur) Tacitum h. v. non solum ad vitam sed ad animum etiam retulisse non fractum diuturno servitio „Wenige nur haben andere überlebt, ohne selbst geistig todt zu sein" coll. Plin. Epist. 8, 14 *Eadem mala jam senatores per multos annos vidimus tulimusque, quibus ingenia nostra in posterum quoque hebetata, fracta, contusa sunt.*

SUPERSTRUERE (Seneca) Ann. 4, 62 *neque fundamenta per solidum subdidit, neque firmis nexibus ligneam compagem superstruxit.*

SUPERURGERE ἁπαξλ. Ann. 2, 23 *fluctu superurgente.*

SUPERVENTUS, US sexto casu (Plin. H. N. 25, 5) Hist. 2, 54 *superventu XIV legionis — caesos victores.*

SUPINUM et quarto et sexto casu nulli magis freq. scriptori quam Tacito Ann. 4, 1 *quo facinore dominationem* raptum ierit; Hist. 2, 6 *Vitellium — res Romanas raptum ire;* Ann. 4, 66 *suum sanguinem* perditum *ibat;* 13, 17 illusum *isse pueritiae Britannici Neronem;* 4, 73 *neque dux Romanus* ultum *iit;* 6, 36 *mox Artabanus tota mole regni ultum iit;* 15, 1 *spretum Arsacidarum fastigium ire ultum volens;* cp. 49 *contumelias ultum ibat;* Hist. 1, 67 *proximam quamque culpam, antequam poeniteret, ultum ibat;* Ann. 12, 45 *eam injuriam excidio ipsius ultum iturum;* Hist. 4, 23 *ut* oppugnatum *ultro legiones nostras* venirent. — Frequens hic usus est comicis, nec desunt aliorum exempla: *spectatum ire* (Nepos); *perditum ire* (Sall., Liv. Cic.); *oppugnatum ire* (Liv.); *raptum, ereptum ire* (Sall. et Plin. Paneg. 35); *ultum ire* (Liv., Curt., Justin.; Quintil. 11, 1, 42; Sall. Hist. 3. p. 973 *neque ego vos ultum injurias hortor.* Vide Zumpt. Gr. Lat. §. 83. Adde Cic. de or. 3, 5 *sessum ire;* a. epist. ad Caes. de ord. rep. 2, 4 *eversum ire;* Cic. Verr. 1, 31 *questum — oppugnatum venire;* de or. 3, 5 *admonitum venimus te, non flagitatum.*

Plurima etiam sexti casus exempla ap. Tacitum inveniuntur brevitatis studiosissimum: Ann. 2, 72 visu *et* auditu *juxta venerabilis;* Dial. 26 *auditu fas;* Hist. 2, 93 *inhonesta* dictu; 3, 19 *pulchra dictu;* cp. 56 *prodigiosum dictu;* 4, 84 *mirum dictu;* Dial. 28 *inhonestum* factu; Ann. 6, 28 cognitu *non absurda;* Hist. 2, 73 *vix credibile* memoratu; Ann. 1, 58 *ingens* visu; Hist. 4, 22 *truculentior visu;* Germ. 31 *visu torva;* Dial. 16 *dignus* tractatu; Hist. 4, 15 *proxima* occupatu; Ann. 3, 1 *fidissimum* adpulsu; 4, 40 *quod promptum* rescriptu; Hist. 2, 76 *promptum* effectu; cp. 63 *facilis* mutatu; Ann. 15, 53 *rarus* egressu; Hist. 1, 30 *neque enim* relatu *virtutum in comparatione Othonis opus est.* Cf. Liv. praef. *foedum inceptu, foedum exitu;* Cic. fin. 4, 26 *difficilis perpessu;* Tusc. 5, 1 *difficile probatu;* Liv. 1, 59 *relatu facilia;* Plin. Epist. 5, 6 *mihi relatu jucunda.* — Apud unum Tacitum pudet verbo adjunctum legitur supinum Agric. 32 *nisi si Gallos et Germanos et, pudet dictu, Britannorum plerosque — fide et adfectu teneri putatis;* cf. Plaut. Bacch. 3, 1, 12 *neque mei neque tui puditum est factis quae facis.* Alia supini verbis adjuncti exempla vide in Ramsh. Gr. Lat. p. 452. cf. Gernhard. commentt. grr. part. V. p. 5. — Absolute etiam subst. verbalia ponuntur, vel adjuncto genitivo:

Ann. 2, 59 *vetitis nisi* permissu *ingredi senatoribus;* 1, 3 *palam* hortatu; Hist. 5, 10 misssu *Neronis;* Ann. 1, 60 *Germanici;* 3, 21 *patris;* Hist. 3, 81 admonitu *modestissimi cujusque;* Ann. 2, 80 *earum* accitu; 3, 51 interjectu *temporis.* Cf. Plin. H. N. 23, 82 *prodest myrtidanum appositu, fotu, illitu;* 24, 15 *ciet menses potu* et *sonitum aurium emendat infusu, strumas illitu;* cp. 16 *suffitu;* 26, 90 *subjectu.* Vide magnam exemplorum quae ap. priores inveniuntur copiam in Prolegomenis II, A. 3.

SUPPEDITARE i. q. suppetere, superesse Ann. 15, 11 *donec vita suppeditet;* cp. 16 *suppeditavisse rem frumentariam;* cp. 64 *novissimo quoque momento suppeditante eloquentiâ;* Hist. 1, 1 *quodsi vita suppeditet;* 4, 40 *Publio neque animus in periculis neque oratio suppeditavit.* Ita Cic. quoque loquitur, et familiaris est hic usus Livio. Vide Drakenb. ad Liv. 22, 39.

SUPPLICIUM i. q. supplicatio (Sall., Liv.) Ann. 3, 64 *supplicia diis — decernuntur.* Vide Drakenb. ad Liv. 22, 57, 5 coll. 27, 50, 5.

SUPRA v. in super.

SUPREMUS, maxime SUPREMA ad mortem haud raro pertinet, praecipue ad exsequias, honores mortuis habitos vel habendos, ultimam morientium voluntatem; quae omnia complectuntur Ann. 1, 8 *Nihil primo senatus die agi passus nisi de supremis Augusti.* Cf. Hist. 1, 11 *consules inchoavere annum sibi ultimum, reipublicae prope supremum;* cp. 72 *supremae necessitatis nuntius;* Ann. 6, 45 *supremi Tiberio consules — magistratum occepere* (eo anno quo mort. est); cp. 38 *supremis tabulis* (testamento) *multa et atrocia in Macronem — composuit;* 16, 14 *ne supremas tabulas moraretur;* 3, 2 *suprema erga memoriam filii sui munera fungerentur;* 1, 61 *cupido Caesarem invadit solvendi suprema militibus ducique;* 3, 49 *carmen quo Germanici suprema defleverat;* 6, 44 *habitus tamen supremis* (ejus) *honor;* 6, 50 *eum adpropinquare supremis* (morti); 12, 66 *admotus supremis* (ejus) *Claudius;* 15, 64 *cum etiam tum praedives — supremis suis* (funeri) *consuleret;* 16, 24 *segnes et pavidos supremis suis secretum circumdare;* cp. 34 *mariti suprema — sequi;* Hist. 4, 45 *supremorum* (mortis et funeris) *imago;* cp. 59 *de supremis agitare* (de morte sponte sumenda). Nemo saepius ita locutus est; sed creberrimus est etiam ap. ceteros hujus aetatis scriptores hic vocabuli usus. Rara admodum sunt

priorum exempla. Cf. Liv. Epit. 140 *Laudatus est a Caesare Augusto vitrico, et supremis ejus plures honores additi.*

SURGERE transl. Hist. 2, 42 *is rumor — seu dolo seu forte surrexerit, parum compertum;* 3, 4 *surgentibus cummaxime partibus;* Ann. 1, 64 *quantum aquarum circum surgentibus jugis oritur;* Hist. 3, 23 *adulta nocte luna surgens* (cf. Ann. 15, 38 *incendium — in edita adsurgens);* Dial. 34 *famam — constantius surgere ibi, fidelius conroborari.* Ita Cic. Fam. 8, 8 (Coel.) *magna illico fama surrexit.* Ceterum poetae maxime ita usurparunt *surgere*, e. g. *discordia, nova facies, nox, dies, ignis, novae Carthaginis arx surgit.*

SUSPECTARE i. q. suspicari suspectum habere (Apulej., Ammian.) Ann. 1, 5 *quidam scelus uxoris suspectabant;* cp. 13 *divitem, promptum — suspectabat;* 4, 3 *ne pellici suspectaretur;* 12, 65 *Agrippinam magis magisque suspectans;* 13, 47 *suspectabat maxime Cornelium Sullam;* 15, 51 *suspectante Nerone haud falsa esse etiam quae vera non probabantur;* Hist. 2, 27 *ad postremum Valens e petulantia etiam perfidiam suspectabat;* 3, 82 *omnem prolationem ut inimicam victoriae suspectabant.* Propria sign. legitur ap. Terent. Eun. 3, 5, 35 *virgo in conclavi sedet suspectans tabulam quandam pictam.*

SUSPECTUS in aliquo propr. esse videtur Tacito Hist. 1, 13 *suspectum in eadem Poppaea in provinciam — seposuit.* Vide genitiv.

SUSTENTACULUM ἁπαξλ. a sustentando ut a receptando receptaculum: Hist. 2, 28 *victoriae sustentaculum.*

SUSTENTARE 1) vulg. sign., tueri, confirmare Ann. 1, 4 *seque et domum et pacem sustentavit;* cp. 65 *Caecina dum sustentat aciem;* 2, 17 *Arminius — sustentabat pugnam;* Hist. 2, 15 *sustentata diu acie.* 2) i. q. cohibere, resistere Ann. 2, 11 *diu sustentata hostium saevitia;* 15, 10 *qui — vagum hostem promptius sustentavisset.* Cf. Auct. b. Hisp. 17 *legionum tot impetus sustentantes;* absolute Caes. B. G. 2, 6 *aegre eo die sustentatum est;* cp. 14 *Quorum auxiliis atque opibus — sustentare consuerint;* Liv. 34, 18 *nec nisi in tempore subventum foret, ultra sustentaturi fuerint.*

SYLLEPSIS v. in Proleg. ubi de brevitate stili Tacitei agitur.

SYNCOPE est in his verbis: — tegmina Ann. 1, 18; cf. *tegumen* Germ. 17; *tegimen* Ann. 8, 43; — balneum Agric. 21; cf. *balineae* Hist. 3, 83; — tramittere Ann. 1, 13; 4, 41; cf. *transmittere* Hist. 4, 9 et passim; Cic. Att. 16, 6. 7. Eodem

modo tranatare et *transnatare*, vincla et *vincula* permutantur. Cf. Cic. Off. 3, 5, 18; Rep. 3, 2 *vinclis, vincla;* divin. 1, 11. 21 *oracla;* Plaut. in Amphitr. *poplo.* Minime vero syncope est apiscor pro adipiscor; sed hoc potius ex prisca illa voce compositum, cujus secundum Plautum plurima ap. Tacitum exempla inveniuntur: Ann. 4, 16; 6, 1. 3. 20. 45; 4. 1. 59; 13, 21; 15, 12 (*adipiscor* Ann. 11, 22 et passim); pauca admodum ap. reliquos scriptores: Cic. Att. 8, 14; de legibus 1, 20; Fam. 4, 5; Liv. 4, 3.

TABES sicut *lues, pestis* (Ann. 2, 47; Hist. 3, 15; cf. Doederl. Synon. II. p. 58) Graec. *λύμη, λοιμός*, saepe (etiam ap. priores) in universum designat perniciem, calamitatem; plerumque tamen *pestis* ita usurpatur, *tabes* et *lues* poetis magis propria sunt; non desunt tamen Ciceronis, Sall., Liv., al. exempla. Vide indicem Drakenb. Liv. — Ann. 11, 6 *ut, quomodo vis morborum pretia medentibus, sic fori tabes pecuniam advocatis ferat;* Hist. 1, 26 *infecit ea tabes legionum quoque — motas jam mentes.* Propria sign. legitur Ann. 12, 50 *atrox hiems seu parum provisi commeatus et orta ex utroque tabes;* Hist. 5, 3 *orta per Aegyptum tabe.* De oculorum valetudine insolentius paullo usurpatur *tabes* Hist. 4, 81 *ex plebe Alexandrina quidam oculorum tabe notus.*

TABIDUS i. q. tabem afferens (poet.) Ann. 12, 66 *lentum et tabidum venenum* opp. *repentino* et *praecipiti.* Ap. Livium *nix tabida* est n. liquefacta.

TABUM s. TABUS i. q. sanies, sanguis corruptus Hist. 2, 70 *infecta tabo humus;* 3, 35 *noxia tabo humus.* Utuntur h. v. poetae et arg. aet. scriptt. Fortasse Liv. quoque 4, 30, 9 *corpora adfecta tabo.* Vide ibi Drakenb.

TAM v. in adject. ubi de comparat. agitur.

TARDE insolentius paullo, sed congruenter optimorum scriptorum usui, exprimit interdum Gallicum tard, nostrum spät, licet adjecta plerumque morae et tergiversationis notione: Germ. 27 *lacrimas cito, dolorem et tristitiam tarde ponunt;* Agric. 7 *legio tarde ad sacramentum transgressa.* Cf. Cic. Fam. 3, 6 *eo ad te tardius scripsi quod quotidie te ipsum exspectabam;* 6, 10 *tardius recuperas fortunam et dignitatem tuam;* 10, 33 (Pollio) *quo tardius certior fierem de proeliis* et *calamitatem reipublicae quam tardissime audirem;* Tusc. 1, 49 *sin reflantibus ventis rejiciemur, tamen eodem paullo tardius referamur necesse est;* Liv. 40, 39 *successor in provinciam tardius veniebat;* Curt. 7, 10, 14 *fons, quem, quia*

tarde notaverant, subito exstitisse finxerunt; Plin. Epist. 3, 5 *Lucubrare incipiebat — hora septima, vel cum tardissime octava* (cf. 9, 36; 10, 1. 16. 28); Quint. 2, 1, 8 *tardius rhetore opus est.*

TEGMEN v. in syncope.

TEMERARE (poet. et Liv. 26, 13 *sepulcra majorum temerata ac violata)* Ann. 1, 30 *castra infausta temerataque;* cp. 53 *Juliam — temeraverat;* Hist. 3, 72 *sedem Jovis* (Capitolium) — *quam non Porsena — neque Galli — temerare potuissent;* cp. 80 *sacrum — legatorum jus — civilis rabies usque in exitium temerasset;* 4, 53 *ne temeraretur opus saxo aurove, in aliud destinato.* Cf. intemeratus.

TEMNERE vox antiqua et poetis etiam aureae aetatis frequens, solutae orat. scriptoribus *contemnere* usurpantibus Hist. 3, 47 *haud temnendae manus ductor.*

TEMPERAMENTUM (Cic., al., max. partem arg. aet.) Hist. 2, 5 *egregium principatus temperamentum, si demptis utriusque vitiis solae virtutes miscerentur,* et praeterea al. quibusdam locis.

TEMPERARE 1) i. q. se continere Ann. 2, 84 *tanto gaudio principem adfecit, ut non temperaverit quin jactaret cet.;* 3, 67 *non temperante Tiberio quin premeret* (eum) *voce.* Cf. Suet. Caes. 22 *quo gaudio elatus non temperavit quin jactaret cet.* Apud priores, junctis *quin* et *quominus* particulis, non deesse solent verba apposita *sibi, animo, animis.* Sed impersonaliter ita usus est h. v. Liv. 32, 10 *temperatum aegre est, quin missilibus — pugnam inter se consererent.* 2) de minuendis pretiis rerum, tributis cet. (Ermäßigung der Abgaben) usurpatur Ann. 13, 51 *temperata apud transmarinas provincias frumenti subvectio;* Suet. Tib. 34 *annonam macelli, senatus arbitratu, quotannis temperandum.* Sed vix ideo dixeris peculiarem hanc esse sign. arg. aetati, cum similia multa ap. priores legantur.

TEMPESTAS antique pro tempus usurp. Ann. 1, 3; 4, 14; 6, 34; 12, 12; Hist. 2, 31. Cic. de orat. 3, 38 *neque enim,* ait, *illud fugerim dicere, ut Coelius:* qua tempestate *Poenus in Italiam venit,* et orat. 49 *nisi forte sic loqui poenitet:* Qua tempestate Paris Helenam *et quae sequuntur.* Ita plurali etiam utuntur Sall. et Livius. Cf. Sall. Jug. 96, 1 *sollertissimus omnium in paucis tempestatibus factus est;* cp. 73. 108; Catil. 53; Liv. 1, 5 *qui — multis ante tempestatibus ea tenuerat loca;* 10, 11; 26, 32. 40.

TEMPLUM Germ. 40 de silva sacra usurp. cum omnino sit „locus ab auguribus auspicandi causa lituo definitus, atque alicui negotio soli constitutus" e priorum, maxime poet. usu explic. Hess. ad h. l. Similis ratio est loci Ann. 1, 51.

TEMPORA VERBI ut ab omnibus rerum scriptoribus ita a Tacito maxime aliter interdum quam ab oratoribus usurpantur, cum qui ipse quasi interesse sibi videtur rebus gestis memoriae prodendis, neglecta vulgari temporis ratione, non solum ipsarum rerum enarrationem sed suum etiam animum judiciumque in ea quasi transferat tempora, quae sibi tradenda componendaque sumpsit. Tantum igitur abest ut negligentiae in temporum usu incusemus Tacitum, ut eos, qui Ciceronianum dicendi modum etiam in hoc genere solum rectum judicent Tacitoque obtrudere velint, caecutire prorsus et a vero longissime aberrare credamus.

1) Creberrimus usus est praesentis historici (cf. infinit. hist.) adjungiturque ei more aureae quoque aetati consueto et perfectum hist. (e. g. Ann. 1, 39) et imperfectum ad explicanda quasi ea, quae illo dicendi genere usus minus enarravit quam velut picta proposita tabula legentium oculis conspicienda praebuit. Cf. exemplum quod instar omnium esse potest Ann. 1, 21, ubi vix ferenda sunt Ernestii verba „Latinitas postulat scribi *permoveant.*" Insolentius paullo imperfectum sequitur cp. 29 *flexos ad modestiam si videat, si supplices audiat, scripturum patri, ut placatus legionum preces exciperet.* — Eadem ratio est obliquae orationis, et plerumque quidem in protasi imperfectum, praesens vero in apodosi ponitur ad extollendam orationis vim: Ann. 1, 19 *si tamen tenderent in pace tentare quae ne civilium quidem bellorum victores expostulaverint, cur contra morem obsequii, contra fas disciplinae vim meditentur?*; 14, 1 *quodsi nurum Agrippina non nisi filio infestam ferre posset, reddatur ipsa Othonis conjugio.* Cf. Sall. Cat. 34 *si quid ab senatu petere vellent, ab armis discedant, Romam supplices proficiscantur.* — dum particulae ab omnibus paene scriptoribus, maxime a Tacito praesens jungitur, qui etiam de mortuo Hist. 3, 86 *amicitias*, inquit, *dum magnitudine munerum, non constantia morum contineri putat, meruit magis quam habuit* (v. plura exempla in indicativo); raro imperfectum, ut Agric. 41 *dum optimus quisque libertorum amore et fide, pessimi malignitate et livore pronum deterioribus principem*

exstimulabant, ubi cf. Walch. doctissima adnot. et ejusdem Emend. Liv. p. 185.

2) Imperfecti accuratissimus est ap. Tacitum usus, quippe qui ubique hoc tempore (rarius perfecto) utatur, ubi de rebus, quibus neque ipse neque aequales interfuerunt, sententiam suam proponit. Cf. Ann. 1, 6 *neque mortem nepoti pro securitate privigni inlatam credibile erat*; cp. 53 *litteraeque — a Graccho compositae credebantur*; 4, 74 *satis constabat auctam ei adrogantiam* (eodem modo Cic. locutus est Tusc. 3, 27, ubi perperam quidam in *constat* mutarunt *constabat*); 14, 4 *satis constitit exstitisse proditorem*; 16, 5 *constitit plerosque equitum — obtritos*; 4, 6 *legesque, si majestatis quaestio eximeretur, bono in usu* (si eximas, excepta — quaestione; sed respicit eorum judicium, qui tum vivebant). Contra praesenti utitur in sui aevi rebus exponendis, e. g. Hist. 2, 46 *ut nemo dubitet potuisse renovari bellum atrox*. Non repugnat locus Agric. 43 *supremo quidem die momenta deficientis per dispositos cursores nuntiata constabat*; nam ipse non interfuit Agricolae supremis. V. Proleg. — De imperfecto pro plusq. posito (*nisi subvenisset, amissa Britannia foret*) vide indicat. no. 3, e. — Cum loco Hist. 1, 14 *anxius quonam exercituum vis erumperet* (i. e. eruptura esset) confer Caes. B. G. 5, 29 *Cottae quidem — consilium quem haberet exitum*.

3) Perfectum praeeuntibus prioris aevi scriptoribus, maxime poetis, aoristi Graecorum vim habet a) plerumque ad exprimendum morem consuetudinemque: Agric. 9 *haud semper errat fama; aliquando et* elegit (eligere solet); Ann. 1, 17 *an praetorias cohortes, quae binos denarios acceperint, quae post sedecim annos penatibus suis reddantur, plus periculorum suscipere*; Germ. 24 *exercitatio artem* paravit, ubi cf. Hess. varr. lectt. I. p. 27; II, p. 17. Multa aliorum exempla congessit Walch. doctissimus ad Agric. 1 p. 104 sq. coll. p. 133. 140. 141. Sed minus recte huc trahere videtur Agric. 1 *omisit* et *opus fuit*; nam hoc quidem pro praesente dictum est more eorum qui epistolas scribunt, illud vero non recedit a vulgari usu, et quod in transferendo h. l. usus est Verbis „diesem Brauch aus alter Zeit entsagt selbst nicht etc.“ nihil profecto aliud dicit nisi „hat unterlassen.“ b) pro plusquamperfecto ponitur Ann. 1, 53 *litterae, quas Julia patri Augusto cum insectatione Tiberii* scripsit, *a Graccho compositae videbantur*; Hist. 1, 53 *hunc juvenem Galba —*

praeposuit, *mox* — jussit; cp. 26 *adeo* — *fuit, ut* — *Othonem rapturi* fuerint, *nisi* — *timuissent;* cp. 55 *ut* — jecerint; cp. 60 *ut* — perfugerit, et sic. passim. Cf. Liv. 2, 1 *Quae libertas ut laetior esset, proximi regis superbia fecerat. nam priores ita* regnarunt *ut haud immerito omnes deinceps conditores partium certe urbis — numerentur;* 22, 32 *adeo inopia est coactus Hannibal ut, nisi — timuisset, Galliam repetiturus fuerit.* c) pro infin. fut. ponitur inf. perf. Ann. 4, 28 *adseverabat innocentem Cornutum —; idque facile intellectu, si proderentur alii: non enim se caedem principis et res novas uno socio* cogitasse (er würde nicht daran gedacht haben); Agric. 4 *studium philosophiae acrius* — hausisse, *ni prudentia matris — animum coercuisset;* cp. 13 (similis saltem locus) agitasse *C. Caesarem de intranda Britannia satis constat, ni — conatus frustra fuissent.* Adposite admodum Walch. p. 141 contulit Cic. Phil. 2, 3 *Qua in re non tam jucundum videri mihi debuit, non interfectum a te, quam miserum, id te impune facere* potuisse (daß du es ungestraft würdest haben thun können). Idem aoristi ap. Graecos usus est. Cf. inter exempla a Matthiaeo in Gr. Gr. laudata Thuc. 4, 70 *λέγων ἐν ἐλπίδι εἶναι ἀναλαβεῖν Νίσαιαν;* praecedunt verba: *οἰόμενος τὴν Νίσαιαν ἔτι καταλήψεσθαι ἀνάλωτον.* Vide etiam Vell. 2, 124 *id solum voce publica* dixisse *habeo* et Walch. Emend. Liv. p. 50.

4) Plusquamperf. pro imperf. vel perf. usurpatum esse videtur, sed suam retinet vim Agric. 6 *Tum electus a Galba ad dona templorum recognoscenda, diligentissima conquisitione fecit, ne cujus alterius sacrilegium respublica quam Neronis* sensisset (sentiret, zu empfinden hatte); Hist. 1, 8 *tarde a Nerone desciverat; nec statim pro Galba Verginius: an imperare* voluisset (voluerit) *dubium* (e vulgari usu esset *voluerat fortasse imperare); delatum ei a milite imperium conveniebat.* Vide Ramsh. Gr. Lat. p. 402 sq.; Hertel. ad Agric. 6.

TENDERE 1) Livio, Virgilio aliis praeeuntibus de iis dicitur qui in castris degunt sub tentoriis, proprie tendere tentoria (v. Caes. B. C. 3, 82 *alterum illi jubet praetorium tendi)* Hist. 1, 31 *ad electos — in porticu tendentes;* cp. 55 *iisdem hibernis tendentes;* cp. 59 *Lugduni tendentibus,* et passim. 2) i. q. praebere, obferre (quasi porrectis manibus) Hist. 1, 63 *quaeque alia placamenta hostilis irae tendebantur.* Ita Virg. *munera tendere,* Cic. *opem tendere* dixit.

3) i. q. contendere i. e. a) operam dare, conari, aliquid sequi Ann. 2, 74 *acrius tendenti Sentio concessit;* 3, 24 *effectis in quae tetendi;* (cf. Liv. 24, 5 *tendere ad Karthaginienses;* cp. 28 *cum alii alio tenderent);* Hist. 1, 13 *rebus minoribus sibi quisque tendentes;* Ann. 1, 19 *si tamen tenderent in pace tentare, quae cet.* Ita Liv. quoque cum infin. 6, 38 *si — captae civitati leges imponere tendent;* saepius ap. eum *ut* particula sequitur; cf. 4, 50; 5, 9; 6, 34; 10, 24; Sall. Cat. 60. Ruperti ad Ann. 3, 24, 5. b) certare Hist. 4, 43 *cum — pertinacibus odiis tenderent;* cf. Virg. Aen. 12, 938 *ulterius ne tende odiis.* c) adseverare Ann. 3, 10 *contra — tendebant, nullas esse partes Trioni.*

TENTAMENTUM Hist. 2, 38; Virg., Ovid., Gell.

TENTARE praeter vulg. sign. ap. T. quidem etiam ad preces refertur, ut idem fere sit quod rogare Ann. 2, 28 *tentatus ut infernas umbras carminibus eliceret;* 1, 19 *si tamen tenderent in pace tentare, quae ne civilium quidem bellorum victores* expostulaverint; *cet.* cp. 75 *tentantis eadem* (veniam ordinis petentes) *alios probare causam* (den Grund, non vero, ut quidam volunt, die Sache) *senatui jussit.* Cf. Suet. Tib. 47 *paucorum senatorum inopiâ sustentatâ, ne pluribus opem ferret, negavit se aliis subventurum, nisi senatui* justas necessitatum causas *probassent;* Sen. de ben. 2, 7 *Aliquid Tiberius secutus est; puto noluit plures esse, qui* idem rogaturi *concurrerent.*

TENUARE (poet., Quintil., Seneca et propr. et transl. sign.) Ann. 15, 63 *senile corpus et parvo victu tenuatum;* Agric. 10 *enorme spatium procurrentium extremo jam littore terrarum velut in cuneum tenuatur.*

TENUS particulae minus vulgaris usus est quibusdam locis: Agric. 10 *litore tenus;* Ann. 13, 41 *cuncta extra, tectis tenus, sole inlustria fuere; quod moenibus cingebatur — atra nube coopertum;* 15, 40 *tres regiones urbis solo tenus dejectae;* Hist. 1, 33 *janua ac limine tenus domum cludere;* 5, 7 *herba tenus aut flore — adolevere* (cf. usque); — Ann. 15, 6 *usurpatas nomine tenus urbium expugnationes dictitans* (Liv. 34, 5, 4 *in quos jecit magis hoc consul verbo tenus, quam ut re insimularet);* cp. 45 *Graeca doctrina ore tenus exercitus; animum bonis artibus non induerat.* Cf. Quintil. 12, 2, 17 *ille vir bonus, qui haec non vocibus tantum sibi nota atque nominibus aurium tenus in usum linguae perceperit, sed qui*

virtutes ipsas mente complexus ita sentiat, nec in cogitando laborabit, sed, quod sciet, vere dicet.

TERGUM raro ad animalia refertur, ut Virg. Aen. 1, 635 *terga suum;* contra *tergora* nunquam ad homines. — Tacitus insolentius nonnunquam usurpavit h. v. Dicit *terga praestare* pro *terga praebere, dare* (v. in praestare); Agric. 14 *Monam insulam, ut vires rebellibus ministrantem, adgressus terga occasioni patefecit* (gab Gelegenheit zu einem Aufstande hinter seinem Rücken). — cp. 33 *neque exercitus neque ducis terga* (i. e. fugam) *tuta esse.* Cf. Ovid. A. A. 1, 209 *Tergaque Parthorum Romanaque pectora dicam.*

TESSERARIUS qui tesseram (Losung) a tribuno vel imperatore acceptam in contubernia portabat militum Hist. 1, 25; Veget. 2, 7. Inscr. Grut. p. 550 n. 2; 365 n. 6; 1108 n. 7. Cf. optio.

TEXTUS, US (Quintil., Plin. maj.) Ann. 2, 14 *textus viminum.*

TINNITUS propr. sign. ap. poetas et Plin. maj. legitur, transl. (Wortgeklingel) Dial. 26 *malim — C. Gracchi impetum — quam — tinnitus Gallionis.*

TOLERARE cum plus valeat quam *ferre* maxime Tacito frequentatur Ann. 1, 17 *stipendia tolerare* (respicit ad aerumnas et labores militiae); cp. 20 *eo immitior quia toleraverat;* cp. 25; 4, 56 *bella tolerare;* 12, 51 *fugam tol.;* cp. 64 *imperitantem;* Agric. 15 *ex facili tolerare;* Ann. 15, 1 *aegre tolerare* (aegre ferre); 4, 44 *bene tolerata paupertas;* 6, 51 *impudicitiam uxoris tolerans aut declinans;* 1, 53; 4, 71; 14, 62; 6, 3 *exsilium tolerare;* 2, 46 *servitium;* cp. 6 *naves quo facilius fluctus tolerarent;* 13, 35 *munia Romanorum aegerrime tolerare;* Hist. 1, 3 *suprema necessitas fortiter tolerata;* 2, 4 *necessitates tol.* — Ann. 6, 11 *egregie toleravit potestatem* i. e. usque ad finem praefuit ei; — Agric. 36 *gladii non tolerant pugnam* (halten nicht aus); Hist. 4, 68 *ne quamquam egregii duces — summam belli parum tolerarent;* Ann. 3, 3 *magnitudinem mali perferre visu non toleravit.* Cf. Sall. Cat. 24 *ingentis sumptus stupro corporis tolerare;* Cic. Fam. 7, 18 *militiam tolerare.* — Vitam aegre sustentare est Ann. 2, 24 *miles — fame absumptus nisi quos corpora equorum — toleraverant;* cf. 15, 45 *agrestibus pomis — vitam tolerat;* idem fere quod vivere, degere, sed addita patientiae, perseverantiae constantiaeque notione Ann. 4, 40 *posse ipsam Liviam*

statuere, nubendum post Drusum an in penatibus iisdem tolerandum haberet. Cf. Caes. B. G. 7, 71 *frumentum se exigue dierum triginta habere, sed paullo etiam longius tolerare posse parcendo;* B. C. 3, 49 *ex perfugis cognoscebant, equos eorum vix tolerari;* B. G. 7, 77 *vitam tolerare;* Liv. 26, 40 *tolerare vitam per rapinam;* Plin. H. N. 33, 47 *quem Varro tradit — octona millia equitum sua pecunia toleravisse.* — Ita tolerans et intolerans (illud hoc quidem modo usurpatum serioris, hoc prioris quoque aevi est vocabulum) saepe a Tacito usurp. pro *patiens, impatiens* Ann. 4, 1 *laborum tolerans;* 1, 31 *laborum intolerans;* 2, 75 *omnium quae ultionem morarentur intolerans;* 12, 1 *caelibis vitae intolerans;* Hist. 4, 80 *superiorum intolerans;* cf. Liv. 5, 48; 9, 18; 10, 28; 27, 48. Solus Tacitus dixit *intolerans* pro immitis, durus (priores haud raro exhibent *intolerandus* et *intolerabilis)* Ann. 3, 45 *intolerantior servitus iterum victis;* ubi v. Rupert. 11, 10 *ferocior et subjectis intolerantior.* Sed similia sunt Cic. de or. 2, 52 *intolerantius se jactat;* in Vatin. 12 *intolerantissime gloriaris;* Caes. B. G. 7, 51 *Galli intolerantius* (cupidius) *insequentes.* Sine exemplo esse videtur toleratior (was man sich leichter gefallen läßt) Ann. 12, 11 *clementiam ac justitiam, quanto ignara barbaris, tanto toleratiora capesseret.* Recte defendit h. v. Gron. in Observv. 1, 14 p. 91 sq. — tolerantia Agric. 20 *incuria vel tolerantia,* ut intolerantia ap. alios quoque, maxime aequales, interdum legitur. Cf. Cic. Parad. 1, 4; Quintil. 2, 20, 10; 5, 10, 33.

TOMENTUM der Stoff, womit gepolstert wird (Varr., Plin. maj., Suet.) Ann. 6, 23 *mandendo e cubili tomento.*

TORPEDO Hist. 3, 63 *tanta torpedo invaserat animum, ut, si principem eum fuisse ceteri non meminissent, ipse oblivisceretur.* Cf. Sall. or. Phil. c. Lepid. *torpedo animos oppressit;* or. Licin. ad pleb. *Occupavit vos nescio quae torpedo.* V. seq.

TORPOR ap. priores ad corpus pertinet (Liv. *torpor membra tenet)* ap. T. transl. sign. ad exprim. animi desidiam Germ. 46 *sordes omnium ac torpor procerum;* Hist. 2, 99 *accedebat huc Caecinae ambitio vetus, torpor recens, nimiâ fortunae indulgentiâ soluti in luxum;* cp. 77 *torpor Vitellii* opp. vigilantiae Vespasiani. Ita solus Tacitus locutus esse videtur. Eodem modo Vell. 2, 119 de Quinctilio Varo locutus dixit *marcor ducis.* V. torpedo. Prioribus etiam familiaris vox est torpere, torpescere transl. sign. Hist. 1, 71

Otho — non deliciis neque desidia torpescere; Germ. 14 *si civitas — longa pace et otio torpeat.*

TORUS sicut *nervus* usurp. sensu rhetorico Dial. 21 *exsurgit toris.* Cf. Cic. or. 6; Plin. Epist. 5, 8.

TOTIENS v. in quotiens.

TRACTARE nulli magis freq. quam Tacito; saepe idem fere valet quod agitare, exercere, quod et ipsum familiare est nostro maxime variis significationibus: Ann. 2, 5 *tractare proeliorum vias;* cp. 67 *regnum;* 3, 12 *turbide et seditiose tractaverit exercitus Piso;* 4, 13 *Tiberius — jus civium, preces sociorum tractabat;* cp. 15 *apud patres etiam tum cuncta tractabantur* (Sall. Cat. 51 *triginta viros imposuere, qui remp. eorum tractarent;* Jug. 41 et passim; Cic. Verr. 5, 24 *tractare pecuniam;* Att. 16, 16 *totum hoc negotium ita* agas, *ita* tractes, *ita* conficias, *ut cet.);* cp. 16 *tractatis religionibus placitum instituto flaminum nihil demutari;* 1, 72 *cognitionem de famosis libellis — tractavit;* 12, 60 *conditiones pacis et arbitria belli tractare;* Hist. 3, 1 *duces consilia belli tractabant;* 4, 9 *aerarium tractare.* — bellum tractare eundem in modum est intelligendum, non est trahere, ducere bellum: Ann. 1, 59 *non enim se proditione — sed palam adversus armatos bellum tractare;* 6, 44 *bellum cunctatione tractare;* Hist. 4, 73 *quantis exercituum nostrorum laboribus quove eventu Germanica bella tractaverimus, satis clarum.* — Absolute ponitur Ann. 1, 13 *Augustus supremis sermonibus cum tractaret, quinam adipisci principem locum suffecturi abnuerent.* Cf. Suet. Oct. 35 *cum quibus de negotiis — ante tractaret.*

TRACTUS, US Tacito ejusque aequal. freq. e. g. Ann. 2, 23 *auster — immenso nubium tractu validus;* de mora usurp. Ann. 15, 10 *eludi Parthus tractu belli poterat;* cp. 64 *durante tractu et lentitudine mortis.* Cf. Cic. divin. 2, *lunae tractus;* de or. 2, 13 *tractu orationis leni et aequabili perpolivit illud opus;* cp. 50 *quanta* haesitatio *tractusque verborum;* de regione (Landstrich) pro Plancio 9; Caes. B. Civ. 3, 112; Curt. 3, 7, 4 Ap. hunc cf. etiam 3, 4, 8 *leni tractu fluere;* (ita Virg. *leni agmine fluit Tiberis)* 9, 9, 20 *magno tractu aquis in suum fretum recurrentibus.* Saepius jam Vellej. usus est h. v. Cf. 1, 6. 7. 15; 2, 9. 10. 94 de tempore; 2, 69. 94. 110. 126 de regionibus, qua sign. maxime Plinio maj. frequentatur, ut 2, 45. 80; ap. quem praeterea vide 15, 31 *terrae coelique tractus;* 2, 17 *siderum tractus;* cp. 65 de montium jugis *longo tractu adsurgere;* 3, 6 *litorum tractus;* 5, 33 *Granicus*

diverso tractu in Propontida fluit; ita de mari 2, 67. Sensu rhetorico, qualis ap. Cic. obtinet, haud raro Quintil. utitur h. v., 8, 3, 32 *in tractu et declinatione;* 5, 8, 2 *quae continuo magis orationis tractu decurrunt;* 4, 2, 118 *ne in pares elocutionum tractus incidamus.*

TRADITIO transl. sign. ad ea quae praecipiuntur, narrantur (Quintil.) Ann. 16, 16 *in traditione supremorum accipiant habeantque propriam memoriam.*

TRADITOR i. q. proditor (Sedul.) Hist. 4, 24 *interfecto traditore.* Ita ap. Liv. *traditio urbis* nonnunquam involvit proditionis notionem.

TRADUX palmes vitis alterius palmiti connexus (Varr., Colum., Plin. maj.) Hist. 2, 25 *vineas nexu traducum impeditas.*

TRAHERE nulli omnium magis frequentatur quam Tacito. Maxime congruit Livii et Sall. usus. Est vero mit sich fortreißen Ann. 1, 31 *daret se legionibus vi sua cuncta tracturis* et *tractis — legionibus;* Hist. 2, 86 *Dalmaticum militem traxere;* cp. 100 *traxeritne Caecinam;* 3, 29 *summa valli ruinâ suâ traxit;* Germ. 36 *tracti ruinâ Cheruscorum et Fosi.* Cf. Sall. Jug. 41 *sibi quisque ducere, trahere, rapere.* Inde dicitur *in partes trahere* Hist. 3, 5 (vide similia Livii exempla ap. Forcell.) et omnino est vi ad aliquam rem adigere (Liv. 21, 41 *hostem lacessere ac trahere ad decernendum)* Hist. 2, 10 *traxerat magnam senatus partem, ut — dedi ad exitium postularent;* 3, 30 *ad mutandam fidem trahi;* cp. 49 *duces militari violentia trahebantur;* cp. 55 *plures formidine trahebat;* Ann. 2, 78 *Piso — in sententiam trahitur;* etiam dolo adhibito cp. 11 *eum Cherusci fugam simulantes in planitiem saltibus circumjectam traxere.* Cf. Liv. 6, 24 *Romanus in locum iniquum pertractus;* 10, 18 *traxerat contagio proximos Umbriae populos.* In perniciem adducere, evertere, devastare est Ann. 3, 54 *funditus remp. trahet;* 6, 26 *Agrippinae pernicies Plancinam traxit;* (4, 13 *paternis adversis foret abstractus);* 3, 74 *ne Cirtensium pagi impune traherentur;* Hist. 2, 61 *Aeduorum pagos trahebat* (eodem pertinet Ann. 2, 13 *tracturum conjuges* i. e. rapturum); Ann. 15, 1 *proxima trahi nisi defendant Parthi.* Cf. Liv. 39, 32 *pervicit Appius ut dejecto Fabio fratrem traheret;* Curt. 9, 6, 8 *oblitus tot civium animas trahere te in casum;* Sall. Hist. 4, 17 p. 988 *quibus non humana ulla neque divina obstant, quin socios, amicos, procul, juxta sitos — trahant, excidant.* —

Herbeiziehen, an sich ziehen, (maxime in usum aliquem) herbeiführen, annehmen, erhalten, qua sign. ceteri etiam utuntur h. v. Ann. 1, 2; 11, 5 *munia in se trahere;* 13, 57 *flumen — vi trahunt* i. e. ejus usum sibi vindicant; Hist. 2, 57 *reliquas Germanici exercitus vires trahebat;* Ann. 5, 3 *publica mala singulis in occasionem gratiae trahuntur;* 2, 47 *lues plurimum in eosdem misericordiae traxit;* Germ. 46 *multum ex moribus traxere;* Ann. 6, 30 *haec fidem ex eo trahebant quod cet.;* 3, 53 *cum recte factorum sibi quisque gratiam trahant;* 13, 27 *non aliunde originem trahi.* — Ad exprimendam dubitationem et ambiguum inter diversas partes animum usurpatur (Sall. Jug. 85 *alia hujuscemodi animis trahebant;* 93 *anxius trahere cum animo omitteretne inceptum)* Hist. 4, 80 *trahebatur in diversa;* Ann. 3, 69 *ut ambitione aliena trahatur;* Agric. 12 *factionibus et studiis trahuntur (olim regibus parebant);* et ita absolute ponitur ab uno Tacito Ann. 14, 14 *ut est vulgus cupiens voluptatum et, si eodem princeps trahat* (sich eben dahin neigt) *laetum.* Inde est interpretari quae varie accipi possunt (cum *in, ad* praepositionibus etiam ap. priores) Ann. 1, 76 *varie trahebant;* cp. 62 *in deterius trahere;* 13, 47 *in contrarium;* 3, 37 *in laudem;* Hist. 2, 20 *in superbiam;* 5, 13 *in metum;* Ann. 3, 22 *ad saevitiam;* 4, 64 *ad culpam;* 12, 52 *ad clementiam;* 16, 1 *nocturnae quietis imaginem ad spem haud dubiam retraxit.* Moram ac tergiversationem exprimit Ann. 3, 1. 56; Hist. 2, 31. 32; 4, 58 *bellum trahere;* Hist. 2, 85 *per varias moras iter trahens;* Ann. 13, 33 *P. Celerem — quia absolvere nequibat Caesar, traxit,* i. e. judicium ejus distulit; cp. 20 *trahebatur nox Neroni;* 3, 37 *noctem conviviis traheret* (Germ. 22 *somnum extrahere in diem);* Hist. 4, 70 *segne plerumque otium trahens.* Cf. Cic. Mil. 9 *tracta comitia;* Att. 10, 8 *trahi id bellum;* ita Liv. 4, 18 et passim, idemque est Sallustii usus; v. Cort. ad Jug. 27, 1; Plin. Epist. 3, 1 *tanta comitate convivium trahitur.* — Eodem pertinet addita molestiae et aegritudinis notione Ann. 1, 42 *trahere precariam animam;* cf. Curt. 7, 4, 25 *jumentorum carne trahere vitam.*

TRANSFERRE ubi de mutatis partibus, maxime in judiciis, agitur, haud raro ita usurpatur, ut omittatur ejus significatio ad quem favor, potestas, culpa transiit: Hist. 4, 52 *amicos — cupidinibus aliquando aut erroribus imminui, transferri* (abalienari dum in alios transferunt amicitiam), *desinere;* cp. 11 *civitas — verterat se transtuleratque; ille unus ambiri, coli;*

coli; 1, 25 *suscepere duo manipulares imperium populi Romani transferendum, et transtulerunt;* cp. 29 *res* (imperium) *sine discordia translatas* (saepe ap. priores ejus omittitur mentio, a quo aliquid transit ad alterum. Vide exempla ap. Drakenb. ad Liv. Epit. 97 *judicia quoque per L. Aurelium Cottam praetorem ad equites Romanos translata sunt* sc. a senatu). — Ann. 2, 65 *tradito Cotye veniret transferretque invidiam criminis* (i. e. a se amoveret, in alium quasi translato crimine; sed quis ille sit ne cogitari quidem potest h. l.) Priores plerumque dixere *transferre culpam, crimen, invidiam in aliquem,* ut Cic. pro Sext. 38 *transferre potuissent invidiam in quos putabant;* cf. Quintil. 6, 5, 9 *crimen transferre in adversarium.* Sed non desunt exempla illius βραχυλογίας: Cic. Rhet. 1, 11 *causa transfertur* (a reo in alium); Quintil. 5, 13, 7 *transferri* (ad alium judicem), ubi vid. Spalding.; Declam. 1, 15 *tanquam scelus transferretur ingenio.* Cf. t r a n s i r e, t r a n s m i t t e r e.

TRANSFUGIUM (Prudent., Liv.) Ann. 2, 46 *transfugiis paullatim nudatus in Marcomannos concessit;* Hist. 2, 34 *crebris, ut in civili bello, transfugiis;* 3, 61 *crebra transfugia tribunorum centurionumque.* Cf. Liv. 22, 43 *ut, quo longius ab hoste recessisset, transfugia impeditiora levibus ingeniis essent.*

TRANSGRESSUS, US (Sall. ap. Gell.) Ann. 6, 37 *auspicium prosperi transgressus;* 11, 10 *huic contra itum ad amnem Erinden: in cujus transgressu cet.*

TRANSIGERE 1) i. q. t r a n s f i g e r e Ann. 14, 37 *se ipsum gladio transegit;* cp. 9 *ipse ferro se transegit;* 2, 68 *gladio eum transigit.* Ita Silius locutus est 14, 481 *transigitur valida medius — cuspide.* Vide Drakenb. ad Silii 13, 166. 2) ad t e m p u s relatum idem fere est quod a g e r e, c o n s u m e r e (Sall., Suet., Sen.) Agric. 18 *quod tempus alii per ostentationem aut officiorum ambitum transigunt;* Germ. 15 *multum venatibus, plus per otium transigunt,* 3) ut vulgo est a b s o l v e r e, f i n e m i m p o n e r e, p e r f u n g i, r e m c o n f i c e r e Hist. 1, 14 *comitia imperii transigit;* Ann. 12, 19 *bellorum egregios fines quotiens ignoscendo transigatur;* maxime c u m a l i q u a r e t r a n s i g e r e ut a prioribus *cum aliquo transigere* dicitur de reo et accusatore, de debitore et creditore: Germ. 19 *cum spe votoque uxoris semel transigitur;* Agric. 34 *transigite cum expeditionibus;* Quintil. 7, 1, 44 *pulchre fuerit cum materia, tumultu et clamore transactum;* Apulej. Met. 8

cum luce jam transegerat, Forcell. interprete, cum vita jam convenerat ut eam relinqueret.

TRANSIRE 1) i. q. transigere de tempore Agric. 5 *tribunatus annum quiete et otio transiit.* Ita Sall. et Sen. locuti s. 2) Quod a prioribus dicitur *tempus, annus transit* i. e. praeterlabitur, ad alias etiam res transfertur addita commutationis et mobilitatis notione: Hist. 1, 52 *precarium seni imperium et brevi transiturum;* 3, 49 *fortuna imperii transit* (v. transferre); cf. Sen. Thyest. 509 *quidquid irarum fuit, transierit.* Inde dicuntur *transitus rerum opportuni magnis conatibus* Hist. 1, 21, cum ab uno imperium transfertur ad alterum.

TRANSITUS v. in transire.

TRANSMEARE (Plin. maj.) Ann. 12, 62 *transmeantibus terra marique ducibus exercitibusque.* Vide meare.

TRANSMITTERE (TRAMITTERE v. in Syncope) 1) ut vulgo, i. q. trajicere Ann. 12, 13 *tramisso amne Tigri permeant Adiabenos;* 15, 7 *Euphratem ponte transmittebat;* 1, 49 *juncto ponte tramittit duodecim millia e legionibus;* absolute (Cic., Liv. al.) Hist. 5, 19 *neque exercitum Romanum aliter transmissurum* i. e. transiturum. 2) i. q. transferre Ann. 2, 6 *Insula Batavorum — transmittendum ad bellum opportuna;* cf. Liv. 21, 20 *ne in Italiam transmittant Galli bellum.* Insolentius paullo usurpatur h. sign. pro adhibere Ann. 2, 38 *eandem vim in me transmittere.* 3) pati ut aliquid transeat, transferatur in alterum addita contemtus vel incuriae notione Ann. 4, 54 *poma — intacta ore servis tramisit;* 4, 41 *mox Caesarem, vergente jam senecta, secretoque loci mollitum, munia imperii facilius transmissurum.* Similis locus est Cic. Manil. 14 *bellum Pompejo transmittendum;* sed Tacitus omisit ejus significationem, ad quem translaturus fuerit Tib. imperii munia. Cf. transferre. transire. et de adjecta contemtus notione no. 5. 4) transitum dare ut Liv. 21, 24 *capti donis, cum bona pace exercitum per fines suos — transmiserunt*, et saepius ap. arg. aet. scriptt., sed inflexa paullum significatione: Ann 13, 15 *primum venenum ab ipsis educatoribus accepit, transmisitque soluta alvo parum validum.* 5) omittere, (silentio) praeterire (Sil., Stat.) Ann. 1, 13 *Scaurum — silentio tramisit;* Hist. 4, 9 *eam sententiam modestissimus quisque silentio deinde oblivio transmisit;* Ann. 15, 31 *apud quos vis imperii valet, inania transmittuntur;* 16, 12 *Junium mensem trans-*

missum (omissum e fastis); 4, 55 *tramissi ut parum validi* (nulla earum ratio habebatur). Vide supra no. 3.

TRANSMOVERE Ann. 13, 35 *Syriâ transmotae legiones.* Ita locutus est Ter. Eun. 3, 1, 10 *Labore alieno magno partam gloriam Verbis saepe in se transmovet qui sal habet.*

TRANSVEHI transl. a navigatione sign. Agric. 18 *transvecta aestas;* Hist. 2, 76 *Abiit jam et transvectum est tempus, quo possis videri concupisse.* Ita nemo praeter Tacitum locutus esse videtur, sed adposite Walch. contulit Hor. Sat. 2, 2, 82 *Sive diem festum rediens advexerit annus.* — Notissima est transvectio equitum, qui *transvehi* dicebantur cum sollenniter recensebantur; ap. Tacitum latius patet haec v. sign. idemque est quod equo ferri, vehi Ann. 12, 41 *ludicro circensium — Britannicus in praetexta, Nero triumphali cum veste transvecti sunt;* Agric. 37 *transvectae — a fronte pugnantium alae aversam hostium aciem invasere.*

TRANSVERBERARE (Cic., Liv., Virg.) Ann. 13, 44 *nihil metuentem ferro transverberat;* Hist. 1, 42 *utrumque latus transverberatus.*

TREMOR terrae i. q. motus terrae more poet. ab arg. aet. scriptoribus recepto: Ann. 14, 27 *Laodicea tremore terrae prolapsa.* Cf. Plin. H. N. 2, 81 *neque aliud est in terra tremor quam in nube tonitruum;* cp. 84 *desinunt tremores;* Plin. Epist. 6, 16 *crebris vastisque tremoribus tecta nutabant;* cp. 20 ter legitur *tremor terrae;* Sen. c. ad Marc. 26 *tremores;* Flor. 2, 6, 14 *Commissam aciem secutus ingens terrae tremor.*

TRIBUNAL Ann. 1, 75 *judiciis adsidebat in cornu tribunalis,* ubi haec est Rupertii adnot. „in angulo quodam tribunalis quadrilateri anteriori, quam partem primorem adpellat Suet. Tib. 33. Magistratus, imprimis praetor in urbe, legatus vel proconsul in provinciis et imperator in castris jus dicens, sedebat in sella curuli et in medio tribunali, judices infra illud, et amici et consiliarii, vel qui in consilium advocati erant, in eodem, quod satis erat amplum. Cf. Ann. 2, 57 (*rarus in tribunali Caesaris Piso*); Suet. l. l. et in Claud. 12; Vitruv. 5, 1.“ Vide etiam Ann. 1, 18 *exstruunt tribunal* sc. imperatorium, ut speciem quandam haberet conjuratio. — Ceterum latius patet arg. aetate h. v. signif. Est enim tumulus Ann. 2, 83 coll. cp. 7 *tumulus nuper Varianis legionibus structus,* et apud Plin. maj. 16, 1, auctore Forcell., *tribunalia* dicuntur moles contra maris fluctus erectae.

TRIBUNATUS Agric. 6 *ipsum tribunatus annum quiete et otio transiit, gnarus sub Nerone temporum, quibus inertia pro sapientia fuit.* Quam vim his temporibus habuerit tribunatus patet ex loco Plin. Epist. 1, 23 *Plurimum refert, quid esse tribunatum putes,* inanem umbram *et sine honore nomen, an potestatem sacrosanctam. — Ipse cum tribunus essem erraverim fortasse, qui me esse aliquid putavi, sed tanquam essem abstinui causis agendis.*

TRISTIS (vide Doederl. Synon. III. p. 230 sqq.) Tacito familiaris vox praeter vulg. sign. qua est a) Betrübniß verrathend, ut Ann. 15, 61 *nihil triste in — vultu deprehensum,* b) Betrübniß erregend Ann. 16, 7; Agric. 43 *finis vitae ejus — amicis tristis.* 1) ut summam severitatem et austeram paene integritatem exprimit in moribus, ita in oratione siccitatem quandam, omni laeto cultu carentem Dial. 20 *Vulgus quoque — adsuevit jam exigere laetitiam et pulchritudinem orationis; nec magis perfert in judiciis tristem et inpexam antiquitatem.* Cf. Cic. Verr. Act. 1, 10 *judex tristis et integer;* Nep. Epam. 2 *tristis* (trocken) *et severus senex;* Liv. 39, 44 *tristis et aspera censura;* Ter. Andr. 5, 2, 16 *Tristis severitas inest in voltu, atque in verbis fides.* 2) ut vulgo de morositate et vultu et moribus expressa Hist. 4, 2 *nemo supplici vultu, sed tristes et truces;* 1, 14 *aestimatione vera severus, deterius interpretantibus tristior habebatur;* 16, 22 *rigidi et tristes, quo tibi lasciviam exprobrent.* Ita transl. sign. Germ. 2 Germaniam vocat *asperam coelo, tristem cultu adspectuque,* ubi similes aliorum locos adtulit. Hess. Inde aucta huj. sign. vi 3) poetarum more usurpatum idem fere est quod crudelis, intolerandus, saevus: Ann. 4, 31 *gnarum meliorum et quae fama clementiam sequeretur, tristiora malle;* cp. 71 *tristibus dictis atrocia facta conjungere;* 11, 21 *adversus superiores tristi adulatione;* 13, 2 *tristi adrogantia.* Et his quidem duobus locis admixta est *intolerandi* significationi ea notio quam initio statim proposuimus, ut *tr. adulatio* exprimat fere nostrum plumpe, grobe Schmeichelei, *tr. adrogantia* pedantische, durch keine Spur von Geistesfreiheit gemilderte Anmaßung. — Ex illa v. significatione enata est ea qua poetis et ipsis praeeuntibus 4) res adversas et infortunium minitantes exprimit Hist. 2, 64 *Galeria — non inmixta tristibus* (i. e. caedibus); Ann. 5, 4 *nihil triste eo die patratum;* 13, 3 *nihil regente eo reipublicae triste ab externis accidisse;* Hist. 1, 3 *praesagia laeta, tristia;* cp. 27 *tristia exta;*

Ann. 6, 9 *datis quibusdam in Scaurum tristibus notis;* cp. 40 *tristibus Caesaris litteris;* 15, 34 *illic, plerique ut arbitrabantur, triste, ut ipse, providum potius et secundis numinibus evenit.* — Subst. est *(triste lupus stabulis)* Ann. 1, 41 *quod tam triste?* i. e. quae tam tristis facies? Cf. Walch. ad Agric. 9 p. 171 et tristitia.

TRISTITIA 1) ad luctum pertinet Ann. 13, 32 *longa huic Pomponiae aetas et continua tristitia fuit;* 3, 18 *domestica mala tristitiâ operienda.* 2) ad nimiam severitatem Agric. 9 *tristitiam, arrogantiam, avaritiam exuerat,* ubi rectissime Walch. trist. explic. his verbis: „Ernst, abgemessene Kälte des Staatsmannes, welche Rang und Verhältniß fordert." Vide s. v. tristis no. 1. 3 et Spald. ad Quintil. prooem. 15 „proprium vocabulum de affectata morum severitate" 3) Ann. 11, 38 *tristitiis multis* (locus non est integer) ad calamitates spectare videtur. Cf. Cic. Att. 12, 40 *hilaritatem illam, qua hanc tristitiam temporum condiebamus, in perpetuum amisi.* Vide s. v. tristis no. 4.

TRIUMPHARE aliquem poetarum (Virg., Ovid.) et arg. aetatis locutio est (θριαμβεύειν τινά) Ann. 12, 19 *ne triumpharetur Mithridates;* Germ. 37 *proximis temporibus triumphati magis quam victi sunt.*

TRIUMPHALIS Ann. 1, 72 *triumphalia insignia;* cp. 15 *triumphalis vestis;* 4, 18 *partis apud Germaniam triumphalibus;* Hist. 1, 79 *triumphalis statua;* Ann. 6, 10 *decus triumphale in Thracia meruerat;* cp. 39 *triumphale decus adeptus;* Agric. 40 *triumphalia ornamenta et inlustris statuae honorem et* quidquid pro triumpho datur, *multo verborum honore cumulata.* Justus enim triumphus inde ab Augusti aevo paucis tantum, et Caesaribus quidem vel eorum propinquis concedebatur ab imperatoribus; ceteri, qui egregiis facinoribus inclaruerunt in bellis cum barbaris populis gestis triumphalia insignia (ἐπινικίους τιμάς) accipiebant. Cf. Suet. Oct. 38 *super triginta ducibus justos triumphos et aliquanto pluribus triumphalia ornamenta decernenda curavit,* i. e. togam pictam, tunicam palmatam, sellam curulem, scipionem eburneum aquilae imagine et laurea insignem. Simili modo pro consulatu, praetura, quaestura insignia tribui solebant. Cf. Hist. 1, 79; 4, 4; Ann. 11, 38.

TRIUMVIRALE supplicium Ann. 5, 9 est suppl. per triumviros s. judices capitales sumptum, qui, ut Undecimviri Atheniensium, et cognoscebant de flagitiis infimae sortis ho-

minum et ipsis suppliciis praeerant. Cf. praeter locos Livii aliorumque a Rupertio ad h. l. laudatos Horat. Epod. 4, 11 *Sectus flagitiis hic triumviralibus.*

TRUCULENTIA v. in seq.

TRUCULENTUS comicis et Tacito familiaris vox Ann. 12, 50 *truculentior quam antea tanquam adversus defectores;* 1, 25 *vocibus truculentis strepere;* Hist. 2, 69 *ne quid truculentius auderent;* 4, 22 *quo truculentior visu foret.* Cf. Cic. Sext. 8 *truculentus, terribilis adspectu;* Agrar. 2, 5 *truculentius se gerebat quam ceteri.* Subst. truculentia Ann. 2, 23 ap. Plaut. etiam legitur. Cf. trux et Doederl. Synon. I p. 42.

TRUDERE propr. sign. poetis aur. aetatis, transl. etiam Ciceroni aliisque scriptoribus frequentatur. Ann. 1, 63 *trudebantur in paludem;* 2, 11 *trudunt adversos;* 4, 51 *ceteros trusere in summa castelli.* — Hist. 5, 25 *semet in arma trusos.*

TRUDIS a trudendo, pertica acuta cuspide Ann. 3, 46 *quidam trudibus aut furcis inertem molem prosternere.* Cf. Virg. Aen. 5, 208.

TRUX Doederlinio (Synon. I p. 41) auctore enatum per contractionem e *taurox* exprimit Graec. *ταυρηδὸν βλέπων* et proxime accedit ad sign. vocis *atrox,* q. vide. Nulli magis freq. quam Tacito: Ann. 1, 4 *trucem Agrippam et ignominia accensum* (cf. Cic. de l. Agrar. 2, 25 *tribunus plebis horridus et trux);* Hist. 2, 74 *truces corpore, horridi sermone;* cp. 44 *truces aut pavidi;* 1, 21 *juvenem ingenio trucem et longo exsilio efferatum;* Ann. 4, 34 *Caesar truci vultu defensionem accipiens;* 6, 46 *truci alterius vultu;* cp. 48 *Balbus truci eloquentiâ habebatur;* 1, 65 *cum barbari — truci sonore — saltus complerent;* Hist. 3, 3 *truci voce, quo latius audiretur;* 2, 22 *cantu truci;* Ann. 16, 11 *parari cognitionem senatus et trucem* (atrocem) *sententiam;* 1, 44 *ut avellerentur castris trucibus adhuc.* Cf. truculentus.

TUMIDUS difficilius explicatu legitur Ann. 2, 23 *omne dehinc coelum et mare omne in austrum cessit, qui* tumidis *Germaniae terris, profundis amnibus, immenso nubium tractu validus, et rigore vicini septemtrionis horridior, rapuit disjecitque naves in aperta Oceani.* Omissis aliorum interpretationibus et conjecturis, quas, qui velit, apud Rupertium inspiciat, *tumidas* Germaniae terras dixisse Tacitum arbitramur *tumentes maris fluctibus* eodem jure quo Ovid. Her. 5, 138 dixit *immensis tumet Ida jugis,* et translata ad seditionem

significatione ipse Hist. 2, 32 *quoniam Galliae tumeant.* Respicit igitur ad aestum, accessu suo oras illas Germaniae inundantem tumidasque reddentem atque ideo recessu, maxime austro coorto, navigia in aperta Oceani rapientem. Nam auster *validus* dicitur non per se, sed quod commovere fluctus valet. Plerumque quidem *mare tumidum* vocatur; sed orae ipsae, superurgente fluctu, maris pars factae haud minus recte tumidae appellari queunt. Similiter Tacitus dixit *alvei manantes per latera* pro *manantibus per latera undis* (vide m a n a r e). Ceterum familiaris est Tacito (poeticus maxime) usus vocum *tumescere, tumere, tumidus.* Cf. Hist. 2, 77 *tumescentia victricium partium vulnera;* Ann. 4, 12 *tumidos spiritus perstimulare;* Dial. 18 *Cicero inflatus et tumens, nec satis pressus;* Hist. 2, 32 *quoniam Galliae tumeant.* Cf. Liv. 45, 23 *nostrorum tumidiorem sermonem esse, quod excellere inter finitimas civitates videamur;* 31, 8 *multis in Italia contactis gentibus Punici belli societate, iraque inde tumentibus;* 33, 11 *quae (vox) maxime Aetolos offendit jam tumentes querentesque cet.*

TURBAMENTUM (Sall., Ammian.) Hist. 1, 23 *inserendo saepius — ambiguos de Galba sermones, quaeque alia turbamenta vulgi.*

TURBARE praeter vulg. usum 1) saepius quam alii, maxime priores, de s e d i t i o n e usurpat Tacitus (cf. t u r b a m e n t u m, t u r b a t o r, t u r b i d u s) Ann. 1, 31 *Germanicae legiones turbatae;* 12, 69 *ne antepositus filio privignus injuriâ et invidiâ animos vulgi turbaret;* 3, 38 *pars turbant praesentia, alii montem Haemum transgrediuntur, ut remotos populos concirent.* 2) idem est quod p r o t u r b a r e Ann. 12, 55 *missi e Syria in subsidium equites — turbantur, quod duri circum loci — equestre proelium haud patiebantur.* Ita Statius locutus est Theb. 9, 745 *Prima Tanagraeum turbavit arundo Choraebum.* Cf. infra sub no. 3 locum e Livio laudatum. 3) a b s o l u t e p o n i t u r pro *turbas edere* Ann. 3, 47 *si una alterave civitas turbet;* Hist. 1, 85 *militibus — nihil in commune turbantibus;* Ann. 4, 1 *repente fortuna turbare coepit.* Cf. praeter locos poetarum, Varronis, Ciceronis a Forcell. congestos Liv. 38, 13, 12 *Tum quoque equites, in agmen Romanum eruptione facta, haud modice primo impetu turbavere,* ibique vide Drakenb.

TURBATOR (Liv. Sen.; v. exempla a Ruhnkenio in praef. ad Schelleri Lexicon collecta.) Ann. 1, 55 *Arminius*

turbator Germaniae; cp. 30 *tum, ut quisque praecipuus turbator, conquisiti;* 3, 27 *Gracchi et Saturnini, turbatores plebis.* Cf. turbare.

TURBIDUS maxime Tacito freq. 1) ut vulgo, qui perturbatus est et qui perturbat (cf. tristis) Ann. 1, 38 *reduxit in hiberna turbidos* i. e. exterritos *et nihil ausos;* 16, 1 *mente turbida* i. e. male sana (cf. 14, 32 *feminae in furorem turbatae);* cp. 13 *turbidis casibus;* 4, 50 *hostis clamore turbido incertos obsessores effecerat;* 13, 7 *turbidis rumoribus;* cp. 17 *turbidis imbribus* (cum imbres turbarent exsequiarum sollennia); 2, 55 *Piso civitatem Atheniensium, turbido incessu exterritam, oratione saeva increpat.* 2) ad rerum novarum studium seditionesque pertinet (Livio praeeunte loco simili saltem) Ann. 2, 39 *apud turbidos eoque nova cupientes;* 3, 21 *turbide et seditiose tractaverit exercitus Piso;* cp. 27 *turbidis Lepidi rogationibus;* cp. 38 *Caesar Antistium ad dicendam majestatis causam retraxit ut turbidum;* 4, 23 *moribus turbidus;* Hist. 4, 68 *turbidus miscendis seditionibus;* cp. 48 *turbidus animi;* 2, 28 *cohortes turbidae;* 3, 49 *turbidissimus quisque delecti;* 4, 11 *in civitate adhuc turbida;* Ann. 14, 59 *utriusque turbidum ingenium esse;* Hist. 1, 55 *primani — turbidi adeo, ut quidam saxa in Galbae imagines jecerint;* 4, 39 *egesto quidquid turbidum redit urbi sua forma legesque;* Ann. 6, 11 *quod civium audaciâ turbidum nisi vim metuat.* — Ann. 12, 49 rebus *turbidis pro tempore ut consuleret;* absolute Hist. 1, 21 *Othonem, cui compositis rebus nulla spes, omne in turbido consilium, multa simul exstimulabant;* Ann. 1, 58 *quieta turbidis antehabeo.* Cf. Liv. 3, 40, 10 *nunc demum, cum hostes prope ad portas sint, civiles discordias serant: nisi quod in turbido* (in der allgemeinen Verwirrung) *minus perspicuum fore putent, quid agatur,* ubi Drakenb. adposite comparat ejusdem cap. locum *republica in tranquillum redactâ.* Cicero haud raro hac sign. usurpat *turbulenti* voce, ut noster Hist. 2, 38 *turbulenti tribuni.* Cf. turbare et inturbidus.

UBER adj. non solum de soli feracitate, sed etiam de orationis copia aliarumque rerum abundantia usurpatur vulgari modo: Hist. 5, 6 *rari imbres, uber solum;* Ann. 3, 31 *oratorum ea aetate uberrimus erat;* Dial. 18 *Catoni seni comparatus C. Gracchus plenior et uberior;* Ann. 14, 33 *quod uberrimum spolianti* (municipium) — *laeti praedâ et aliorum segnes petebant.* Longius tamen recedit a propria sign. Hist. 2, 21

uberioribus inter se probris quam laudibus stimulabantur. — Subst. *uber* pro *mamma* usurpatur Germ. 20 *Sua quemque mater uberibus alit*, et ap. alios quoque, maxime poetas, discrimen inter *ubera* (bestiarum plerumque dicuntur) et *mammas* neglectum invenitur: Virg. Aen. 6, 428; Ovid. Met. 4, 324.

UBI v. in conjunctivo.

ULCISCI et ULTIO interdum non ipsum ulciscendi actum, sed voluntatem potestatemque exprimunt: Ann. 3, 66 *videlicet Scipio et Cato talia ulciscebantur; 2, 85 cur in uxore delicti manifestâ ultionem legis omisisset* i. e. accusationem ex lege Julia atque inde poenam et ultionem. Ceterum patet *puniendi* notionem inesse in his locis, ut Liv. 5, 11, 16 ubi Cic., Ovid., Suetonii exempla adtulit Drakenb.

ULIGO Ann. 1, 17 *ubi per nomen agrorum uligines paludum vel inculta montium accipiant.* Servio auctore ad Virg. Georg. 2, 184 *uligo* est *terrae humor naturalis ex ea nunquam recedens — uliginosus ager semper est humidus, uvidus dicitur qui aliquando siccatur.* Cf. Doederl. Synon. 2 p. 12. Praeter Tacitum, Varr., Virg., Silium, saepius utitur h. v. Plin. maj., e. g. 17, 11 *alioqui uligo infestat* (segetem) *nec patitur nasci;* cp. 35 *Venetia salice arbustat agros propter uliginem soli.*

ULTIMUS, ut extremus, supremus, novissimus (q. vide), minus tamen saepe, ap. Tacitum ad summum periculum ipsamque mortem pertinet: Ann. 12, 27 *quando ultima timebantur;* Hist. 1, 11 *consules inchoavere annum sibi ultimum, reip. prope supremum;* Ann. 12, 22 *vis Agrippinae citra ultima stetit* (non progressa est usque ad supplicium); 15, 61 *qui necessitatem ultimam denunciaret;* propius ad vulg. usum accedit Agric. 2 *sicut vetus aetas vidit quid ultimum in libertate esset, ita nos quid in servitute.* Illo modo priores dixere *ultimum supplicium;* Propert. *ultimus lapis* (sepulcri); Martial. *ultimae cerae* (testamentum). Haud raro autem quod summum extremumque est in aliqua re, summum periculum, summam inopiam summamque audaciam ap. priores exprimit. Cf. Liv. 2, 63 *ultima vis;* 3, 4 *necessitas;* 10, 11 *ultimum inopiae;* 26, 13 *ultima pericula;* Epit. 82 *ultimae audaciae homo;* 4, 28 *necessitate, quae ultimum ac maximum telum est;* 9, 31 *ultimam spem furto insidiarum tentantem;* 23, 14 *ad ultimum prope desperatae reip. auxilium — descendit;* — Vell. 2, 125 *in ultimum gladiorum erupit impunitas;*

111 *praesidium ultimum;* Curt. 8, 14, 6 *illud ultimum auxilium suorum rati.*

ULTIO v. in ulcisci.

ULTRA maxime Tacito freq., sign. quidem vulgari sed insolentius interdum audaciusque constr. 1) praepos. est: Hist. 2, 72 *non ultra paucos dies;* cp. 63 *ultra feminam ferox* (Vell. 2, 88 *Maecenas otio ac mollitiis paene ultra feminam fluens;* cp. 118 *Arminius ultra barbarum promptus ingenio;* vide Ruhnk. ad 2, 68); Hist. 3, 58 *nihil ultra verba ausurus;* Ann. 4, 64 *ultra solitum;* Hist. 4, 39 *ultra aciem in neminem saevit.* 2) adverb. ad tempus pertin. Ann. 1, 17 *ne ultra sub vexillis tenerentur;* Hist. 3, 62 *ne ultra spem foverent;* Ann. 5, 9 *neque facturam ultra* (sie wolle es nicht mehr thun); ad fines Ann. 3, 29 *suspectum jam nimiae spei Sejanum ultra extulisse;* 5, 10 *neque nos originem finemque ejus rei ultra* (weiter) *comperimus* (hactenus tantum). — Graeca βραχυλογία est Agric. 25 *universae ultra gentes* (v. in Proleg. de Graecism.); ita Hist. 4, 50; Germ. 17 *ulteriores* vocantur remotiores, atque eodem modo absolute usurp. de tempore Hist. 4, 8 *ulteriora* (priora) *mirari, praesentia sequi.* Ultra quam, ultra quam ut, ap. Liv. aliosque reperitur: Agric. 4 *acrius ultra quam concessum;* Ann. 5, 1 *comis ultra quam antiquis feminis probatum;* Hist. 2, 91 *non tamen ultra quam advocavit* (i. e. non ultra aliquid fecit, ut vulgo dicitur *nihil aliud quam advocavit*); 4, 13 *ultra quam solitum.* — Hist. 4, 59 *nec illi, quamquam ad omne facinus durato, verba ultra suppeditavere quam ut sacramentum recitaret.* Solus Tacitus dixisse videtur ultra quam dum et ultra quam ne: Ann. 2, 80 *non ultra dubitatum quam dum Romanae cohortes in aequum eniterentur;* 6, 44 *nec ultra moratus quam dum — auxilia conciret;* 11, 26 *nec ultra exspectato quam dum — proficisceretur, cuncta nuptiarum sollennia celebrat.* — Hist. 2, 77 *Nobis nihil ultra adrogabo quam ne post Valentem ac Caecinam numeremur.* V. Tursell. s. h. v.

ULTRO cum Caesare saepissime usurp. Tacitus 1) idem fere quod sponte, sed hoc ad animum consiliumque pertinet, opponiturque *invito; ultro* ad rem ipsam, quatenus non rogati, non admoniti, non lacessiti externa causa eam adgredimur (vide Doederl. Synon. III. p. 103 sqq.) Hist. 4, 79 *Classem* ultro *Canninefates aggressi sunt, majorque pars navium depressa aut capta; et Nerviorum multitudinem* sponte *commotam, ut pro Romanis bellum capesserent, iidem Canni-*

nefates fudere; 1, 62 *ardor et vis militum ultro ducis munia implebat;* Ann. 4, 68 *ac jam ultro Sabinus quaerere Latiarem* et sic passim. 2) saepius etiam est ap. nostrum insuper, praeterea (noch dazu, sogar) (v. de discrimine harum vocum Doederl. l. l. p. 108, et qnos ibi laudat inspice), sed proxime multis locis accedit ad priorem sign. Hist. 1, 82 *sensit invidiam miles et compositus in obsequium auctores seditionis ad supplicium ultro postulabat;* Ann. 4, 67 *additus miles — ultroque struebantur qui cet.;* Hist. 2, 48 *moerentem ultro solatus est;* Ann. 14, 7 *scenam ultro criminis parat;* cp. 43 *pronuntiemus ultro dominum jure caesum videri;* 15, 55 *incusat ultro intestabilem et consceleratum;* Hist. 1, 9 *adeo furentes infirmitate retinentis ultro* (um so mehr) *accendebantur;* Dial. 9 *rogare ultro et ambire.* Ita legitur praeterea Ann. 3, 36; 6, 30. 31; 11, 1; 13, 26; Hist. 1, 71. 74; 2, 65. 69. 70; 4, 16. 25; Germ. 28. Cf. Drakenb. ad Liv. 40, 12, 4.

UMBRACULUM (Cic.) Hist. 3, 36 *umbraculis hortorum abditus.*

UNDARE (Virg., Petron., Sen.) Ann. 6, 39 *adspiciens undantem per domos sanguinem;* Hist. 5, 6 *undantes bitumine moles pelli manuque trahi ad litus.*

UNIFORMIS (Aurel. Vict., Macrob., Apulej.) Dial. 32 *simplex quiddam et uniforme doceamur.*

URGERE ap. poetas, Livium, Tacitum interdum idem fere est quod ingruere de periculo et summo discrimine Germ. 33 *urgentibus imperii fatis;* cf. Liv. 5, 22, 8 *Fato tum denique urgente;* cp. 36, 6 *jam urgentibus Romanam urbem fatis;* 22, 43, 9 *majoris partis sententia ad nobilitandas clade Romana Cannas, urguente fato, profecti sunt.* Sic saepe Virg. et Ovid. notante ad h. l. Dukero. Inde idem fere exprimit *urgens* quod gravis, ubi id quod urget nulla re repressum jamjam opprimit eum cui ingruebat Ann. 5, 3 *ex eo praerupta jam et urgens dominatio.* — De locutione *urgere criminum* v. in genitivo.

USQUE etiam a Cicerone et aliis postponitur, ut a nostro Hist. 1, 39 *in urbem usque;* Ann. 14, 58 *ad usque bellum evalescere;* unde factum esse videtur, ut praepositio etiam omittatur: Cic. Verr. 4, 49 *usque Ennam;* Flacc. 19 *usque Tmolo petivit;* Plin. H. N. 6, 35 *usque Meröen;* cp. 39 *usque Arabiam;* Plin. Epist. 10, 28 *usque Ephesum.* Ap. solum fortasse Tacitum talia inveniuntur: Ann. 1, 19 *pectori usque;* Germ. 45; Hist. 3, 18 *illuc usque;* Ann. 13, 47 *Tiberio abusque;* 15, 37

Oceano abusque. — Ut dicitur a prioribus etiam *usque adeo* (in dem Grade) e. g. Cic. inv. 2, 51, ita ap. Tacitum quoque gradum exprimit Ann. 14, 15 *histrionis artem exercere usque ad gestus modosque haud viriles*; cp. 26 *usque ad servilem patientiam demissus*; cf. Suet. Nero 49 *exstantibus rigentibusque oculis usque ad horrorem formidinemque visentium*; Ter. Adelph. 1, 2, 10 *omnem familiam mulcavit usque ad mortem*; Vell. 2, 128 *usque ad sextum consulatum — Marium — habuere principem* (ita ut ne sextum quidem ei denegaverint cons.). Vide Doederl. Synon. I p. 12 sqq.

USURPARE proprie inchoativum τοῦ uti, etwas zu benutzen wünschen und deshalb in Anspruch nehmen (Doederl. Synon. III p. 135 sqq.), sed est etiam frequentativum exprimitque saepe uti, adhibere, habere, prae se ferre, facere; nonnunquam omissa freq. notione sequiori demum aevo est sibi arrogare, abuti (inde Tacitus dixit Ann. 3, 60 *falso usurpare*), quamquam non desunt prorsus loci priorum etiam scriptt., ubi ea significatio obtinere videatur e. g. Liv. 33, 40 *Philippum usurpando aliena possedisse*. Nulli magis freq. h. v. quam Tacito; Livius haud raro ea utitur, saepius Vellejus; non ita multa sunt Ciceronis exempla. — Ann. 1, 7 *id unum ex publicis muneribus usurpare* (sibi vindicare); eodem modo *usurpare munia* dicitur Ann. 6, 11; 11, 13; Hist. 4, 49. 86; Agric. 7 *usurpare licentiam*; Ann. 4, 15 *vim*; Hist. 1, 4; 5, 5 *libertatem*; Hist. 1, 18 *donativi necessitatem*; 2, 58; 4, 73; Ann. 11, 25 *nomen, vocabulum*; 6, 41 *urbes Graeca vocabula usurpant*. Ita Cic. satis multis locis de crebro sermone. Ann. 14, 55 *otium usurpare*; 15, 6 *usurpatas nomine tenus urbium expugnationes*; cp. 16 *vix prae fletu usurpata consalutatio*; 11, 3 *usurpare exercitationes*; cp. 16 *saepius vinolentiam ac libidines, grata barbaris, usurpans*; Hist. 4, 25; Ann. 12, 23 *usurp. jus*; 15, 19 *hereditates*; Hist. 2, 11 *auxilium*; Ann. 12, 6 *quae mox usurpentur*; Germ. 31 *aliis Germanorum populis usurpatum* (quod saepe est *factitatum* ap. nostrum); Ann. 2, 59 *multa in vulgus grata usurpavit*; 6, 28 *nonnulli falsum hunc phoenicem — credidere, nihilque usurpavisse* (facere solitum) *ex his, quae vetus memoria firmavit*. Cf. Duker. ad Liv. 32, 25, 4 *legitimum honorem usurpare*.

USUS ut vulgo usurp., haud raro exprimit quae pro tempore necessaria sunt et utilia Ann. 1, 20 *ob itinera et pontes et alios usus*; 6, 42 *ex suo usu*; 11, 8 *irâ magis quam ex*

usu praesenti accensus; 1, 70 *quippe illis etiam honestae mortis usus* (contigit illis h. m.). Cf. Liv. 34, 6, 13 *frumentum et cetera quae belli usus postulabant*, ibique plura exempla vide ap. Drakenb.

UT adverb. (de conjunctione v. in conjunctivo) 1) ut vulgo i. q. postquam et ex quo Ann. 3, 15 *Plancina ut secretis Augustae precibus veniam obtinuit — dividere defensionem coepit;* 4, 2 *ut perfecta sunt castra;* cp. 63 *ut coepere dimoveri obruta;* 14, 53 *quartus decimus annus est, Caesar, ex quo spei tuae admotus sum, octavus, ut imperium obtines.* 2) ut quis pro ut quisque ap. solum, ut videtur, Tacitum reperitur (cf. quis) Ann. 2, 24 *ut quis ex longinquo revenerat, miracula narrabant;* cp. 73 *ut quis misericordia in Germanicum, et praesumpta suspicione aut favore in Pisonem pronior, diversi interpretabantur;* cp. 83 *honores, ut quis amore in Germanicum aut ingenio validus, reperti decretique;* 4, 23 *ut quis fortunae inops, moribus turbidus, promptius ruebant;* cp. 36 *ut quis districtior accusator, velut sacrosanctus erat.* 3) ut — ita; ut non et ut nondum — ita, ita non; sicut — ita; quomodo — sic, ita; ut — item saepissime et maxime variis significationibus a Tacito opponuntur, neque etiam omnia ista apud reliquos scriptores inveneris: Ann. 4, 33 *ceterum* — ut *profutura,* ita *minimum oblectationis adferunt;* cp. 37 *ceterum ut semel recepisse veniam habuerit, ita per omnes provincias effigie numinum sacrari ambitiosum, superbum;* Hist. 1, 7 *Capitonem ut avaritiâ foedum — ita cogitatione rerum novarum abstinuisse;* cp. 37 *ego ut concesserim — ita neque Paullinum — sperasse reor;* cp. 50 *ut — crediderim, ita — non ausim;* Hist. 2, 12 *ut adversus modestiam disciplinae conruptus, ita proeliorum avidus;* Ann. 11, 26 *ut insidiis incautum, ita irae properum.* — Ann. 1, 12 *dixit forte Tiberius se,* ut non *toti reipublicae parem,* ita, *quaecunque pars sibi mandaretur, ejus tutelam suscepturum.* — Hist. 4, 80 ut non *pro spe sua excipitur,* ita neque *adverso imperatoris animo.* — Ann. 1, 42 *nos,* ut nondum *eosdem,* ita *ex illis ortos si miles adspernaretur,* tamen *mirum et indignum erat;* 14, 45 *Sententiae Cassii* ut nemo unus *contra ire ausus est,* ita *dissonae voces respondebant;* 4, 71 *scelerum ministros* ut *perverti ab aliis* nolebat, ita *plerumque satiatus — veteres et praegraves adflixit.* — Hist. 3, 51 *tanto acrior apud majores,* sicut *virtutibus gloria,* ita *flagitiis poenitentia fuit;* Agric. 2 *sicut vetus*

aetas vidit quid ultimum in libertate esset, ita nos quid in servitute; i. q. tam — quam est Hist. 1, 52 *sicut modesti quietique, ita mali et strenui.* — Ann. 16, 22 *dedit exemplum praecavendi,* quomodo *fraudibus involutos* — sic *specie bonarum artium falsos;* Hist. 4, 74 quomodo *sterilitatem aut nimios imbres* — ita *luxum vel avaritiam dominantium tolerate;* Agric. 33 ut *superasse tantum itineris — decorum in frontem,* item *fugientibus periculosissima quae hodie properrima sunt.* Ita U. I. H. Beckerus cum cod. Vat. I, laudato Sall. et Cic. Cf. Tursellin. de partt. Ramsh. Gr Lat. p. 673; Walch. ad Agric. p. 416 sqq. De usu ut particulae prioribus quoque frequenti pro *ut fieri solet — ut exspectes ab cet. — quantum licet — ratione habita,* e. g. Germ. 2 *Quidam, ut in licentia vetustatis, plures deos ortos — affirmant,* vide Hess. ad h. l. et ad cp. 30, g.

UTCUMQUE Agric. 39 *cetera utcumque facilius dissimulari* pertinet ad *facilius* et prope enunciationis integrae instar est, ut recte monet Walch. ad h. l. collato Quintil. 2, 3, 4 *quae quamquam et ipsa reprehensione digna securitas, tamen esset* utcumque tolerabilis; 4, 1, 21 *Et hoc quidem in concilio ampliore* utcumque tutius; Eumen. Paneg. Const. 15 utcumque, *cum ducibus tuis maluit experiri, quam praesens majestatis tuae fulmen excipere,* idemque dicit ap. Livium eundem usum reperiri, sed ibi ad substantivum referri *utcumque* 32, 3 utcumque, *seu injuncta seu suscepta* militia *foret, et eam exhaustam esse.* Cf. ap. eundem Livium in praef. utcumque erit, *juvabit tamen cet.;* 45, 8 Utcumque *tamen haec, sive errore humano, seu casu, seu necessitate* inciderunt, *bonum animum habe.* Verum si fateri velis, priori etiam loco ad verbum *(foret),* non ad substantivum *(militia)* pertinet *utcunque.* Vide plura Livii exempla ap. Drakenb. ad 7, 13, 7, et quae ejusdem sunt generis ap. nostrum Ann. 1, 5 *utcumque se ea res habuit;* 6, 8 *utcumque casura res est.*

UTENSILIA sunt omnia quae victui sunt necessaria (v. Gron. 2 de Pecun. vet. 7 et ad Ann. 1, 70) Ann. 2, 60 *quasque copias frumenti et omnium utensilium quaeque natio penderet;* 1, 70 *sine utensilibus;* 2, 2 *vilissima utensilium annulo clausa;* 3, 52 *vetita utensilium pretia augeri in dies;* 15, 39 *subvecta utensilia ab Ostia — pretiumque frumenti minutum.* Liv. 3, 42 *exutusque omnibus utensilibus miles, Tusculum se, fide misericordiaque victurus hospitum, contulerat;* Colum. 9, 5 *ut apes collectis utensilibus cum onere — devolent.* —

Sed aliis aliorum locis, e. g. Liv. 26, 33 *(divina humanaque utensilia)* vasa potius intelligenda sunt; rectius igitur dixeris *utensilia* esse omnino ea quae usui sunt ad victum cultumque hominum.

UTERUS nonnunquam i. q. venter, e. g. Iuven. 10, 308 *utero pariter gibboque tumentem*, transl. etiam sign. Col. 12, 4 *in utero dolii*, a Tacito ad alveum navigii refertur Ann. 2, 6 *angusta puppi proraque et lato utero.* Nec minus insolens est eadem sign. *alvus* vox Hist. 3, 47 pro vulgari alveo (Ann. 2, 23). Ad flumen refertur *alveus* Germ. 32 *certum alveo Rhenum colunt*, ut Liv. 5, 37 et passim.

UXORIUS propr. sign. quod ad uxorem pertinet, ab uxore proficiscitur (Cic. *res uxoria)*, insolentius paullo usurp. a Tacito Ann. 1, 7 *per uxorium ambitum*, i. e. uxoris Augusti, cum contemtu dictum; 3, 34 *uxorium levamentum* i. e. quod ex uxore petitur. Vide adjectivum.

VACATIONES Hist. 1, 46 *Otho — vacationes annuas exsoluturum promisit* (i. e. pretia vacat.); cp. 58 *Vitellius vacationes centurionibus ex fisco numerat;* Ann. 1, 17 *vacationes munerum redimi.* In quibus omnibus plur. numerus insolens est, tum *militiae* vox omissa, denique *vacatio* pro pretio vacat. usurpatum. Ap. Cic. legitur *vacatio militiae*, et similia.

VACARE v. in vacuus.

VACUUS (VACARE) „das Leere, was noch voll werden kann, das Herrenlose, *inanis* das Leere, was schon voll sein sollte, das Gehaltlose. Daher ist *plenus* der eigentliche Gegensatz von *inanis* und *occupatus* von *vacuus*." Doederl. Synon. I p. 94. maxime Tacito frequentatur et ita quidem plerumque, ut ex orationis demum nexu pateat, quorsum spectet vocis hujus significatio: Ann. 2, 3 *Armenia vacua tunc* i. e. sine rege; 12, 50 *vacuam rursus Armeniam Rhadamistus invasit;* 6, 34 *inanem mox regiam Aeetae vacuosque Colchos repetivit;* 2, 76 *provinciam non jure ablatam et vacuam;* 14, 26 *Syriam — morte Ummidii legati vacuam ac sibi permissam;* Hist. 2, 71 *ut Valenti et Caecinae vacuos honoris menses aperiret;* Ann. 13, 44 *ubi mulier vacua fuit;* 11, 12 *ut Silanam — matrimonio ejus exturbaret, vacuoque adultro potiretur;* Hist. 5, 1 *multi quos — spes acciverat occupandi principem adhuc vacuum* (nondum ab aliquo occupatum, cujus nondum inclinat in aliquem favor); Ann. 6, 40 *Blaesis sacerdotia, integrâ eorum domo destinata, convulsâ distulerat; tunc, ut vacua*

(vacant) *contulit in alios.* — Ann. 2, 46 *quoniam tres vacuas* (a metu, otiosas, incautas) *legiones et ducem fraudis ignarum perfidia deceperit;* (cp. 44 *vacui externo metu;* Hist. 1, 86 *vacuus a periculo animus);* Hist. 4, 17 *adriperent vacui occupatos, integri fessos;* Agric. 37 *pugnae expertes summa collium insederant et paucitatem nostrorum vacui spernebant;* inde exprimit liberam alicujus rei potestatem: Hist. 2, 38 *aemulis urbibus — excisis securas opes concupiscere vacuum fuit;* Ann. 14, 28 *antea vacuum id solutumque poenâ fuerat.* — Ann. 3, 28 *ut — velut parens omnium populus* vacantia *teneret* i. e. quae sine domino et herede essent; Hist. 3, 11 *vacantium forte balnearum fornacibus abditus* (cum calefactae non essent). Cf. Cic. Fam. 8, 3 ubi *vacans* positum est pro *otiosus;* 11, 10 *quantam perturbationem rerum urbanarum afferat obitus consulum, quantamque cupiditatem hominibus injiciat vacuitas, non te fugit;* Sall. Cat. 52 *ut impetus fiat in vacuam* (a defensoribus) *rempublicam;* cp. 15 *necato filio vacuam domum scelestis nuptiis fecisse,* ubi Cort. plura adtulit e Livio, Horat., al.; Liv. 35, 12 *Antiochum in vacuam* (Philippo devicto) *Europae possessionem venturum.* Vide etiam Walch. ad Agric. cp. 22 p. 300 et Forcell.

VALENS v. in validus.

VALESCERE Ann. 2, 39 *veritas visu et morâ, falsa festinatione et incertis valescunt;* 4, 61 *ut aliorum meditatio et labor in posterum valescit, sic Haterii canorum illud et profluens cum ipso simul exstinctum est;* 6, 42 *accitus in partem adversum omnes valescit;* 11, 15 *quia externae superstitiones valescant;* Hist. 1, 32 *scelera impetu, bona consilia morâ valescere.* Forcellino auctore ap. unum praeterea Lucret. 1, 940 h. v. invenitur.

VALETUDINARIUM, Krankenzimmer, Lazareth, transl. Dial. 21 *quosque alios* (oratores) *in eodem valetudinario haec ossa et haec macies probant.* Utuntur h. v. Colum. et Seneca, hic etiam transl. sign. Adde locis a Forcell. allatis de ira 1, 16, 3 et ad locum N. Q. 1, praef. v. Gronovium. Ap. Varronem *valetudinarius* est qui frequenter aegrotat.

VALETUDO vox media est, unde *bona* et *mala* s. *adversa valetudo* dicitur, sed haud raro ap. omnes prope scriptores, maxime ap. Tacitum, simpliciter exprimit adversam valetudinem: Ann. 12, 68 *ire in melius valetudinem principis;* 3, 71 *pro valetudine Augustae — voverant;* ibid. *quotiens valetudo adversa flaminem Dialem incessisset;* 14, 56 *valetudo infensa.*

infensa. 3, 64 *valetudo atrox.* — Ann. 1, 5 *haec atque talia agitantibus gravescere valetudo Augusti;* 6, 46 *gravescente valetudine;* 2, 69 *valetudinis adversa;* 4, 8 *per omnes valetudinis ejus dies;* Agric. 45 *adsidere valetudini, fovere deficientem — non contigit;* Hist. 3, 2 *valetudinibus fessos;* Ann. 3, 58 *si flamen valetudine impediretur;* cp. 3 *valetudine praepediebatur;* 14, 51 *concessit vitâ Burrus, incertum valetudine an veneno;* 6, 50 *medicus — regere valetudines principis solitus.* Cf. Cic. fin. 4, 25 *tollitur cura valetudinis;* Att. 11, 23 *modo valeres: scripseras enim, te quodam valetudinis genere tentari;* 12, 33 *vehementer me sollicitat Atticae meae valetudo;* Fam. 12, 2 *L. Caesar — valetudine impeditur;* 14, 19 *excruciat me valetudo Tulliae nostrae;* Amic. 2 *quod in nostro collegio non affuisses, valetudinem causam, non moestitiam fuisse;* — Liv. 32, 34 *valetudo oculorum;* Epit. 140 *corpus (Drusi) a Nerone fratre, qui nuntio valetudinis evocatus raptim adcurrerat, Romam pervectum;* Caes. B. C. 1, 31 *adfectus valetudine filius;* 3, 2 *gravis auctumnus — omnem exercitum valetudine tentaverat;* Nep. Hannib. 4 *valetudine premi;* Timol. 4 *propter valetudinem vectus jumentis;* Curt. 3, 8, 11 *Valetudinis simulatione frustrari suos milites.* — Quintil. 2, 17, 25 *valetudinis vi;* 3, 6, 78 *valetudine impeditus;* 6 prooem. 11 *mensium octo valetudinem tulit;* 7, 4, 14 *se fluminibus interclusum aut valetudine;* 12, 11, 2 *quibus fractis — aetate seu valetudine.* Cicero peculiari utitur invaletudinis vocabulo Att. 7, 2. 5; Amic. 2. Cf. Quint. 2, 16, 6 ibique Spald. et Drakenb. ad Liv. Epit. 13.

VALIDUS nulli magis freq. quam Tacito, qui tamen eo tantum recedit a vulg. usu quod genitivum jungit huic voci (ita Aurel. Vict. exhibet *validus aevi*): 1) stark, stark befestigt, rüstig, kräftig, stark i. e. erfahren in einer Sache (δεινὸς), mächtig, bedeutend. Ann. 2, 34 *validis trabibus;* 15, 15 *validum et fidum intellexere (pontem);* cp. 4 *urbem copiâ defensorum et magnitudine moenium validam;* 13, 39 *quod validissimum in ea praefectura (castellum);* cp. 41 *sine valido praesidio;* 14, 56 *tibi valida aetas.* — Hist. 2, 19 *colonia virium et opum valida;* Ann. 15, 53 *animi validus;* 4, 21 *orandi validus;* — cp. 37 *validus alioqui spernendis honoribus;* Hist. 1, 57 *ut quisque corpore, opibus, ingenio validus;* Ann. 13, 3 *validus sensibus* (sententiis); 15, 67 *nec minus nosci decebat militaris viri sensus incomptos et validos* — Ann. 13, 55 *validior gens;* 14, 29 *Monam insulam*

incolis validam; 15, 1 *in summa fortuna aequius quod validius;* 12, 18 *Eunonen — recens conjunctâ nobiscum amicitia validum;* 4, 55 *Hypaepeni — tramissi ut parum validi;* 6, 42 *qui validissimas praefecturas obtinebant.* 2) stark wirkend, einflußreich, heftig (hac potissimum sign. minus saepe ap. priores et ceteros omnino legitur): Ann. 13, 15 *venenum — transmisit exsoluta alvo parum validum* (Ovid. *vinum validum);* 6, 29 *validum ad exitia Macronis odium;* cp. 31 *mittendi secretos nuntios validissimus auctor fuit Sinnaces;* 12, 42 *Vitellius validissimâ gratiâ;* 13, 8 *ut famae inserviret quae in novis coeptis validissima est* et *Corbulo — etiam specie inanium validus;* cp. 18 *si largitionibus validissimum quemque obstrinxisset;* cp. 22 *validiore apud libidines pincipis Paride quam ut poena adficeretur;* 14, 63 *ancilla dominâ validior.* — 13, 25 *si a laesis validius ageretur* (vis adhiberetur); 14, 65 *validius a Seneca eodem crimine perculsus est.* — Similiter usurpatur valens Hist. 2, 8 *mancipiorum valentissimum quemque armavit;* Germ. 40 *valentissimis nationibus cincti;* Agric. 24 *valentissima imperii pars;* Dial. 40 *valentiorem eloquentiam.* Cf. Cic. Brut. 16 *ut fieri nihil possit valentius;* Verr. 5, 54 *lictores valentissimi;* Fam. 7, 1 *valentissima bestia;* Plin. Pan. 38 *valentiores.*

VANESCERE poetica vox, sed ap. Cic. quoque obvia: Ann. 2, 40 *inanem credulitatem tempore ipso vanescere sineret;* cp. 82 *nec obstitit falsis Tiberius, donec tempore ac spatio vanescerent;* 4, 37 *vanescet Augusti honor;* 5, 9 *vanescente quamquam plebis ira;* Hist. 5, 7 *cuncta sponte edita aut manu sata — atra et inania velut in cinerem vanescunt;* Dial. 10 *non paterer — lacertos levitate jaculi aut jactu disci vanescere.*

VANILOQUENTIA (singulis ap. Liv. ac Plautum legitur locis) Ann. 3, 49 *carmen — per vaniloquentiam legerat;* 6, 31 *se invasurum possessa Cyro et post Alexandro, per vaniloquentiam ac minas jaciebat.*

VARIETAS STILI TACITEI v. in Proleg.

VASTUS (VASTITAS) a vacuo derivatur estque i. q. desertus, öde (solitudo) atque inde exprimit quod late patet, nulla re interrumpitur neque inhibetur late fusum, magnum, et transl. ad animum significatione: nullis decori legibus coercitum (minus enim placent quae Doederl. in Synon. II p. 225 sqq. de altera hac v. sign. quam a vagandi verbo deducit, in medium protulit). Saepius h. v. utitur Tacitus

quam ceteri scriptores, haud raro poetarum morem secutus. Ann. 4, 70 *quo intendisset oculos — fuga, vastitas;* 13, 55 *ne vastitatem et solitudinem mallent quam amicos populos;* Hist. 2, 70 *protritis arboribus ac frugibus dira vastitas;* Ann. 2, 24 *ita vasto* (late fuso) *et profundo, ut credatur novissimum et sine terris, mari;* 3, 4 *dies — modo per silentium vastus, modo ploratibus inquies* (cf. locum Curtii infra laudatum); 4, 50 *et ingruebat nox nimbo atrox, hostisque clamore turbido, modo per vastum silentium* (i. e. quod omnia circum circa occupat, lateque patet, quale est in loco deserto, nulla voce, nullo sono interruptum), *incertos obsessores effecerat;* Hist. 3, 13 *vastum primo silentium, mox cuncta simul erumpunt.* Ita ap. poetas legitur *vastus clamor, vastum murmur, v. mugitus, v. latratus, v. tonitru.* V. Forcell. Cf. etiam locos ab hoc praetermissos Liv. 1, 4 *vastae solitudines;* Cic. rep. 2, 26 *vastissimae belluae;* Curt. 10, 5, 7 *velut in vasta solitudine omnia tristi silentio muta torpebant.*

VE v. in a u t.

VECORDIA i. e. et furor, dementia et stultitia, vox Tacito et Sallustio familiaris, raro ap. ceteros obvia: Ann. 1, 32 *plurium vecordia constantiam exemerat;* 4, 22 *injecisse carminibus et veneficiis vecordiam marito;* 14, 62 *insitâ vecordiâ;* 3, 50 *studia illi, ut plena vecordiae, ita inania et fluxa;* 16, 3 *tandem positâ vecordiâ.* Cf. Sall. Cat. 15 *in facie vultuque vecordia inerat;* Jug. 72 *formidine quasi vecordiâ exagitari;* cp. 94 *Mario vecordiam objectare;* cp. 99 *cunctos formido quasi vecordia ceperat.* V. s e q u e n t i a.

VECORS summam stultitiam et saepius multo mentis alienationem, statum ejus, qui apud se non est, inconsultum ac vesanum furorem exprimit, maxime ap. nostrum: Ann. 2, 30 *protulit libellos vecordes adeo, ut cet.* (i. e. tam stolida, vana continentes); cf. Liv. 4, 49 *vox stolida ac prope vecors;* Cic. Harusp. 9 *quis est tam vecors, qui deos esse non sentiat?* — Ann. 1, 39 *conscientiâ vecordes intrat metus;* cp. 59 *Arminium — rapta uxor, subjectus servitio uxoris uterus vecordem agebant;* 4, 29 *scelere vecors;* 13, 44 *mulieris nuptae amore vecors;* Hist. 2, 23 *scelere et metu vecordes;* 4, 68 *plerisque gratus vecordi facundia.* Cf. Cic. pro domo 55 *istius vecordissimi mentem — terrebant;* Harusp. 1 *vecors repente sine suo vultu, sine colore, sine voce constitit;* Sext. 55 *vecordi mente;* in Pis. 9 *o vecors et amens!* cp. 20 *ego te non vecordem, non furiosum, non mente captum putem?* (cf.

Tusc. 1, 9); Liv. 28, 22 *in ferrum vecordi audacia ruere; 40, 8 deterrere a vecordi audacia.* Cf. ap. Ciceronem *furibundus, furiosus, demens, amens, vesanus, excors* Catil. 3, 5; pro dom. 1; Tusc. 1, 6; Amicit. 26. V. supra vecordia.

VEL cum superl. conj. v. in adject.

VELAMENTUM (Liv.) Hist. 1, 66 *velamenta et infulas praeferentes;* Ann. 13, 47 *Hactenus Nero flagitiis et sceleribus velamenta quaesivit;* transl. sign., qualis ap. Sen. invenitur (cf. velare). Apud poetas tantum legitur velamen Germ. 17 *detracta velamina spargunt maculis pellibusque belluarum.*

VELARE transl. sign. (Sen., Plin. min.) Ann. 13, 13 *Annaeus Serenus simulatione amoris adversus eandem libertam primas adolescentis cupidines velaverat, praebueratque nomen;* 22, 61 *Claudius facilitate solitâ, quod uni concesserat, nullis extrinsecus adjumentis velavit;* 6, 29 *illum — culpam invidiâ velavisse;* 14, 56 *velare odium fallacibus blanditiis.* Cf. velamentum.

VENDITATOR ἅπαξλ. Hist. 1, 49 *famae nec incuriosus nec venditator.*

VENERATIO 1) vulg. sign. Ann. 15, 74 *venerationem hominum merito;* Hist. 1, 10 *Titum filium ad venerationem cultumque ejus* (Galbae) *miserat.* 2) arg. aet. est i. q. majestas, dignitas alicui insita: Ann. 1, 34 *a veneratione Augusti orsus flexit ad victorias triumphosque Tiberii;* 12, 42 *qui mos — venerationem augebat feminae.* Cf. Sen. ad Polyb. 21 *qui munere tuo tantam venerationem receperat, ut — felicitas ejus effugeret invidiam;* Justin. 13, 1 *ejus virtutis ac venerationis erant* (amici Alexandri), *ut singulos reges putares.*

VENIRE 1) i. q. provenire, succedere, contingere, obtingere (ut propr. sign. Virg. *veniunt arbores, segetes)* Ann. 12, 32 *id quo promptius veniret;* 14, 52 *postquam Neroni amor carminum venisset;* cp. 53 *studiis claritudo venit.* Cf. Cic. Fam. ? *dum tibi litterae meae veniant;* Verr. 2, 7 (et passim) *venit mihi hereditas;* Sall. Jug. 4 *majus commodum ex otio meo reipublicae venturum;* cp. 8 *ultro illi et gloriam et regnum venturum;* Liv. 44, 17 *ut, utri Macedonia consuli, cuique praetori classis venisset, sciretur;* Theocr. Id. 2, 69 φράζεό μευ τὸν ἔρωθ', ὅθεν ἵκετο, πότνα Σελάνα; Eurip. Iph. Aul. 1264 Ἄγων Ἀτρείδαις καὶ τέκνοις ἥκει μέγας. 2) i. q. redire Hist. 2, 38 *nunc ad rerum ordinem venio,* poetarum more, Forcell. teste a Livio quoque recepo

38, 42 *Exitu prope anni M. Valerius consul ex Liguribus ad magistratus subrogandos Romam venit.* Sed hoc quidem loco haud opus est illa interpretatione. Saepe contra *redire* usurpatur pro *venire:* Sall. Jug. 4 *nunc ad inceptum redeo;* Caes. B. C. 3, 93 *pilis missis ad gladios redierunt;* Liv. 25, 24 *arsura omnia et ad cineres reditura.* Notissima est locutio *res ad interregnum redit,* e. g. Liv. 7, 17. Cf. instaurare.

VENTITARE (Cic., Catull.) Ann. 12, 3 *ad eum per speciem necessitudinis crebro ventitando pellicit patruum;* 16, 14 *ventitare ad eum nuntios et consultationes non frustra ratus;* Agric. 43 *ventitavere ad domum.*

VENUM v. in defectivis.

VERBUM nulli omnium saepius quam Tacito brevitatis studiosissimo absolute et impersonaliter usurpatur. Et ap. eum quidem solum ita inveniuntur: *adigere, adnectere, advertere* (punire), *communicare, eximi, ducere* (sortiri), *expedire* (exped. suscipere), *inumbrare, mereri* (stip. mereri), *manere* (in fide m.), *provenit* (es gelingt), *sistere* (consistere), *tolerare* (vivere); apud aequales etiam leguntur: *adjicere, dare* (sententiam dare), *eniti* (partum en.), *excedere* (egredi relationem), *obstringere* (affirmare), *temperare* (sibi t.), *studere* (litteris operam dare), *tractare.* — poetarum quoque aureae aet. in usu sunt: *comitari, propinquare;* ap. ejusdem aur. aet. scriptores reperiuntur: *audere, augere, celerare, convertere, curare, delinquere, destinare, commotus* (gereizt, bewegt), *ferre, flectere, inesse, insistere, mutare, novare, obstinare, pervadit rumor, prodere, reticere, subigere, suppeditare, turbare, vertere,* quae omnia v. suo loco. — Enumerationem verborum compositorum, simplicium, frequentativorum, quae insolentius usurpavit Tacitus, vide in Prolegomenis de grammatica stili Tacitei ratione A, 6. 7. 8.

VERGERE ap. priores plerumque ad locorum situm pertinet, a Tacito haud raro ad tempus refertur: Ann. 2, 43 *suam aetatem vergere;* 4, 8 *vergentem aetatem;* cp. 41 *vergente jam senecta;* 12, 44 *vergentibus jam annis suis;* 13, 19 *vergentem annis;* cp. 38 *vergente jam die;* cf. Curt. 4, 7, 22 *quo propius nox vergit ad lucem.* — Cum Ann. 1, 3 *illuc* (in Tiberium) *cuncta vergere; filius, collega imperii — adsumitur,* cf. Cic. Phil. 11, 11 *ni Bruti auxilium ad Italiam vergere quam ad Asiam maluissemus.*

VERNACULUS 1) ut vulgo i. q. domesticus opp. peregrino Dial. 28 *ego de urbe et his propriis ac vernaculis vitiis*

loquar. 2) propria sed alias non obvia sign. quod ad vernas pertinet Ann. 1, 31 *vernacula multitudo* (Suet. Oct. 25 *Libertinus miles*); Hist. 2, 88 *vernacula utebantur urbanitate* (cf. vernilis). Apud Martial. *vernaculi* sunt vernae.

VERNILIS (Quintil.) i. q. servilis Hist. 3, 32 *vernile dictum; 2, 59 quamvis odium Vitellius vernilibus blanditiis velaret.* Cf. vernaculus.

VERTERE maxime Tacito freq., praeter vulg. usum 1) absolute pro se vertere Ann. 1, 18 *depulsi aemulatione — alio vertunt; 4, 70 vertit in Sabinum* (i. e. flectit, in epistola, er kommt auf den S.); 11, 28 *si res verterent;* cp. 31 *vertit in praesagium;* cp. 37 *verterat pernicies in accusatorem; 6, 6 adeo facinora sua ipsi quoque in supplicium verterant;* cp. 19 *magnitudinem pecuniae malo vertisse*; Hist. 3, 6 *vertit in perniciem; 4, 47 postquam regnum in formam provinciae verterat; 3, 58 simulatio officii, a metu profecta, verterat in favorem; 4, 27 victi, quod tum in morem verterat, non suam ignaviam, sed perfidiam legati culpabant;* Agric. 31 *nisi felicitas in socordiam vertisset;* Ann. 13, 57 *Et minae quidem hostiles in ipsos vertebant; 6, 46 ne memoria Augusti, ne nomen Caesarum in ludibria et contumelias verterent; 13, 32 vertit ad gloriam;* cp. 37 *ita consilia Tiridati in contrarium vertebant; 14, 31 quod contra vertit;* Dial. 4 *in consuetudinem vertit;* Germ. 31 *Et aliis Germanorum populis usurpatum rara et privata cujusque audentia apud Cattos in consensum vertit,* ubi Passovius doctissimus „*vertit* pro *conversum est;* v. Bentl. ad Hor. Carm. 4, 10, 5. Cort. ad Sall. Jug. 85. (§. 9 *mihi — benefacere jam ex consuetudine in naturam vertit*); Ruhnk. ad Rutil. Lup. p. 73; quod idem de verbo *mutare* observatum Dukero ad Liv. 2, 52 et Ruhnk. ad Vell. 2, 82 p. 342. praecesserat Gellius 18, 12, nec abhorret Graecae linguae consuetudo. *τρέπε* sensu neutrali optimo jure servavit Erf. in Soph. Antig. 1107. *μεταστρέφειν* habes apud Eurip. Hippol. 1226. Valk. de verbo *ἐπιστρέφειν* v. Schaef. ad Dion. Halic. de comp. verb. p. 280. de *μεταβάλλειν* Bast. Epist. crit. p. 151. Utramque linguam comparat Vechn. Hellenolex. p. 70 Heus.“ Vide etiam Hess. ad h. l. Germaniae et magnam exemplorum quae Liv. exhibet copiam ap. Drakenb. ad 2, 62, 2; adde Sall. Cat. 52 *verterat Scipionum invidia in praetorem,* et cf. eundem verbi *convertere* usum Ann. 3, 55 *ceteri ad sapientiam convertere; 4, 3 cuncta tentanti promptissimum visum ad uxorem ejus Liviam convertere.* — Plerumque

mutationis et diversitatis notio illis exemplis exprimitur, atque ita transitivo etiam usu accipiendum est verbum Ann. 4, 10 *eo audaciae profectum, ut verteret* (sc. rem. daß er der Sache die entgegengesetzte Wendung gab); 13, 13 *tum Agrippina versis artibus per blandimenta juvenem adgredi;* Hist. 2, 68 *verso itinere;* Ann. 1, 79 *verterentur flumina et lacus, per quos augescit (Tiberis);* cp. 64 *quantum aquarum circum surgentibus jugis oritur, vertere in subjecta;* Hist. 2, 93 *sinistrum lenti itineris rumorem prospero proelio verterat,* nec desunt priorum exempla. 2) vertere in se i. q. sibi vindicare Ann. 2, 64 *vertere in se Cotyi data;* cf. Cic. divin. 17 *ex illa pecunia magnam partem ad se vertit* (plerumque dicitur *convertere in se*, ut Liv. 24, 4; Suet. Vesp. 4). Ergo idem fere est quod *trahere*, etiam ea sign. qua est *interpretari* Ann. 15, 74 *ad omina sui exitus vertebatur.* 3) idem est quod evertere Ann. 2, 42 *versa Caesarum sobole imperium adeptus est;* 3, 36 *abolitas leges et funditas versas;* cp. 54 *civitatem verti;* 5, 4 *brevibus momentis summa verti posse;* 12, 45 *ne socius rex, ne Armenia — scelere et pecunia verterentur.* Ita Horat., Virg., Ovid. loquuntur, sed Cic. etiam Off. 1, 24 *Callicratidas, qui cum — multa fecisset egregie, vertit ad extremum omnia.* — Insolentius dictum Hist. 1, 2 *agerent verterent cuncta,* sed non ideo *ferrent* legendum.

VESCI absolute ponitur a Sall., Plin. maj. et Tacito Ann. 1, 49 *quos simul vescentis dies, simul quietos nox habuerat.* De accusativo huic v. juncto v. in accusat.

VESTALIS poetice usurp. Ann. 2, 86 *Vestalibus sacris praesederat;* nam ap. ceteros solutae orat. scriptt. vix alia inveneris quam *Vestales virgines* vel simpliciter *Vestales.*

VETARE idem est q. arcere Ann. 11, 20 *fossam perduxit, qua incerta Oceani vetarentur.* Ita Sen. Hercul. *quercus Phoebum vetat.*

VETUS quam vim habeat ap. Tacitum, bene exposuit Walch. ad Agric. 2 *vetus aetas vidit quid ultimum esset in libertate.* Comparato enim Hist. 1, 1 *(prius aevum) veterem* ait *aetatem* Tacito ubique esse reipublicae liberae aetatem usque ad Actiacam pugnam. Eodem referri cap. 1 et Ann. 3, 55 *priores;* Dial. 19; Ann. 11, 24 *prior populus;* Ann. 1, 1; 4, 32 *vetus populus* (nam ibi *veteres populi Romani res* ita explicari debere ut sit *veteris populi R. res).* Hujus discriminis jam vestigia inveniri ap. Vell. 1, 17 *ut Livium quoque priorum aetati adstruam*, et ad remotiora etiam tempora

spectare Ann. 2, 83 *Neque enim eloquentiam fortuna discerni, et satis illustre, si veteres inter scriptores poneretur.* Taciti prorsus temporibus *veteres scriptores* (Agric. 10 et passim in Dial.) semper opponi *recentibus.* — Eodem modo aurea jam aetate et reip. temporibus sed raro in universum antiquus et priscus ad prius aevum et cum laude quidem plerumque referuntur. Cf. cum Ann. 6, 22 *antiqua aetas et nostra* (cp. 42 *recens aetas)* cp. 16 *antiquis quoque et minus corruptis moribus;* 3, 66 *antiqua exempla;* 12, 53 *antiquae parsimoniae laudibus cumulabatur;* 5, 1 *comis ultra quam antiquis feminis probatum;* Hist. 2, 5 *prorsus, si avaritia abesset, antiquis ducibus par;* Ann. 5, 1 *priscum ad morem;* 6, 13 *prisca severitate;* 3, 69 *priscae sanctimoniae virginem;* cp. 74 *prisco erga duces honore;* 4, 19 *proprium id Tiberio fuit, scelera nuper reperta priscis verbis obtegere;* Terent. Adelph. 3, 4 sub finem *hominem antiqua virtute et fide;* Cic. Att. 9, 18 *vide quam sim antiquorum hominum;* Vell. 2, 49 *vir antiquus et gravis;* cp. 116 *vir antiquissimi moris et priscam gravitatem semper humanitate temperans;* Horat. Epod. 2, 2 *prisca gens mortalium* (paterna rura bobus exercet suis — beata). Priores in malam saepe partem utuntur et prisci et vetusti vocabulis, ut Cic. Brut. 21 *sed multo tamen vetustior et horridior ille — delectari mihi magis antiquitate videtur, et lubenter verbis etiam uti paullo magis priscis,* minus saepe in bonam, qualis est Taciteus v. vetusti usus Ann. 4, 16 *ex quis unus legeretur vetusto* (i. e. antiquo) *more;* cp. 26 *repetitus ex vetusto mos* (antiqua patrum munera); 3, 26 *vetustissimi mortalium* (prisca gens mortalium). — Omnino saepius quam a ceteris scriptt. vetustus (vetustas) usurpatur a Tacito estque idem fere quod vetus Ann. 12, 44 *vetusta possessione;* 16, 7 *opibus vetustis;* 15, 68 *vetustis in eum simultatibus;* 4, 14 *vetustum asyli jus;* 3, 62 *vetusta in parteis merita;* 6, 47 *vetustis honoribus et inlustris studiis erat;* 11, 15 *vetustissima Italiae disciplina;* Hist. 1, 88 *vetusto nomine;* — 2, 4 *quaeque alia laetum antiquitatibus Graecorum genus incertae vetustati adfingit;* cp. 80 *vetustate stipendiorum;* Ann. 11, 3 *vetustate amicitiae;* Hist. 4, 65 *donec nova et recentia jura in vetustatem consuetudine vertantur.* — Saepius a Tacito et ejus aequalibus quam a prioribus vetustus et vetus ad aetatem referuntur Ann. 2, 43 *vetustissimo liberorum ejus;* 11, 25 *vetustissimum quemque e senatu;* cp. 32 *virginum Vestalium vetustissimam;* Hist. 1, 23 *vetustissimum*

quemque militum. Cf. Plin. Epist. 8, 14 *maximus quisque et vetustissimus pro parente;* Paneg. 15 *vetustior miles;* Liv. 22, 23 *vetustissimus ex iis qui viverent.* — Ann. 6, 31 *liberorum suorum veterrimum;* cf. Liv. 42, 47 *veteres et moris antiqui memores negabant cet.* De locis Dial. 6. 17 ubi *veteres et senes, antiqui ac veteres* conjunguntur, v. Proleg. in Pleonasmo; de genitivo huic v. juncto v. genit. — Ann. 1, 58 recte se habet *vetere in provincia.* Est enim ea pars Germaniae quae in sinistra Rheni ripa jam diu parebat Romanorum imperio opp. incertis propriae Germaniae possessionibus, quae nondum in provinciae formam redactae erant; cf. cp. 59 *coleret Segestes victam ripam.* Ita Tacitus Carthaginiensium terram, quam in Africa primam sibi subjecerunt Romani *veterem provinciam* vocat Ann. 3, 74; ita Liv. 24, 44; 25, 3 eam Siciliae partem, quae prima Romanis paruit; ita Narbonensem Galliam Appianus 4, 2: ἣν παλαιὰν ἐκάλουν κελτικήν opp. 2, 48 *νεόληπτος γαλατία.*

VEXILLARII (VEXILLUM, SUBSIGNANI, ELECTI) qui fuerint *) ut altius rem sane difficilem repetentes exponere possimus, primum nobis videndum est de vexilli significatione. Cicerone auctore (Orat. 45) a *vehi* derivatur *vexillum* et contractum est in *velum,* ut *axilla* in *ala, maxilla* in *mala.* Habet autem duplicem significationem; 1) est idem fere quod *signum* et nonnunquam permutatur cum h. v. (v. signum), sed proprie opp. signo legionis (aquilae) et manipulorum (manipulum foeni qui primis temporibus pro signo habebant) estque signum linteum (parvum quasi velum) equitum et auxiliarium copiarum (v. Liv. 39, 20 *legionis secundae signa tria, undecim vexilla socium Latini nominis in potestatem hostium venerunt;* 8, 39 *vexilla se suorum parmasque cernere equitum),* dein eorum qui e majore militum copia electi, vel ob aliquam causam singulares in ordines com-

---

*) Vide de vexillariis Lips. ad Ann. 1, 17; de milit. I, 8; V, 9 et ad Hist, 2, 100; Ernest. Exc. ad Ann. A; Hertelii Excurs. de vexillariis in ejusdem recens. Agric. Lips. 1827 et Walch. ad Agric. p. 240 — 258. Et ad Hertelii quidem Walchiique commentationes cum compositis jam, quae nobis super hac re dicenda esse videbantur, in manus nostras venerint, in adnotationibus respicere ubi opus esset, satius duximus, quam comparandis refellendisque eorum sententiis et nostrae disputationis ordinem et legentium judicium perturbare. In universum consentimus cum Walchio.

positi aliquo mittebantur (non minus igitur tirones quam veterani *vexillum* habere poterant); vel cohortes, vel manipuli, vel turmae Hist. 1, 36 *ut medium inter signa Othonem vexillis circumdarent; 2, 18 conreptis signis vexillisque;* cp. 43 *plurima signa vexillaque ex hostibus rapuit;* cp. 89 *quattuor legionum aquilae per frontem, totidemque circa e legionibus aliis vexilla, mox duodecim alarum signa, et post peditum ordines eques; 3, 63 sub signis vexillisque; 4, 15. 34 signa vexillaque.* — Ann. 1, 39 *vexillum* est, Lipsio interprete, s i g n u m f u t u r a e p u g n a e, „vexillum purpureum, quod adservabatur merito in tabernaculo ducis, quia illi soli jus et arbitrium proponendi. Hoc insignite et *κατ᾽ ἐξοχήν* vexillum dictum. Docte Glossae veteres: *Ῥούσιον φάρσος vexillum.* Cf. Caes. B. G. 2, 20 *vexillum proponendum, quod erat insigne, cum ad arma concurri oporteret;* de b. Hisp. 28 *hoc nuntio (Pompejum in acie stetisse) adlato, vexillum proposuit.* Hoc illud vexillum est, quod lymphati milites postulant, et cum eo scilicet jus caedis et armorum*)." Cf. cp. 18 *una tres aquilas et signa cohortium locant,* et de isto pugnae signo Liv. 22, 46 *Varro, nihil consulto collega, signum pugnae proposuit; 41, 26 signo proposito pugnae;* Hirt. b. Alex. 45 *vexillo sublato quo pugnandi dabat signum* (v. Held. ad Caes. B. C. 3, 89) et quae Lips. contulit Plut. Fab. 15 *τὸ τῆς μάχης σημεῖον ἐξέθηκεν· ἔστι δὲ χιτὼν κόκκινος ὑπὲρ τῆς στρατηγικῆς σκηνῆς διατεινόμενος;* Brut. 40 *ἅμα δ᾽ ἡμέρᾳ προύκειτο μὲν τῷ Βρούτου χάρακι καὶ τῷ Κασσίου σύμβολον ἀγῶνος, φοινικοῦς χιτών.* — Eodem fere pertinet consuetudo *vexillo in arce posito* (Liv. 39, 15) convocandae in concionem plebis. Etiam inter militaria dona referuntur vexilla Sall. Jug. 85 *ostentare hastas, vexillum, phaleras, alia militaria dona.* 2) i p s o s m i l i t e s i l l o s d e s i g n a t q u i s u b v e x i l l o e r a n t **), non solum veteranos, sed etiam tirones, auxiliarios, equites et eos omnino qui sejuncti a ceteris, sed in singularem ordinem compositi, aliquo mittebantur (Caes. B. G. 6, 36 *com-*

---

*) Huic interpretationi cum Wolfio Walchius quoque adstipulatur p. 256 sq. Sed quae de consilio dicit, quod milites secuti sint vexillum postulantes, haud satis firmis nituntur argumentis, et multo etiam minus probari potest conjectura quam h. l. proponit de vexillariis, nomen eos accepisse ab hoc vexillo pugnae signo, quod illud veterani secuti fuerint.

**) Cf. Walch. l. l. p. 254 sq. et quae s. v. s i g n u m exposuimus.

plures erant in castris ex legionibus aegri relicti, ex quibus qui hoc spatio dierum convaluerant, circiter trecenti sub vexillo una mittuntur; cp. 40 de iisdem *quos sub vexillo una profectos docuimus)* Liv. 8, 8 *vexillum centum octoginta sex homines erant;* Tacit. Ann. 3, 21 *vexillum veteranorum;* Hist. 1, 31 *Germanica vexilla diu nutavere* (i. e. vexillarii, veterani Germanici exercitus, qui in Germania stipendia fecerant; cf. Suet. Galb. 20 ibique Bremi.); Agric. 18 *contractis legionum vexillis;* Ann. 4, 73 *vexilla legionum e superiori provincia;* Hist. 2, 24 *tertiaedecimae legionis vexillum;* 3, 22 *quartam Macedonicam dextro suorum cornu, quintam et quintamdecimam cum vexillis nonae secundaeque et vicesimae Britannicarum legionum mediam aciem — complesse,* (Singulis igitur legionibus vexillum adjunctum erat, iique erant veterani, κατ' ἐξοχήν vexillarii dicti. V. infra). — Ann. 2, 78 *vexillum tironum;* Hist. 2, 11 *equitum vexilla;* 1, 70 *praemissis Gallorum, Lusitanorum Britannorumque cohortibus et Germanorum vexillis;* cp. 53 *vexilla inferioris Germaniae;* Ann. 15, 26 *vexilla delectorum ex Illyrico et Aegypto.*

Vexillarius igitur 1) signifer est Hist. 3, 17 *ut vexillarium fugientem hastâ transverberaret, mox raptum vexillum in hostem vertit;* 1, 41 *vexillarius comitatae Galbam cohortis;* et ea quidem sola ap. priores quoque obtinet h. v. significatio Liv. 8, 8 *ordo sexagenos milites, duos centuriones, vexillarium unum habebat.* 2) milites qui sub vexillo sunt vexillarii dicuntur (primum ap. Vellej. 2, 110). Num igitur omnes isti, legionarii, veterani, tirones, auxiliarii, equites promiscue appellantur vexillarii? Minime! neque etiam necesse est, quantumvis sequi videatur ex iis quae de vexillo dicta sunt; nam in his quidem rebus solus valet usus. Hujus vero arbitrio ad singulare militum genus exprimendum refertur haec vocis significatio. Omnes si comparaveris locos ubi vexillarii et vexilla legionum (v. supra) commemorantur, veteranos intelligendos esse invenies, qui ab Augusti, ut videtur, temporibus, vicesimo militiae anno exauctorati usque ad justam missionem (v. s. h. voce) ceteris omnibus exsoluti muneribus sub vexillo habebantur (Ann. 1, 26 *ne veterani sub vexillo haberentur;* cp. 17 *apud vexillum retenti)* ut et gravioribus pugnis interessent et inter auxiliares copias robur quasi exercitus efficientes fines imperii tutarentur provinciasque recens subjectas ideoque minus fidas

in obsequio retinerent *): Vell. 2, 110 *oppressi* (in Pannonia) *cives Romani, trucidati negotiatores, magnus vexillariorum numerus ad internecionem — caesus;* Suet. Galba 20 *excepta Germaniciorum* vexillatione. *Ili ob recens meritum, quod se aegros et* invalidos *magnopere fovisset, in auxilium advolaverunt;* Tacit. Ann. 1, 38 *vexillarii discordium legionum;* cp. 39 *duae ibi legiones, prima atque vicesima, veteranique nuper missi sub vexillo,* (qui priori loco commemorantur earundem fortasse legionum, sed diutius jam exauctorati) *hiemabant* (cf. cp. 36); 14, 34 *quartadecima legio cum vexillariis vicesimanis;* Hist. 3, 48 *ut vexillarios e legionibus ducemque Virdium Geminum, spectatae militiae deligerent;* 2, 83 *legio sexta et tredecim vexillariorum millia* (plurium videlicet legionum; cf. cp. 82 *prima belli cura, agere delectus, revocare veteranos* (olim exauctoratos, vexillarios, nunc jam missos); Vell. 2, 111 *habiti itaque delectus; revocati undique omnes veterani);* cp. 100 *cum vexillariis trium Britannicarum legionum et electis auxiliis;* 2, 66 *vexillariis tantum pulsis vires legionis* (i. e. totam copiam; v. s. v. vis; non ideo negatur vexillarios robur fuisse exercitus) *non adfuisse;* cp. 18 *nec tris praetorias cohortes et mille vexillarios — veterano exercitui subjicere* (i. e. paucos quamvis et ipsi veterani essent tam multis). Quae omnia collata cum iis quae supra de vexillis legionum congessimus satis probant, singulis legionibus adjunctos fuisse vexillarios, eosque quingentorum militum numerum explevisse indicare videtur Tacitus Ann. 3, 21 **) *vexillum veteranorum non amplius quingenti numero.* Sed ubi opus erat sejuncti etiam a legionibus suis atque nonnunquam e pluribus legionibus in unum quasi corpus contracti in varios belli usus adhibiti esse videntur. In legionibus ubi agebant singulis earum cohortibus inmixtos eos fuisse conjici licet ex Hist. 3, 6 *Antonio, vexillarios e cohortibus et partem equitum ad invadendam Italiam rapienti, comes fuit Arrius Varus,* atque ita praetoriae quoque cohortes vexillarios ha-

---

*) Fusius haec exposita invenies ap. Walch. l. l. p. 251 sq. coll. Hertel. p. 97 sq.

**) Walch. p. 250 Hyginum quoque hujus rei testem laudat, idemque recte contendit „Als historische Thatsache steht fest: Jede Legion hatte enteidete Veteranen als Vexillaren bei sich: ob aber ihre eigenen Veteranen, oder gemischte Haufen aus den Veteranen verschiedener Legionen, entscheiden wir nicht."

buere: Hist. 2, 11 *veterani e praetorio*; cp. 96 *praetorianos nuper exauctoratos*; 3, 21 *praetorianum vexillum*. Eosdem vexillarios recte fortasse ap. Tacitum quidem habueris subsignanos milites; Hist. 1, 70 *Penino subsignanum militem itinere et grave legionum agmen hibernis adhuc Alpibus traduxit*; 4, 33 *monuit subsignano milite media firmare*. Apud Livium sub signis esse dicuntur triarii; 8, 8 hastati et principes *antesignani* vocantur, *quia sub signis jam alii quindecim ordines locabantur. — primum vexillum* (idem igitur significat *signum* et *vexillum*) *triarios ducebat*, veteranum militem, spectatae virtutis, *secundum rorarios — tertium accensos. — triarii* sub vexillis *considebant*. Simillimam inde triariorum veterum et vexillariorum, s. subsignanorum hujus aetatis rationem perspicimus; sed cave triariorum ideo putes vexillarios speciem reddere. Vide Ernest. ad Hist. 4, 33. Subsignanus praeter Tacitum ap. unum Ammianum invenitur Forcellino teste, sed nihil inde lucis adfunditur Taciti locis. — Electos, s. delectos qui haud raro a Tacito commemorantur, noli cum vexillariis confundere *). Optime alios prorsus fuisse vexillarios, alios electos (ex iis scilicet qui nondum exauctorati erant, sive legionarii erant, sive auxiliares) perspicitur ex Hist. 2, 100 *cum vexillariis trium Britannicarum legionum et electis auxiliis*; Ann. 4, 73 *vexilla legionum* (vexillarios) *et equitum auxiliarium delectos accivit*. cf. 15, 26 *vexilla delectorum ex Illyrico et Aegypto*; Hist. 4, 35 *addit exercitui suo Vocula mille delectos e quinta et quintadecima legionibus*; 1, 31 *electi Illyrici exercitus*; cp. 61 *inferioris exercitus electi*; 4, 77 *pontem electa manu firmavit*; 3, 50 *sufficere — e legionibus lecti videbantur*; Germ. 13 *electorum juvenum globo circumdari*. Fortissimi igitur designantur.

VIA i. q. ratio, modus Ann. 1, 54 *alia Tiberio morum via*; 4, 7 *non quidem comi via (Tiberius), sed horridus ac plerumque formidatus*; 2, 5 *tractare proeliorum vias*. Cf. Liv. 38, 18 *deam Romanis viam belli et victoriam dare* (saepius ap. eundem legitur *via consilii)*; Justin. 31, 5 *se viam gerendi belli edisserturum*; Thucyd. 1, 122 *ὁδοὶ τοῦ πολέμου*; sed ibi ὁδοὶ sunt ἀφορμαί.

---

*) Praepostera sane ac temeraria Hertelii argumentatio „ex electis novae cohortes fiebant; iis vexillum datum" (hactenus recte habet) = „ipsi dicti vexillarii."

VIATICUM Ann. 1, 37 *donec — contracta ex viatico amicorum ipsiusque Caesaris pecunia persolveretur.* Viaticum dabatur provinciae praesidi ejusque comitibus; tum pecunia ita dicitur quam milites sibi comparaverunt. Cf. Cic. Fam. 12, 3 *quod legato tuo viaticum eripuerunt;* Suet. Caes. 68 *Ingresso civile bellum centuriones cujusque legionis singulos equites e viatico suo obtulerunt;* Hor. Ep. 2, 2, 26 sqq. *Luculli miles viatica multis Aerumnis, lassus dum nocte stertit, ad assem Perdiderat.*

VICTUS pro evictus v. in evincere.

VIDELICET v. in nimirum.

VIDUATUS, A, UM verwittwet (Suet., Sen., Martial.) Ann. 16, 30 *Servilia — viduata desolataque.*

VIGILIAE i. q. cohortes vigilum Hist. 1, 20 *exauctorati — ex urbanis cohortibus Aemilius Pacensis, e vigiliis Julius Fronto.* Ap. Cic. et Sall. vigiliae nonnunquam sunt *vigiles* — i. e. qui noctu excubias agunt, atque ita Tacitus h. v. utitur Ann. 1, 28 *ii vigiliis, stationibus, custodiis portarum, se inserunt* centuriones, qui obire solebant vigilias; cf. Ann. 15, 30 *initia vigiliarum* (tertia quaque hora) *per centurionem nuntiari;* Hist. 2, 29 *vetitis obire vigilias centurionibus, omisso tubae sono, quo miles ad belli munia cietur* (vide Lips. milit. 5, 8). De vigilibus et stationibus dignissimus est locus qui conferatur Liv. 44, 33 *Vigiles etiam novo more scutum in vigiliam ferre vetuit.* (Aemilius csl. cum Perseo bellum gerens): *non enim in pugnam vigilem ire, ut armis utatur, sed ad vigilandum, ut, cum senserit hostium adventum, recipiat se, excitetque ad arma alios. Scuto prae se erecto stare galeatos: deinde, ubi fessi sint, innisos pilo, capite super marginem scuti posito, sopitos stare: ut fulgentibus armis procul conspici ab hoste possint, ipsi nihil provideant. Stationum quoque morem mutavit. armati omnes, et frenatis equis equites, diem totum perstabant. — ex matutina statione ad meridiem decedi, et in postmeridianam succedere alios jussit: ita nunquam fatigatos recens hostis adgredi poterat.* De vigilibus v. etiam Tacit. Hist. 5, 22 (coll. Ann. 1, 65) *Cerialis alibi noctem egerat — ob stuprum —. vigiles flagitium suum ducis dedecore excusabant, tamquam jussi silere, ne quietem ejus turbarent; ita intermisso signo et vocibus se quoque in somnum lapsos.*

VIMENTUM ἀπαξλ. Ann. 12, 16.

VINCERE v. in **evincere**.

VINCIRE i. q. devincire Ann. 6, 45 *juvenem — pacto matrimonii vincire; 4, 10 corrupta ad scelus Livia Sejanum Lygdi quoque spadonis animum stupro vinxisse.* Ita solus Tacitus. Sed similia habent Cic. et alii, quae transl. h. v. significationem exhibent. — Propria sign. argentea et sequiore aetate (Sen., Justin.) usurpatur pro **in vincula conjicere**: Ann. 1, 23 *ut pars militum gladiatores, qui e servitio Blaesi erant, pars ceteram ejusdem familiam vincirent;* Hist. 1, 45 *vinciri jussum — praesenti exitio subtraxit;* 3, 36 *descivisse (Caecinam) et ab exercitu vinctum.*

VIRGINITAS (Cic.; saepius poet. et arg. aet.) Ann. 14, 35 *ut — ne senectam quidem aut virginitatem inpollutam relinquant.*

VIRILITAS τὰ αἰδοῖα ἀρσενικά (Hirt. et arg. aet.) Ann. 6, 5 *incestae virilitatis;* cp. 31 *ademptae virilitatis.* Adde locis a Forcell. laudatis Sen. Prov. 3 *exsectae virilitatis.*

VIS maxime Tacito frequentatur, et praeter vulg. quidem sign., sed omnino priorum quoque usui congruenter 1) est **copia, multitudo** Hist. 3, 5 *vim equitum, qua sola valent, offerrebant;* Ann. 4, 62 *immensa vis mortalium;* 12, 63 *vis piscium innumera;* 13, 52 *magna vis accusatorum circumsteterat;* Hist. 5, 12 *magna vis frumenti absumpta.* 2) **vehementia, violentia, atrocitas** Ann. 13, 48 *vis multitudinis;* Hist. 1, 79 *vi vulnerum absumpti;* Ann. 6, 37 *imbrium vi;* 13, 35 *vi frigoris;* 15, 47 *vis fulgurum non alias crebrior;* 3, 72 *tanta vis (incendii);* Hist. 5, 6 *vi solis inarescere;* Dial. 26 *non negaverim Cassium Severum — posse oratorem vocari, quamquam in magna parte librorum suorum plus vis habeat quam sanguinis; — non pugnat, sed rixatur.* 3) **robur, exercitus moles** et integrae copiae vel simpliciter **exercitus, impetus hostilis** (Liv. 4, 61 *omnis vis Romana Vejos conversa est;* 7, 25 *si qua externa vis ingruat)* Ann. 1, 68 *vim* (vires, robur), *sanitatem, copias, cuncta in victoria habuere;* 12, 44 *vi corporis insignis;* etiam de animi vigore (3, 30) quo valemus 11, 28 *vi mentis;* 14, 52 *quia nec bonis artibus idem virium erat;* Hist. 4, 1 *in turbas — pessimo cuique plurima vis, pax et quies bonis artibus indigent.* — Ann. 4, 73 *vim legionum implorabat* (die ganze Macht); Hist. 2, 66 *vires legionis non adfuisse;* Ann. 2, 4 *si nostra vi defenderetur;* Hist. 1, 87 *vires et robur exercitus;* 2, 74 *Vespasianus bellum armaque et procul vel juxta sitas vires* (exercitus)

circumspectabat; 3, 34 *si qua alia vis* (hostilis exercitus) *per Alpes rueret;* Agric. 38 *datae ad id vires* (copiae). — Ann. 13, 54 *minitando vim Romanam* (impetum hostilem, bellum Rom.), *nisi abscederent Frisii;* 11, 9 *vi militis Romani;* 12, 22 *vis Agrippinae citra ultima stetit* (v. ultimus); inde de theatri ruina Ann. 4, 62 *quos illa vis perculisset;* de impetu quo sidera feruntur Hist. 5, 4 *pleraque coelestium vim suam et cursum septimos per numeros conficiunt.* 4) potentia, opes, potestas, auctoritas, jus Ann. 2, 60 *vi Parthorum aut potentia Romana;* cp. 62 *profugus olim vi Marobodui;* 3, 60 *regum qui ante vim Romanam valuerant;* 11, 1 *cavere vim atque opes;* 12, 27 *quo vim suam sociis quoque nationibus ostentaret;* 13, 2 *vestra quidem vis et gloria in integro est;* cp. 42 *viribus principis inludere;* Hist. 2, 99 *gratiam viresque apud novum principem pararet;* Ann. 1, 6 *neve Tiberius vim principatus resolveret;* 2, 37 *vim imperii tenuit;* 3, 12 *privatas inimicitias non vi principis ulciscar;* 5, 5 *vi principis impediri;* 12, 60 *parem vim rerum habendam a procuratoribus suis judicatarum, ac si ipse statuisset;* Hist. 2, 39 *vis ac potestas penes Proculum praefectum;* Ann. 4, 13 *de vi publica damnatus ob atrocitatem morum;* 3, 70 *non enim debere eripi patribus vim* (jus) *statuendi.* 5) opponitur inani nomini, speciei, imagini Ann. 3, 30 *speciem magis in amicitia principis quam vim tenuit;* cp. 60 *vim principatus sibi firmans, imaginem antiquitatis senatui praebebat;* 13, 31 *vectigal — remissum, specie magis quam vi;* 6, 43 *inane nomen apud imbellem, — vim* (imperii) *in Abdagesis domo;* Hist. 4, 39 *Domitiani nomen epistolis edictisque praeponebatur; vis penes Mucianum erat;* cp. 75 *Muciani ac Domitiani vana et sine viribus nomina.*

VISERE Terentio, Livio (v. Drakenb. ad Liv. 1, 31, 2) et maxime Tacito freq., scharf zusehen, besehen, oft sehen, besuchen, besichtigen, recognosciren: Hist. 2, 88 *forum maxime petebant, cupidine visendi locum, in quo Galba jacuisset;* Ann. 2, 60 *mox visit veterum Thebarum magna vestigia;* 12, 36 *avebant visere, quis ille tot per annos opes nostras sprevisset;* cp. 56 *visendi* (pugn. navalem) *cupidine aut officio in principem;* 13, 46 *ibi se summâ fortunâ digna visere* (da sehn sie nur *cet.*); 14, 1 *ituram quoquo terrarum, ubi audiret potius contumelias imperatoris, quam viseret, periculis ejus immixta;* cp. 63 *non alia exsul visentium oculos majore misericordia adfecit;* 15, 63 *visendo ejus tormenta;* 16, 4 *ut nulla oris aut*

narium

narium excrementa viserentur; — 15, 10 *quos visendis hostium copiis praemiserat;* cp. 21 *qui provincias viserent;* cp. 30 *spatium oravit, quo tantum itineris aditurus fratres ante matremque viseret;* cp. 60 *missum se ad aegrotum Senecam uti viseret;* cp. 61 *quod a visendo eo prohiberetur;* Agric. 43 *per omnem valetudinem ejus crebrius quam ex more principatus per nuntios visentis, et libertorum primi et medicorum intimi venere,*

VISOR ἀπαξλ. Ann. 16, 2 *missis visoribus per quos nosceret.* Minus recte a quibusdam omittitur, multum esse in hujusmodi vocibus Tacitum non reputantibus (v. in Proleg.) cf. etiam provisor et visere.

VISUS, US i. q. species, adspectus Agric. 45 *nos Maurici Rusticique visus — perfudit.* Similes Livii et Cic. locos contulit Walch. Cf. Drakenb. ad Liv. 8, 9, 10. V. etiam provisus.

VIVIDUS Ann. 6, 27 *vivida senectus;* 13, 3 *Nero — vividum animum in alia detorsit;* cp. 42 *vivida et inconrupta eloquentia* opp. *studiis inertibus;* 15, 49 *vivida odia.* Legitur h. v. ap. poetas et arg. aet. scriptores; bis etiam ap. Livium: 2, 48 *nimiâ gloriâ luxuriare et evanescere vividum quondam illud Kaesonis ingenium;* 6, 22 *vegetum ingenium in vivido pectore vigebat, virebatque integris sensibus.*

VOCABULUM saepius quam ap. al. scriptt. permutatur cum nominis voce Ann. 1, 3 *eadem magistratuum vocabula;* 12, 27 *cui nomen inditum ex vocabulo ipsius;* cp. 66 *vocabulo Locusta;* 13, 12 *cui vocabulum Acte;* 14, 15 *juvenalium vocabulo* et *principis vocem deûm vocabulis appellantes;* 1, 17 *alio vocabulo* unter einem anderen Namen; cp. 41 *militari vocabulo;* 2, 6 *mox id quoque vocabulum (Vahalis) mutat Mosa flumine;* 6, 41 *urbes — Graeca vocabula usurpant;* 12, 62 *cui ut degeneri Pseudophilippi vocabulum impositum;* 3, 34 *frustra nostram ignaviam alia ad vocabula transferri;* 16, 8 *vocabulo indicum* (unter dem Vorwande); Hist. 4, 14 *exquiri novos sinus et varia praedandi vocabula;* Germ. 26 *hiems et ver et aestas intellectum ac vocabula habent; auctumni perinde nomen ac bona ignorantur;* Hist. 2, 62 *edictum, quo vocabulum Augusti differret, Caesaris non reciperet;* Ann. 11, 23 *fruerentur sane vocabulo civitatis, at insignia patrum — ne vulgarent.* Totidem fere Cic. huj. v. exempla exhibet; sed ap. eum, sicut ap. ceteros, qui rarius multo h. v. utuntur, ad solam alicujus rei designationem pertinet: Partit. 5 *propria*

rerum vocabula; Caecin. 18 *res ut omnes suis certis ac propriis vocabulis nominentur;* fin. 4, 19 *ex rebus, non ex vocabulis;* 5, 29 *vocabulis rerum mutatis;* de or. 3, 40; 2, 29; univ. 11; divin. 1, 1; N. D. 2, 23; 1, 15; Tusc. 4, 16; invent. 2, 9. 37; Pis. 37; Fam. 10, 6; fin. 3, 4.

VOCITARE 1) i. q. appellare (Cic., Liv., Nep., maxime Plin. in h. n.) Hist. 1, 13; 5, 2 et passim 2) ap. unum Tacitum est clamare Hist. 2, 41 *incertus undique clamor occurrentium, vocitantium.*

VOLENS v. in participio no. 6.

VOLITARE saepe idem est quod discurrere, vagari et impune quidem plerumque ac jactantiae causa Ann. 2, 21 *Inguiomerum, tota volitantem acie, fortuna magis quam virtus deserebat;* 15, 9 *hostiles turmae — subjectis campis magna specie volitabant;* Hist. 2, 88 *tribuni praefectique cum terrore et armatorum catervis volitabant.* Cf. Cic. leg. Agr. 2, 36; Catil. 2, 3; p. red. in sen. 3; pro dom. 19; Sext. 1. 4. 43. 44; Pis. 4, 12; Mil. 33; Phil. 10, 2; Liv. 4, 19; 28, 43.

VOLUCER transl. sign. Dial. 9 *gaudium volucre;* cf. Cic. Sull. 32 *o volucrem fortunam;* Planc. 23 *nihil est tam volucre quam maledictum.*

VOLUNTAS de benivolentia (Ter., Cic.) Ann. 4, 68 *neque Sejani voluntas nisi scelere quaerebatur.* Raro invenitur plur. Ann. 1, 7 *ad introspiciendas etiam procerum voluntates;* Cic. Fam. 6, 6 *cedit* (Caesar) *multorum justis et officio incensis, non inanibus aut ambitiosis voluntatibus.*

VOLUTARE Ann. 1, 36 *volutatis inter se rationibus;* 4, 12 *volutare secum;* cp. 40 *quid intra animum volutaverim;* 13, 15 *volutare secum modo matris violentiam modo ipsius indolem;* Hist. 2, 49 *curas animo volutantem.* Simillimus Livii usus. Cf. etiam Cic. rep. 1, 17 *nihil nisi divinum animo volutare.*

VOLVERE i. q. cogitare, mente agitare, volutare, poetarum more a Livio etiam recepto (2, 49 *volvere aliquid animo)* haud raro ap. Tacitum legitur Ann. 3, 38 *bellum adversus nos volverat;* Hist. 1, 64 *bellum volvebat;* cp. 54 *eadem acrius volvens;* cp. 30 *stupra nunc et commissationes — volvit animo;* Ann. 14, 53 *ut plerumque intra me ipse volvam.* — Idem est quod regere, agere, agitare, non minus poetice, Ann. 6, 22 *fatone res mortalium — an forte volvantur;* 3, 54 *quod vita populi Romani per incerta maris et tempestatum quotidie volvitur.*

VOX saepius quam aureae aetatis scriptoribus Tacito est sermo, dictum, acclamatio, deprecatio Ann. 3, 11 *populus plus sibi in principem occultae vocis aut suspicacis silentii permisit;* Hist. 1, 5 *accessit Galbae vox, pro republica honesta, ipsi anceps, legi a se militem, non emi;* cp. 18 *legiones — non ultra verba ac voces errasse, et brevi in officio fore;* cp. 84 *nec illas adversus senatum voces ullus unquam exercitus audiat;* 2, 94 *nec coercebat ejusmodi voces Vitellius;* Agric. 33 *fortissimi cujusque voces audiebam, quando dabitur hostis, quando acies?* cp. 45 *excepissemus certe mandata vocesque, quas penitus animo figeremus;* Hist. 2, 46 *non exspectavit militum ardor vocem imperatoris* et: *quas inter voces (Plotii Firmi) ut flexerat vultum aut induraverat Otho, clamor et gemitus;* Ann. 11, 31 *forte lapsa vox in praesagium vertit;* 3, 50 *quam nefaria voce C. Lutorius Priscus mentem suam et aures hominum pollucrit;* 1, 31 *non unus haec, — sed multa seditionis ora vocesque;* 2, 29 *orare affines, vocem adversus pericula poscere* (1, 75 *potentium preces*); Hist. 4, 72 *adtonitis etiam victoribus, qui vocem precesque adhibere non ausi lacrimis ac silentio veniam poscebant.* — Cf. Liv. 45, 10 *accusatoria vox;* Cic. Verr. 5, 65 *Constitue, nihil esse opis in hac voce Civis Romanus sum;* pro Flacco 3 *Quae est unquam jacta, non suspicio, sed iracundiae vox aut doloris?* Pro verbo singulisque vocabulis saepius usurpari constat inter omnes, et exempla suppeditat Forcell.

ZEUGMA v. in Proleg. ubi de brevitate stili Tacitei agitur.